4°Th H
1073

X
IV
36

Collegii Societatis JESU Augustae

HISTORICA RELATIO, DE APOSTOLICIS MISSIONIBUS PATRUM SOCIETATIS JESU APUD CHIQUITOS, PARAQUARIÆ POPULOS,

KÖNIGL. KREISBIBLIOTHEK IN AUGSBURG

PRIMÒ
HISPANO IDIOMATE CONSCRIPTA
à
P. JOAN: PATRICIO FERNANDEZ,
DEIN AD TYPUM PROMOTA
A P. HIERONYMO HERRAN,
PROCURATORE GENERALI PROVINCIÆ PARAQUARIÆ,
UTROQUE SOCIETATIS JESU SACERDOTE,
ANNO M.DCCXXVI.
HODIE IN LINGUAM LATINAM TRANSLATA
AB
ALIO EJUSDEM SOCIETATIS JESU SACERDOTE.
CUM LICENTIA SUPERIORUM.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
Sumptibus Mathiæ Wolff, Bibliopolæ, M.DCCXXXIII.

DEDICATIO
HUJUS HISTORIÆ.

Serenissimo Domino, Domino

FERDINANDO,

ASTURIÆ PRINCIPI
primitùs inscripta.

Domine Clementissime!

QUamquam tenuitas muneris solicitum, quin & pavidum offerentis animum reddere soleat: nihilo tamen minùs, qui tantæ Celsitudini offerre quid præsumunt, cujus respectu etiam maxima fiant minima (ut in præsentiarum mihi quoque contingit) tantum abest, ut in tales clientes vel metus vel solicitudo cadat, ut potiùs anxietas in confidentiam, solatio plenam, timiditas verò transeat in amabilem reverentiam.

Sunt inter cœli ſidera nonnulla, quæ nobis oppidò magna, alia autem, quæ primo aſpectu exilia valdè, & minuta exiſtimantur: quod idem perinde ac cum ſtellis fit etiam cum montibus, quorum aliqui ex ſtupenda altitudine ſua, jure merito prægrandes, & ut ita dicam, Gigantes montium nuncupantur. At ubi Sol aſtrorum princeps in ſpectabile hoc cœli theatrum progreditur, & immenſa inſuper ætheris amplitudo & diſtantia in conſiderationem venit, mox cœleſtes illæ faces, ut ut oculorum judicio magnæ, evaneſcunt in parvas veluti ſcintillas, quin propè in nihilum: Gigantei autem montes, quantúmvis Maximi, graciléſcunt in pumiliones, puta, in exiguos colliculos. Ea de cauſa ſacræ Paginæ Solem duntaxat Magnum nominant, *Luminare majus*, ut adeò tantummodo ab illis cœlum dici poſſit magnum, qui nôrunt, totam terraquei globi molem, cœlo comparatam, minutulum punctum non excedere.

In confeſſo eſt citra omne dubium, quod natura parens, & multa, & grandia inæſtimabilis pretii Cimelia, quòd ars admirandorum operum ſpecimina, quòd ſcientiæ rara profundiſſimi ingenii inventa, quòd poëſeos ac eloquentiæ facultas præclara prorſus artificia in ſe complectantur, & non ſe-

mel in lucem publicam proferant: quæ quidem omnia, ſecundùm ſe ſpectata, poſſunt Magna æſtimari. Ut primùm verò ad pedes Sereniſſimorum Principum fuerint depoſita, illicò patefit, illa non tantùm non eſſe grandia, ſed exilitatis ſuæ cauſa, ne digna quidem eſſe, quæ regiis oculis reſpiciantur. Nempe omnis horum dignitas valorem perdet: Sapientiæ partus inſipiens: poëtica commenta nonniſi hallucinationes, facundia ipſa indiſerta, quin elinguis videbuntur. Usque adeò tenuantur in ſe vel maxima, ſi in comparationem veniant cum adhuc majoribus, & ſummis.

Non abſterrente tamen hac evidenti veritate præſumo Magnum vocare præſens hoc donum, quod tibi, Sereniſſime Princeps! ad pedes humillimè depono. Et illud quidem munus aliud non eſt, quàm compendiaria deſcriptio Apoſtolicorum laborum, & inſignium operum, quæ Miſſionarii Societatis Jesu patrârunt, hodiéque patrant in convertenda & cicuranda, antehac admodum efferata, & incognita Chiquitorum Regione, quæ Paraquariæ eſt pars. Hoc donum eſt, quod non reformido dicere Magnum, etiam dum in præſens ante pedes tuos proſtratum conſpicio. Ejus enim ſententiæ omninò ſum, plus opus non eſſe, ad magnitu-

dinem non vulgarem alicujus rei adſtruendam, quàm ut Regiæ Tuæ Serenitati ea grata accidat, & benignum oculum mereatur, quæ ipſa gratia huic hiſtoriæ modò obvenit. Non dubito proin nomine omnium cæterorum Miſſionariorum Soc. Jesu pronuntiare, quòd poſt divinum honorem (quem pro Scopo primo & ultimo Societas nunquam non habere debet) non dubito, inquam, nomine omnium horum aſſerere, quòd ſecundùm Dei gloriam inter univerſos eósque incredibiles labores, inter tot præſentiſſima vitæ pericula illos Apoſtolos nihil magìs animet, quàm quòd præter Deum, Tuæ Serenitati ſerviant, cum ea proinde ſpe, ſuos labores gratioſo oculo eſſe dignandos. Profectò, Sereniſſime Princeps! hi Apoſtolici Viri operantur juxta ac patiuntur facilè majora, quàm quæ calamo exprimi poſſunt, id quod ipſum lectione præſentis hiſtoriæ aliquatenus patebit. Fruuntur interim ſolatio inexplicabili, dum conſiderant, miſerrima priùs principis tenebrarum mancipia, hodie Tuæ Regiæ Serenitatis ter fortunatos ſubditos vivere: dum animo reputant, eos, qui olim in miſerabili, & prorſus ferina libertate ſine lege, ſine Deo, ſine Rege, brutôrum animantium ritu paſſim vagabantur, modò ſub regiæ tuæ clementiæ tutela con-

quie-

quiescere. Nunc tandem vastissimæ illæ, & vix non inaccessæ solitudines, & deserta Paraquariæ tesqua in amœnos prorsus cœlestis Regis hortos transmigrârunt: nunc hæc ipsa viridaria Evangelica regiis vestris oculis, & teneræ adhucdum vestræ juventuti per bellissimos virtutum Christianarum flores delicias facere possunt, ubi non ita pridem vel confirmatæ ætatis viri sola tantæ támque horrendæ vastitatis, & barbariei mentione potuissent metu ac tremore concuti.

Nemo unus intereà mihi inficias ibit, cuicúnque vel semel beata sors te videndi obtigit, quòd omnis amaritudo in dulcorem, mœstitia in solatium, labor in refrigerium non transeat, simul ac Tu, Serenissime Princeps! clementi aliquem oculo dignaris. Etsi enim amaritiem inter & dulcedinem, mœrorem inter & gaudium, laborem inter & quietem nunquam convenire videatur, certum tamen est, tantas dari excellentias, & magnificentias, quæ pugnantes has & tam oppositas sibi res conciliare invicem possint. Quàm ex vero sit hoc assertum, datur experiri de præsenti Patribus Missionariis Soc. Jesu in Paraquaria. Quippe præsens relatio licèt nihil magìs memoret, quàm amaros sudores, duros labores, & vix tolerabiles ærum-

nas,

nas, regius tamen favor tuus facit, ut omnes hæ molestiæ illis faciles, & optabiles accidant. Quin ab eadem felicitate non excluduntur ipsi nostri Indi, & Neophyti, utpote quibus Superi id sortis indulserunt, veniendi scilicet per veræ fidei januam in beatum numerum subditorum potentissimi, & clementissimi Regis, qualem orbis unquam viderit.

Repeto proinde, quod superiùs asseverare non dubitavi, haud exiguum, sed magnum hoc meum esse donum, sed simul protestor, nullam magnitudinem illi inesse, nisi quæ accrevit à Regio tuo favore. Quòdsi tamen tua modestia faceret, quò minus allata hactenus causa apud te magnificaret meum demississimum oblatum, cùm tamen hæc ipsa & una ratio illud apud omnes eximium, & præclarum sit facturum, tamen hoc dabis, parvum esse non posse omne id, quod in utroque orbis hemisphærio potentissimus Rex, Parens tuus æstimare, & approbare est dignatus. Quanti autem faciat Apostolicos Soc Jesu labores in Paraquaria, hoc enuntiat universo orbi Ipsius plùs quàm regia liberalitas, qualem hodiedum tam Societati, quàm recèns ibi fundatæ Christianorum Communitati deferre non desinit. Quæ certè munificentia tam grandis & tam præter modum est, ut in quocúnque

que alio Rege, quanticúnque tandem zeli sit, (nisi fuerit ipsissimus Philippus V. redundans liberalitas possit videri.

Atque hæc ipsa hujus Apostolicæ expeditionis æstimatio, quam Magnus hic Monarcha quotidie ipso opere prodit, me animosum reddidit, ut pavidam reverentiam, aliquamdiu cogitationi meæ obstrepentem, prorsus à me amandarem, ac tandem non vererer, cum hoc historico munere ante regiam tuam Celsitudinem comparere. Mecum enim ita concluseram, illud, quod Magnus Rex Hispaniæ Philippus, magni æstimare non est dedignatus, profectò non tam exile, parúmque æstimabile debere videri, ut metus esset, Principem Asturiæ, Magnum Filium tam magni, & Regii D. Parentis parvi facturum, & à se repulsurum.

Pedibus itaque suis plenus solatio, & fiducia advolvor, Serenissime Princeps ac Domine! demississimo animo supplicans, uti hanc eximiam benevolentiam Magni Regis D. Tui Parentis continuare velis, ad quod ipsum satis superque erit, si modò relationem isthanc gratioso acceptare animo dignaberis. Certè ea unica gratia nobis universis Missionariis Soc. Jesu, id omne quidquid in votis est, secum afferet, nobis reddet omnia facilia, omnia dulcia,

 & sua-

& suavia, quia eò valebit per integrum orbem, ut invidia ipsa suas hucúsque magno numero impactas calumnias, & injurias reprimat, ac deinceps in perennes sese laudes effundat. Societas Jesu intereà sui secura, & solatio delibuta nihil instantiùs post Dei gloriam affectabat, quàm ut nomen tuum, atque potentia in orbe terrarum magìs magísque inclarescat, nec optabit quid ardentiùs, quàm ut supremum Numen, cujus honor tibi magìs cordi est, quàm propria vita, tuos vitæ dies eò usque prolonget, téque tamdiu victoriis, & felici rerum tenore beet & cumulet, donec Regnum Hispaniæ cum magna hac orbis terrarum parte nempe America per te apicem felicitatis attigerit, atque adeò omnis cæterus orbis tam grandis Principis & Regis causâ, possit invidere.

Tuæ Regiæ Celsitudinis

Submississimus

HIERONYMUS HERRAN,
Soc. Jesu.

APPROBATIO
Rev. P. Alberti Pueyo, Soc. JESU Qualificatoris Supremæ Generalis Inquisitionis in Hispania.

EX Mandato suæ Regiæ Majestatis Summo cum solatio perlegi historiam de Conversione Indicarum Gentium, quas Chiquitos vocant. Et ejus certè sum opinionis, eam vel à frigidissimi Spiritûs religioso homine legi non posse, ut non majorem concipiat zelum Christi Fidem disseminandi, suíque teporis causâ rubore suffundatur, siquidem torporem suum cum fervore verè Apostolico horum incomparabilium Virorum, ac Christi heroum, de quibus hæc historia passim meminit, comparaverit. Ego profectò mihi penitùs persuadeo, talem, sin minùs flagrantissimo inde desiderio inflammetur, suammet operam in laboriosa hac Christi vinea locandi, saltem eò motum iri, ut cum omni fervore suum animi frigus sit defleturus, & à DEO Altissimo ob annos hactenus in supino forsan otio, aut certè in negotiis magnam partem inutilibus transactos veniam sit rogaturus. Ego sanè præ solatio vix jam me capio, quoties considero, quòd per cœlestem illum ignem, quem Apostolicus ampliandi per omnem terram Divini Honoris Zelus, in cordibus meorum Charissimorum in Christo Fratrum, nempe Missionariorum è Soc. JESU in Paraquaria accendit, quòd, inquam, per dictum ignem Divina Bonitas hodiedum ea

 gra-

ipſa gratiæ miracula patret, qualia olim in primitiva Eccleſia eſt operatus. Profectò Apoſtolici hi Viri ad literam, imô & ultimum apicem explent ea omnia, quæ Chriſtus Dominus iis ſingulis, qui Apoſtolicam vitam profiteri volunt, in mandatis dedit. Non deſinunt nimirum ſuos ſpecioſos Evangelizantium pedes circumferre percurſando immenſa illa regionum ſpatia, aut potiùs vaſtas Paraquariæ ſolitudines, quæ magna profectò pars eſt Americæ. Non ſiſtunt eorum curſum tot ſæculorum lapſu ſylveſcentia, & ad horrorem densè increſcentia nemorum tesqua, nec deſerti, & ſolis feris immanibus inſeſſi receſſus, nec aſpectu, aditúque horrendi, & fortè nulli mortalium antehac ſuperati montes, nec incogniti aquarum rapacium torrentes, nec denique fames vel ſitis, nec omnis annonæ penuria, quin nec mors ipſa zelum illorum poteſt retardare. Vix momentum eſt, quo ſe non exponant lubentes manifeſtis mortis periculis, ut ſi vel mille vitas poſſiderent, vix unius conſervandæ ſpem certam poſſint ſibi polliceri. Atque hæc non alia de cauſa fiunt, quàm ut vitam æternam impertiri poſſint illis miſellis, & omni commiſeratione dignis populis, qui in hodiernum usque diem in denſiſſimis tenebris ſuæ ſuperſtitionis, & in cæcis ſylvarum anfractibus non in morem hominum, ſed ferarum inſtar ratione expertium, absque fidei, Deíque cognitione, nudiſſimo corpore circumferebantur, & hodiedum longè plures eorum circumferuntur.

Clarè item deprehendi ex lectione hujus operis, quòd æterna veritas ſuis his tam fidis ſervis, & operariis partam apud S. Marcum mercedem abundè reddi faciat, quando illis mirandam prorſus & naturæ vires tranſcendentem gratiam confert diſcendi ſcilicet ignota, & barbara admodum idiomata, quorum ſpecies diverſæ tot ſunt, quot ſunt ſepara-

paratæ harum gentium communitates, quæ quidem sunt innumeræ. Ingens profectò gratiæ miraculum est, usque adeò efferatos hos semi-homines, illicò ad unum & alterum verbum Missionarii, vel ad aspectum erectæ S. Crucis, vel B. V. MARIÆ commoveri solere ita, ut non tantùm semetipsos perardenter cupiant esse Christianos, sed mox incipiant esse ipsi Apostoli, quin vitâ suâ insuper habitâ vel sanguinem profundere non reformident. Et eâ quidem solummodo de causa, ut & suis finitimis opem ferentes, in viam salutis cæcos reducere possint. Hæc tam viva, & heroa fides non solùm in Missionariis operatur tanta, sed & in recèns conversis Indis, ut secundùm DEI promissum in Evangelio sub omnium oculis dæmones proscribant ex suis viculis, & inquilinis, quibus hi mali genii ad id usque temporis per tot sæcula citra impedimentum liberè dominabantur. Ad abigendam verò luem contagiosam, aliáque varia morborum genera depellenda sæpe pluribus opus non est, quàm ut quis Apostolicorum Virorum Evangelium legat super ægrotos, vel ut suas imponat manus. Eo quippe pacto derepente lues abscedit, ægri convalescunt, & mille alia mira contingunt. Id quoque satìs admirari non possum, si mecum reputo, quòd, licèt totis frequenter mensibus alius victus non sit his laboriosis Viris præter crudas radices cum aqua sæpe turbida, quòd, inquam, nec venena, nec pestilentes auræ, nec corrupti & rancidi cibi, nec ingens aliquando penuria alimoniæ aliquid nocumenti illis afferant, vel saltem valetudinem labefactent. Finis quidem, & præcipuus scopus tam ferventium Virorum est, ut inprimis regnum Christi, & numerum filiorum DEI amplificent, dein verò etiam ut magno Monarchæ nostro, & Regi Hispano pro viribus gratificentur: ob eam nempe rationem, ut tanto Regi ac Benefa-

ctori aliquatenus gratos sese exhibeant; quippe qui præter alios millenos favores, quibus indesinenter & clementissimè beat minimam Jesu Societatem, etiam ad has novas Neophytorum Chiquitorum Colonias sustentandas, & augmentandas totos quantos thesauros expendit. Cæterùm etsi numerus Missionariorum è Societate nostra, hîc loci laborantium, non parvus videatur, secundùm se consideratus, si tamen tantam, & vix credibilem Regionum illarum vastitatem quis respiciat, non sine animi dolore exclamare cogetur: *Messis quidem multa, operarii autem pauci.* Utinam! Summæ Bonitatis Deus, tanquam Dominus hujus messis Evangelicæ, multorum corda eò permoveat, ut & ipsi falcem missuri in messem appropperent, & juncto plurium Messorum labore adhuc copiosiores fructus in divina horrea inferantur. Mihi profectò videtur, quòd nullo æquè ac hoc nostro tempore veriùs potuerit ab omnibus pronuntiari illud, sed non sine lacrymis: *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* In regione enim Chiquitorum (quæ vox Hispana denotat *parvulos vel paucos*) sunt innumeræ animæ, quæ instantissimè, & indesinenter opem implorant, & clamant, ut earum miseratio nos tangat, & illis Patres (quo nòmine Missionarios vocant) submittamus, à quibus instruantur. Sed ô ingens luctus & dolor! Dum Europa abundat sacratis Deo hominibus, fortasse otiosis, carent hi miserrimi populi in eo orbis tractu operariorum subsidio, qui ipsis Evangelicum panem frangant: id quod tam inflammato desiderio postulant: *Et non erat, qui frangeret eis.* Jam verò in consideratione omnium, quæ adhuc attulimus, potéstne vel unus ex filiis S. Patriarchæ nostri Ignatii inveniri, cui lamentabilis tot miserabilium clamor cor non discindat, & copiosas ex oculis lacrymas non exprimat? Cujus

Cujus tandem pectus usque adeò obduruit, ut nulla commiseratione moveatur, nec his Christi sanguine redemptis, & extrema derelictione afflictis animabus omni, quo potest, modo succurrere, & opem ferre desideret? Essent quidem, si velificari affectui meo vellem, multo plura dicenda de gloriosis horum ferventium Virorum laboribus: sed cùm id rerum circumstantiæ non admittant, finem dicendi facio, non item demirandi. Id unum assevero, quandoquidem in hac relatione nihil admodū adversùs fidei nostræ sanctitatem, nihil adversùs observantiā erga Regem nostrum & Dominum, nihil contra probatos mores ego legerim, censeo & assevero, posse ac debere liberam omninò concedi licentiam, ut utile hoc opusculum typis vulgetur; Neque enim mihi est ullum dubium, evulgatâ hac historiâ Spiritum Divinum in multorum Lectorum cordibus tantam charitatis flammam & zelum animarum excitaturum, ut vel ipsimet in viam se dent, & laboraturi in hac vinea novum adire orbem non horreant, vel certè ut omnia alia adjumenta, quoad poterunt eò conferant, uti nimirum desertissimæ hæ animæ, defectu Apostolicarum operarum perituræ, juventur, cœlíque janua illis patefiat. Atque hæc est mea minima, sed sincera Sententia. Datum in Collegio Imperiali Madriti 24. Aug. Anno 1726.

ALBERTUS PUEYO,
Soc. Jesu.

APPRO-

APPROBATIO
Rev. P. Josephi de Silva Concionatoris Regii in Collegio Imperiali Soc. Jesu.

Ex mandato suæ Regiæ Majestatis non sine delectatione, & solatio perlegi Relationem Missionum, quibus Patres Societatis Jesu in Paraquariensi Chiquitorum Regione initium fecerunt, quod hodiéque prosequuntur. In harum enim lustratione deprehendi, facta horum Virorum, qui laborârunt, & pergunt laborare cum Magni Indiarum Apostoli S. Xaverii operibus posse meritò comparari: Sivè spectemus ingentem multitudinem, sivè ferinam immanitatem gentium, ad Christi Ovile reductarum. Mihi quidem videtur, Deum eadem gratiæ miracula, quæ, ut Marci 16. legere est, in primæva Ecclesia operabatur, nostris temporibus in hac Paraquariæ de novo fundata rectè credentium Ecclesia instaurâsse, atque hac ratione sanctæ Fidei veritatem roborare voluisse. Quam ipsam veritatem non pauci ex Apostolicis his Viris obsignârunt suo sanguine, quem inter Indos, similiores feris, quàm hominibus ex violenta morte profuderunt. Est proin, mea opinione causæ satis afferen-

rendi, Magnum gentium Apoſtolum S. Paulum labores, ſibi à DEo commiſſos (*utpote nomen meum coram gentibus & regibus & filiis Iſraël*) inter hos Apoſtolicos Viros diſpertiiſſe. Nam & ipſi Nomen JESU Sacroſanctum cum Fide Chriſti in hanc novam, & magnam orbis partem tranſtulerunt, & miris quoque modis glorioſum reddiderunt, ut adeò debeatur illis ea merces, quam DEus Opt. Max. per Prophetam Jeremiam, & per S. Apoſtolum Paulum pollicitus eſt iis omnibus, quicunque Divinæ Majeſtatis Nomen usque ad extremum terræ prædicaverint. Ut verò Apoſtolicos hos Viros, aliorum calamis laudandos transmittam, quibus & major id præſtandi facultas eſt, & in quos minùs ſuſpicionis cadit; & aſſentationis, abſtineo ab omni cætera laude, & tantummodò cum S. Greg. Homil. 13. in Marcum ingemo: *Ad meſſem multam, Operarii ſunt pauci, quod non ſine mœrore, & lacrymis loqui poſſumus.* Ea tamen ſpe me ſolor, fore, ut ex lectione præſentis hiſtoriæ multorum corda inflammentur, ne otioſi deinceps operarii ſtent, ſed in vinea Domini ſtrenuè laborare intendant. Cenſeo proinde, hoc opus, ex quo nihil magìs emerget, quàm major DEI gloria, publicæ luci eſſe exponendum. Datum in Collegio Imperiali Soc. JEsu, Madriti 21. Auguſti, Anno 1726.

JOS: de SILVA.

MICHAËL ANGELUS TAMBURINUS,
Præpositus Generalis Societatis Jesu.

Cùm Relationem Missionum à Patribus nostræ Societatis apud Chiquitos, in Paraquariæ Provincia, à P. Joanne Patricio Fernandez nostræ Societatis conscriptam, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ita videbitur. Cujus rei gratia, has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Romæ 16. Aprilis, Anno 1726.

MICHAËL ANGELUS
TAMBURINUS.

LICEN-

LICENTIA ORDINARII.

NOs Doctor Don Christophorus Damasio, Canonicus Insignis Ecclesiæ Collegiatæ Sacri Montis Ylipulitani Valparagso, extra muros civitatis Granodensis, Inquisitor Ordinarius, & Vicarius hujus Urbis Madritensis, &c. pro præsenti, & quantum ad nos attinet, damus licentiam imprimendi Relationem historialem Missionum Chiquitorum, quæ Curæ Patrum Societatis Jesu, in Provincia Paraquariæ subsunt, conscriptam à P. Joanne Patricio Fernandez, ejusdem Societatis Sacerdote, cùm in ea nihil occurrat, quod Sacræ Romanæ Fidei, aut bonis moribus opponatur. Datum Madriti 13. Aug. 1726.

Doctor DAMASIO.

LICENTIA REGII CONSILII.

DOn Balthasar de San Pedro Acevedo Secretarius Cameræ Regiæ, & Consilii notum facio, quòd à dicti Consilii Senatoribus data fuerit Licentia P. Joanni Patricio Fernandez, Societatis JESU, una vice imprimendi Librum, quem composuit sub titulo: *Relacion Historial, de Las Missiones de Los Indos, quellaman Chiquitos, en La Provincia de Paraquay.* Cum hac conditione, ut dicta impressio fiat secundùm Originale, ad finem Sigillo meo, & manu firmatum, & ut antequam vendatur, deferatur ad Consilium, ut pateat, an secundùm Originale sit impressum. In quorum fidem dedi præsentes literas. Madriti 12. Aug. 1727.

Don BALTHASAR
de San PEDRO.

FACUL-

FACULTAS
Rev. Patris PROVINCIALIS
Cum Privilegio Cæsareo.

CÙm D. Mathias Wolff, Bibliopola Augustanus, typis mandare desideret Librum cui Titulus: *Historica Relatio de Apostolicis Missionibus Patrum Societatis JESU, apud Chiquitos*, primùm ab uno è Nostris Hispanico Idiomate conscriptum, nunc ab alio ejusdem Societatis Sacerdote, in Linguam Latinam translatum; Ego JOSEPHUS MAYR, Societatis JESU, per Germaniam Superiorem Præpositus Provincialis, potestate mihi ab Adm. Rev. P. N. FRANCISCO RETZ, ejusdem Societatis Præposito Generali, concessa, eidem ad hanc primam editionem facultatem impertio, simúlque communico Privilegium Cæsareum, quô aliis Bibliopolis & Typographis interdicitur, ne dictum Librum citra consensum Superiorum vel recudere, vel intra fines Imperii, & Hæreditarias Sac. Cæs. Majestatis Provincias inferre præsumant. In cujus confirmationem has literas, chirographô meô & consueto officii mei Sigillo munitas dedi. Monachii 3. Septembris, 1732.

JOSEPHUS MAYR.

Proteſtatio Auctoris.

Cùm neceſſe ſit in decurſu præſentis Relationis dicere aliqua de compluribus Apoſtolicis Viris, qui à Barbaris pro ſancta fide, quam eis evangelizabant, occiſi fuerunt, uti etiam eventus aliquos mirabiles, quos Deus ſupra naturæ vires in bonum fidei, & ſolatium Miſſionariorum patrâſſe videri poſſit, omnibus notum facio, me nihil ultrà fidem humanam hîc affirmare velle, atque ideo tantum abeſt, me poſitos à S. Romana Eccleſia limites transgredi, aut contra Pontificum ſtatuta quocunque modo agere velle, ut potiùs me atque præſens hoc opus judicio ac Cenſuræ ejusdem Sanctiſſimæ Eccleſiæ totum quantum ſubjiciam.

Monitum Translatoris.

Nihil feré mutavi in præſenti hiſtoria, niſi idioma. Capita tamen longiſſima in paragraphos ſecanda putavi, ut facilitati legentium conſulerem, ex quo nihil decedet hiſtoriæ, imò clarior evadet ob additas ſingulis paragraphis ſynopſes.

HISTORICA RELATIO
DE
APOSTOLICIS MISSIONIBUS
PATRUM SOCIETATIS JESU.
Apud Chiquitos, Paraquariæ Populos.

PRÆFATIO.

PRæsentem hanc de Apostolicis Missionibus Patrum Soc. Jesu in Paraquaria historiam non venditamus, velut ad omnes Artis regulas exactam. Est peritior alterius stylus, qui Patrem Nicolaum del Techo prosequuturus, accuratiorem, & legibus historicis conformiorem relationem elaborabit, & in lucem publicam dabit, de rebus nostræ Paraquariensis Provinciæ, præsertim de gentium conversione, & progressu nostræ S. Religionis. In hac brevi historia solùm intendimus pauca aliqua, quoad nimirum sinent adjuncta rerum, conscribere de reductione barbararum nationum de duris & ærumnosis laboribus eorum, qui his populis Christo lucrandis sudorem, valetudinem, quin ipsam vitam consecrant, de indole & moribus quà ipsorum incolarum, quà Regionum, quas inhabitant, de superstitiosis ritibus, quibus sunt addicti. Multi equidem insignes Viri veríque heroes in hac Chiquitorum vinea desudârunt, quorum laus omnino hîc poni merebatur. Quoniam verò una ex parte eorum aliqua multi adhuc in vita superstites, hodiedum

in

in agro Domini laborant: ex altera autem parte præfixi deſcriptionis limites id non concedant, encomia eorundem virtuti debita commodiori occaſioni, & fuſiori relationi, de qua ſuprà dictum eſt, reſervantur. Animadvertendum igitur hoc loco eſt, hanc lucubrationem nullatenus loqui de tota Miſſione, & Provincia Paraquariæ (hoc enim majoris molis opus deſideraret) ſed duntaxat de modica ejusdē parte, videlicet de regione Chiquitorum hîc fit mentio, ídque properanter & breviter. Sciendum quoque eſt, dum fortè de itinerum longitudine, de amplitudine Regionum, atque adeò de milliaribus ſermo incidit, quòd ibi non intelligantur milliaria Germanica, Gallica vel Italica, ſed Hiſpanica, quorum unum nonnihil ſuperat dimidium Germanici milliaris, ſive horam. De cætero nihil aliud hoc opere quæritur, quàm ut in cordibus eorum, qui vel vì vocationis ſuæ, vel ex ſtimulo virtutis, & Chriſtianæ charitatis ſe zelo accendi ſentiunt, hæc divini Spiritûs flamma conſervetur, & ampliùs dilatetur. Nihil proindè curandum eſt, quidquid fortaſſis torpentes & frigidæ animæ, vel invidia quorundam adversùs Societatem noſtram, vel denique impietas aliquorum, de ſancta Fide malè ſentientium contrà vel cogitare, vel loqui præſumpſerint. Quandoquidem hîc nihil aliud affectatur, quàm major Dei gloria, quæ unicus harum Miſſionum, & univerſæ Societatis Scopus nunquam non fuit, & eſt, & erit.

INDEX
CAPITUM, ET PARAGRAPHORUM.
CAPUT I.

DE Ortu, & Progressu Missionum. fol. 1

Cap. I. §. 1.

1. Longitudo Paraquariæ. Ejus Gubernatores sacri, & profani. 2. Nomina & numerus Reductionum, & Conversorum ibi Indorum hactenus. ibid.

Cap. I. §. 2.

1. Limites Chiquitanæ terræ, & flumina. 2. Prisci ejusdem incolæ, dein transmigrantes. 3. Mors truculenta Alexii Garciæ Lusitani. 4. Chiriquani anthropophagi indomabiles. fol. 2

Cap. I. §. 3.

1. Chiriquanorum Legatio pro dono Fidei. 2. Mirè his mittitur Pater de Arce, qui ope S. Xaverii sanatur. fol. 4

Cap. I. §. 4.

1. Remoræ Missionis. 2. Pars Chiriquanorum Patrem de Arce invitant. 3. Pars altera nostros repellunt. fol. 6

Cap. I. §. 5.

1. Indoles Chiriquanæ Gentis ad flumen Pilcomayum. 2. Vis mali exempli ab Europæis contra Catholici Regis decreta. fol. 7

Cap. I. §. 6.

1. P. Arce ad Guairanos abit. 2. Refractarii nuper Fidem ultrò sollicitant 3. Tricæ Indorum componendæ. fol. 8

Cap. I. §. 7.

1. Pax conciliata. 2. Baptismus infantium, & morientium. 3. Passim petuntur Fidei Doctores. fol. 10

)()()()(Cap. I.

Cap. I. §. 8.

1. Excitatæ turbæ per Apoſtatas. 2. Ceremoniæ conſultantium Indorum. 3. Fundatur Colonia S. P. N. Ignatii. fol. 13

CAPUT II. §. 1.

1. De Regione Chiquitorum. 2. Ejus flumina. 3. Mellis copia, & animalia. 4. Piſcatio. 5. Fruges. 6. Temperies plagæ. 7. Morbi, & modus ineptus medendi & crudelis. fol. 16

Cap. II. §. 2.

1. Indoles, mores, forma. 2. Veſtitus. 3. Arma Chiquitorum.. 4. Regimen. 5. Potus Chicha. Ritus nubentium. 6. Habitatio. 7. Hoſpitalitas. Convivia. Ebrietas ſublata. fol. 20

Cap. II. §. 3.

1. Partitio diei, & annui Labores. Victus. Luſus. 2. Religio Chiquitorum. Sepultura. Luna eclipſata telis defenditur. Fulguris, & fulminis interpretatio. 3. Superſtitio. fol. 24

Cap. II. §. 4.

1. De perdifficili lingua Chiquitorum. 3. Ejus linguæ ſpecimen. fol. 27

CAPUT III.

Gens Chiquitorum detecta. fol. 31

Cap. III. §. 1.

1. Origo fluminis Paraquarii quæritur. 2. Hiſpani ſedem figunt apud Chiquitos. 3. Trucidantur novi Domini ob avaritiam. 4. Reſidui Hiſpani profugi condunt Urbem S. Laurentii. 5. Vicus S. Xaverii fit Chriſtianorum Reductio 6. Barbari Hiſpanorum prædia exſpoliant, denique ipſosmet necant. 7. Talionem experiuntur ab Hiſpanis. fol. 31

Cap. III. §. 2.

1. Chiquiti pacem petunt. 2. Valdè minuuntur per Hiſpanos & Mamalucos. fol. 33

Cap. III. §. 3.

1. De Mamalucorum origine, & maleficiis, poſtquam Luſitani Braſiliâ potiti. 2. Urbs Piratininga nidus Mamalucorum. 3. à Deo, & Rege deficiunt. 4. Situs Piratiningæ. Soli fertilitas. 5. Plagiarii Mamaluci cum ruina Urbium, & Miſſionum. fol. 34

Cap. III.

Cap. III. §. 4.

1. Inaudita Mamalucorum impietas. 2. Puniuntur à Deo, & Indis victoribus. fol. 36

CAPUT IV.

P. Jos. Arce dat initium novæ Reductioni Chiquitorum post superatas multas difficultatas. fol. 38

Cap. IV. §. 1.

1. Paraquarii origo in vestiganda Patri Arce demandatur. 2. Supplementum novum Missionariorum. 3. Obstacula Patri Arce facta. 4. Obstacula à plagiariis Hispanis, & institoribus iniquis. fol. 38

Cap. IV. §. 2.

1. Causa plagiariorum diu non decisa pendet. 2. Graves pœnæ in eos statutæ tandem. fol. 41

Cap. IV. §. 3.

1. P. Arce præclusam sibi Missionem constantiâ evincit. 2. Iter ejus ad Chiquitos. 3. Lues inter illos. 4. Nova sedes eligitur. Templum struitur novæ Reductioni. fol. 42

Cap. IV. §. 4.

1. Indi, dicti Penoquìs adjunguntur novæ Reductioni. 2. Morbus P. Arce. Avocatur à Superiore. Locus Coloniæ mutatur. fol. 45

CAPUT V.

De perniciosis, sed irritis Mamalucorum technis adversùs memoratos populos. De strage Mamalucorum. fol. 47

Cap. V. §. 1.

1. Irruptio Mamalucorum. 2. His cladem inferunt Pinoquisii. 3. Altera incursio Mamalucorum cum clade Neophytorum per dolum. ibid.

Cap. V. §. 2.

1. P. Arce contra Mamalucos colligit suppetias. 2. Militare subsidium Hispanorum. 3. Felix pugna contra Mamalucos, nostris cum S. Cruce præeuntibus. fol. 49

Cap. V. §. 3.

1. Discordia Hispanorum vitiat plenam victoriam. 2. Iterata clades Mamalucorum. 3. Guaranii pridem capti à Mamalucis post cladem eorum deficiunt, & fiunt Christiani. fol. 52

CAPUT VI.

De varia Reductionum novarum mutatione, & de morte P. Antonii Fideli. fol. 54

Cap. VI. §. 1.

1. Turbatio, & jactura Missionum. 2. Nostri ad necem quæruntur, fugantur. 3. Colonia S. Xaverii bis transfertur. 4. Reductio S. Raphaëlis etiam mutatur. fol. 54

Cap. VI. §. 2.

1. Reductio S. Josephi inter maximè florentes. 2. P. Antonii Fideli labores strenui. 3. Ejus matura, sed pia mors. fol. 56

Cap' VI. §. 3.

1. P. Antonii Fideli vita, virtus, navigatio morosa in Indiam. 2. Charitas PP. Franciscanorum in ejectos vi tempestatis. 3. Iterata ejectio in Brasiliam. 4. Missio S. Joannis Baptistæ. fol. 58

CAPUT VII.

De Missionum ærumnis per eas terras. fol. 61

Cap. VII. §. 1.

1. Modus venandi animas. 2. Difficultas, & pericula hujus venationis. 3. Alia & crebra mortis discrimina, & sexcentæ ærumnæ. 4. Nec tamen sine sacro solatio. fol. 61

Cap. VII. §. 2.

1. Stabiliuntur priores ærumnæ. 2. Soliditas virtutum ad has requiritur. 3. Longævitas Patrum inter tot ærumnas. fol. 63

CAPUT VIII.

De fervore, & pietate novorum Christianorum, quam Deus miris eventis est remuneratus. fol. 66

Cap. VIII. §. 1.

1. Accurata legis divinæ observantia in conversis Indis: cruenta pœnitentia. 2. Conscientiæ expiandæ candor. 3. Inda, ut innocentiam baptismi non perderet, mori optavit, & est mortua. fol. 66

Cap. VIII. §. 2.

1. Corrector Neophytorum, & castigatio, quà coacta, quà spontanea. 2. Chiquitæ fatales ponunt inimicitias: mansuetudinem ipsi vitæ præhabent. 3. Neophytorum exercitia pietatis planè admiranda. fol. 68.

Cap. VIII. §. 3.

1. Musica sacra Neophytorum sub noctem. Devotio munifica erga Deiparam. Processiones religiosæ. 2. Hos Indos judicârunt olim Hispani non esse homines, sed bestias in humana specie, & ut tales tractabant. 3. Papa declarat, Indos esse veros homines. fol. 71

Cap. VIII. §. 4.

1. Neophytorum pœnitentium agmen. 2. Supplicatio Festo Theophoriæ. 3. Impetrata pluvia: Lues aversa: annonæ defectus per prodigium tollitur. fol. 73

Cap. VIII. §. 5.

1. Neophyti summè æstimant Rosaria tanquam Scutum in adversis. 2. Inclamatum nomen *JESUS, MARIA*, à tigridis unguibus liberat. 3. MARIA invocata ægrum Indum sanat. 4. Lucidus è cœlo globus circumdat Christianos. 5. Adulter cæcitate punitur. 6. Sed pœnitens mirè visum recipit. fol. 75

Cap. VIII. §. 6.

1. Mira conversio venefici. 2. Et Apostatæ per serpentem. 3. Item impudici per fulmen. fol. 78

Cap. VIII. §. 7.

1. Impudicus juvenis miserè perit. 2. Exitium præstigiatoris. 3. Horrenda mors, & sepultura adulteri. fol. 82

Cap. VIII. §. 8.

1. Mira ostenta Neophyti ægrotantis, & ecstatici. 2. Via perditionis ostenditur. 3. Magia exprobratur. 4. Damnatus ex Orco rapitur. 5. Diabolus cogitur salutaria dicere. 6. Lamenta damnati. 7. Plures alii damnati in illa visione. fol. 85

Cap. VIII. §. 9.

1. Beata mors aliquorum Neophytorum. 2. Monita S. Angeli. 3. Ostenta cœlestia. 4. Peccata etiam ignorata, & non expiata obicem cœlo ponunt. fol. 88

Cap. VIII. §. 10.

1. B. V. MARIA spectabilis. 2. Oblatum Rosarium arguitur à Deipara, & restitui jussum. 3. Neophytus ex raptu sibi redditur. 4. Fructus ex narratis his eventis. 5. Zelus Neophytorum ad convertendos etiam alios. fol. 90

Cap. VIII. §. 11.

1. Zelus animarum in novellis Christianis. 2. Prodigium in Lacu per veneficium cruento. 3. Item in periculo luculenti incendii auctore diabolo. fol. 93

CAPUT IX.

Quæritur per flumen Paraquarium communicatio Missionum cum Guaraniсis populis. fol. 95

Cap. IX. §. 1.

1. Via brevior ad Chiquitos quæritur. 2. Indus Catechumenus suos gentiles ad fidem permovet. 3. Pericula in itinere. Error in flumine, quod Paraquarium esse, malè credebatur. fol. 95

Cap. IX. §. 2.

1. Itinerarium per terras & aquas. 2. Pacem respuunt barbari. 3. Legatus pro pace cum sociis occiditur. 4. Navigantes infestantur à Barbaris. 5. Locus herbæ Paraquariensis. 6. Cruces à Barbaris ipsis erectæ contra incursum tigridum. 7. Duo Patres à Mamalucis ad mortem usque cæduntur. Orizæ nativæ, non sativæ ingens copia. fol. 98

Cap. IX. §. 3.

1. Nex duorum Fratrum nostrorum. 2. Ignis accensi fumus nuntius adventantium hospitum vel hostium. 3. Mors aliquorum è nostris. 4. Diversissimi iterum populi circa Paraquarium. fol. 101

Cap. IX. §. 4.

1. Indi insignis benevolentia, & liberalitas. 2. Lacus, ex quo originem trahit Paraquarius. Fertilis ejusdem Insula à Mamalucis destructa. 3. Indi se jungunt navigantibus cum spe convertendæ suæ gentis, datis interim pueris, quasi obsidum loco post nostra munuscula. fol. 104

Cap. IX. §. 5.

1. Payaguani nostrorum interfectores ad Christi fidem invitantur. 2. Mutua à nobis & illis munera. 3. Eorum hostilitates, & perpetua locorum mutatio sunt impedimento, quò minùs convertantur. 4. Duplex navigantium periculum, ope Mariana depulsum. fol. 107.

Cap. IX. §. 6.

1. Mors unius è Sociis itineris, & honor illi habitus. 2. Finis itineris, in quo præter mortuos sedecim Indos cæteri morbis tentati. fol. 109

Cap. IX. §. 7.

1. Novum iter per undas, & terras explorandi causa, sed sinistro exitu. 2. Morbi nostrorum Patrum, & mors Fratris cum vitæ compendio. fol. 110

Cap. IX. §. 8.

1. Guarayi Indi à Christianis ad fidem adducti. 2. Lacus Mamorè detectus, ubi portus Mamalucorum fuerat. 3. Periculum Patrum. 4. Payaquani læsi pacem frangunt. fol. 112

CAPUT X.

Reductiones aliquæ mutantur. Neophytos infortunium involvit. fol. 114

Cap. X. §. 1.

1. Quatuor Coloniæ sedem mutant cum augmento accedentium Barbarorum. 2. Brevior via ad Chiquitos iterum, sed frustrà desideratur. 3. Chiriquani nostris conspectis, veluti Mamalucis aufugiunt. 4. Periculum à fraudulentis Barbaris declinatur. fol. 114

Cap. X. §. 2.

1. Christiani sunt plagiarii non ad Barbarorum servitutem, sed ad libertatem filiorum Dei. 2. Inermes enim hi plagiarii se sinunt potiùs trucidari. 3. Saucius Indus cœlitùs post ultima Sacramenta sanatur. 4. Auctores cædis cæduntur à Christianis. fol. 118

Cap. X. §. 3.

1. Christiani multas Barbarorum familias addunt ad Fidem. 2. Cæsorum pro Christo corpora requiruntur. 3. Duæ recentes Coloniæ locatæ. fol. 120

CAPUT XI.

Nativitas, ingressus in Societatem Jesu, & primus fervor, dein labores Venerabilis Patris Lucæ Cavallero, tandem Martyris. fol. 122

Cap. XI. §. 1.

1. Patria Patris Cavallero: conditio parentum: pia educatio: pudor virgineus. 2. Literarum studia. Recipitur in Societatem Jesu. Indias affectat & obtinet. fol. 122

Cap. XI. §. 2.

1. Vela facit: exscendit in portu boni aëris: altiora ejusj studia. Superbiæ spiritus ipsum vexat, & impedit: Fit Sacerdos. 2. Initia facit Missionis apud obstinatos Pampas. 3. Chiriquanis biennium frustrà impendit, pulsis tandem Patribus cum P. Cavallero. 4. Defertur ad Chiquitos. Ejus zelus & fructus. Item morbi. fol. 123

Cap. XI.

Cap. XI. §. 3.

1. Detritæ ejus vires cum veste miserrima referunt mancipium: jocantes ideò in se Barbaros ad fidem permovet. 2. Plagiariis Europæis, fortiter resistit. 3. Puraxes docet, illísque pluviam à Cœlo impetrat. fol. 125

Cap. XI. §. 4.

1. Calumnia, Patri Cavallero impacta ab Europæo, non invenit Fidem apud Puraxes. 2. Expostulatio, & minæ scelerati Europæi spernuntur à Patre. fol. 126

CAPUT XII.

P. Cavallero proficiscitur ad Manacicos. Indi, necem Patris meditantes puniuntur. fol. 128

Cap. XII. §. 1.

1. Tres populi ad fidem proni: infantes baptizantur. P. Cavallero morbo sternitur: voto facto convalescit. 2. Frustrà terretur, ne Manacicos adiret. 3. Patris magnanimitas animat Puraxes. fol. 128

Cap. XII. §. 2.

1. Inimicitia gentis cum gente impedit petitam pluviam. 2. Renovata pax eandem feliciter impetrat. 3. Metus Comitum redire volentium. 4. Confirmantur in itinere prorsus periculoso. fol. 130

Cap. XII. §. 3.

1. Territi iterum Comites, exemplo Patris Crucem præferentis, propinquant Barbari. 2. Hi ad hospitum conspectum in arma ruunt. 3. Pater Cavallero stat cum Cruce in manibus imperterritus. 4. Izu interpres suos Manacicos pacat, & ad fidei gratiam permovet in medio impetu necandi omnes. fol. 132

Cap. XII. §. 4.

1. Pax firmatur cum Manacicis jam Catechumenis. 2. Accedunt pacis fœderi plures populi. 3. Redire cogitur P. Cavallero invitis Neophytis. 4. Diaboli stropha ad perdendum Patrem Cavallero, sed per abitum Patris elusa, cujus laudes enuntiant vel ipsi Barbari, pugnaturi contra Orci irritatos satellites. 5. Lue pereunt machinatores necandi Patris Cavallero rabidorum canum instar: nigra eorum cadavera, alba baptizatorum ex peste morientium. 6. Alii Crucem evertentes miserè mortui. fol. 134

CAPUT XIII.

Descriptio Regionis, superstitionum, rituum, & aliarum proprietatum, apud populos Manacicos. fol. 137

Cap. XIII. §. 1.

1. Varii fructus & feræ Regionis. Famacosio sic dictum animal mirabile, & nocens. Fructus Bainilla, & Tutumas. Pisces & messis copiosa. 2. Species incolarum, & indoles. 3. Architectura eorum. 4. Labor fœminarum. Ritus conviviorum. fol. 137

Cap. XIII. §. 2.

1. Auctoritas & potestas Caciquiorum, quibus obeditur in summo rigore. 2. Polygamia. Hæreditarium dominium. 3. Frequentia hujus populi. Regionis descriptio cum populis variis. 4. Peresiucæ aves parvæ, sed mortiferæ. fol. 139

Cap. XIII. §. 3.

1. Superstitiones Manacicorum, mixtæ quasi umbrâ Christianâ, ex S. Apostolo Thoma residuâ, de Christi nativitate ex Virgine, ejus miraculis, & ascensione. 2. Interim dæmones visibiles colunt. fol. 142

Cap. XIII. §. 4.

1. Æmulatur diabolus veram Ecclesiam, fingens tres DEI Personas, & hujus genitricem misero gentis istius ludibrio. 2. Ritus adorationis, & salutationis in adventu dæmonum terribili. 3. Responsio Satanæ, & adhortatio, dum se rerũ creatorem fert cum stygia aula pedissequa. 4. Compotationes, choreæ, ad quas hortatur diabolus. Cædes ebriorum. 5. Etiam dæmones simulant se sitire Chicham potionis gentis. fol. 143

Cap. XIII. §. 5.

1. Post compotationem à Satana fit musica ad Sancta Sanctorum, quæ patent soli sacrificulo. 2. Nullus pagus sine tali præstigiatore. Oracula Orci semper prospera cum reciproco scommate Barbarorum: interim ab Orco ad bella irritantur. 3. Dona diabolis oblata & gustata. Abitus eorum cum ingenti tumultu. Mapano sacrificulus magus abit in cœlum, & redit miris modis. fol. 145.

Cap. XIII. §. 6.

1. Dii aquarum coluntur fumo tabacæ herbæ, & oblata parte piscium. 2. Honor, & tributum sacrificulo Mapanoni præstitum; ejus arcana hausta ex Orco. 3. Popæ domus. Ejus aliquando solitudo. Candidati Poparum instruuntur rigidè: Jejunium, dein convivium. fol. 148

Cap. XIII. §. 7.

1. Manacici credunt immortalem animam, ad cœlos recipiendam. Exequiæ eorum. 2. Iter fabulosum animæ defunctæ. 3. Diabolus in specie Charontis animas transvehere creditur. 4. Aliæ ineptiæ de mortuis. 5. Quale cœlum defunctis suis in eorum opinione. fol. 150

CAPUT XIV. §. 1.

P. Lucas Cavallero pergit in Missione modò descriptorum Manacicorum. fol. 152

Cap. XIV. §. 2.

1. Pacem persuadet. Periculum in montibus. 2. Inopia victûs. Herba, quâ Dii vescuntur, insulsa. 3. Diabolus affligit Patrem variè. 4. Zibicæ populi Patrem habent hostis, quin magi loco. Causa hujus opinionis. 5. Conversio Caciquii, & popæ junioris convertit totum populum. fol. 154

Cap. XIV. §. 3.

1. Ringitur Orcus ob correptionem populi. 2. Exagitat popam conversum: querelæ ejusdem diaboli, & minæ, 3. Quas popa constans in fide ridet: ideò cæditur à dæmonibus usque ad sanguinem, & vitæ discrimen. Tantæ constantiæ præmium est subita sanitas à cœlo data Mapanoni popæ juniori. fol. 157

Cap. XIV. §. 4.

1. P. Cavallero adit Quiriquicas ad pacem sanciendam cum inermibus Sociis Indis. 2. Charitas horum erga Patrem famis tempore. 3. Adventum Patris dæmon antè prodit inter querelas contra eundem, simul ad arma vocat. 4. Mapano popa ex ipsis querelis diaboli, Patrem timentis, convertitur. fol. 158

Cap. XIV. §. 5.

1. Visis nostris fugiunt Barbari: P. Cavallero insequitur profugos. 2. MARIÆ effigies ostensa barbaros arcus enervat. 3. Delubri aras, & alia Pater evertit, aut comburit. 4. Comites Patrem deserunt paucis exceptis. 5. Breviarium putatur liber magicus. Mors Patris designatur, sed metu avertitur. fol. 160

Cap. XIV. §. 6.

1. Patris necem meditantes peste pereunt. Hoc ipsum movet ad conversionem, quam juvat Indus Sonena nomine. 2. Se dedunt arbitrio Patris. 3. Mapano popa non tantùm conversus, sed & Apostolus. fol. 162

Cap. XIV. §. 7.

1. Barbaris mirè conversis Crux solenniter erigitur. Litaniæ cantantur attonitis Barbaris. Infantes primò baptizantur ingenti numero. 2. Abitus Patris barbaris Catechumenis prorsus illætabilis. fol. 164

CAPUT XV.

P. Lucas Cavallero revertitur ad Manacicos. Visitat singulos eorum pagos, & aliâ viâ redit ad S. Xaverii Reductionem. fol. 166

Cap. XV. §. 1.

1. Forma Regionis. Anhelat P. Cavallero ad Chiquitos: excipitur amicè à Zibacis. 2. Pacem sancire satagit feliciter. 3. Tum verò prædicat Evangelium jam benè paratis. Fidei articuli cantantur. 4. Deipara invocata ægros sanat plures ad fidei incrementum. ibid.

Cap. XV. §. 2.

1. Jurucarès idololatras adit: dæmon ejus adventum inter querelas prædicit: fugiunt Barbari. 2. Persuadentur ad reditum, imò ad fidem. 3. Crux erigitur, adoratur: idololatria dedocetur. Popa primarius præit suos populares. 4. Proteruntur, comburuntur ad idololatriam spectantia. fol. 170

Cap. XV. §. 3.

1. Zibacæ Neophyti cum suo Caciquio promovent rem Christianam. 2. Jurucarès ad pacem faciendam permoventur. 3. Quiriquicæ putant Patrem esse pestis suæ causam. Refutatur stulta opinio. Inimici, in Patrem injurii, morte puniti. fol. 173

Cap. XV. §. 4.

1. Caciquius phrenaticus miraculo ad se redit, instruitur, baptizatur, piè moritur post preces Patris Cavallero. 2. Idem precibus suis pellit pestem. 3. Cosacas adiens Pater telorum nimbo salutatur. 4. Tela prodigiosè retorta salvo Patre, qui scuti loco Deiparæ effigiem extulit adversùs tela. fol. 175

Cap. XV. §. 5.

1. Barbari furorem ponunt. 2. Ad verba Patris popa primus omnium fidei lumen accipit. 3. Barbarus in ipso Deorum fano baptizatur. 4. P. Cavallero iterum ad necem quæsitus per Angelum servatur. 5. Sauciorum Neophytorum patientia: sanantur divinitùs. fol. 177

Cap. XV §. 6.

1. Certatim volunt fieri Christiani Cozacæ: uti & Zubarecæ populi. 2. P. Cavallero adit illos. Honor crucibus habitus. 3. Ægros omnes

nes sanat Pater recitato S. Evangelio. Idololatræ subitò adoratores S. Crucis. 4. Ægris Comitibus Pater sanitatem à cœlo impetrat suis precibus. 5. Angelus apparet uni ex ægris, qui omnes sanantur, iterum alacres ad itinerum molestias. fol. 179

Cap. XV. §. 7.

1. Incommoda viarum. Victûs inopia. Pagani Comites Patrem deserunt. 2. Uni è Christianis apparens Deipara hortatur, ne deserat Patrem cum aliis viæ sociis. 3. Venit Pater ad Aruporecas, cum quibus tendit ad Tapacuràs. Parùm gratus ejus adventus. 4. Causa hujus aversionis, nempe crux eversa à Barbaris, & ideò lue sublatis. Errorem dedocti morem gerunt Patri. 5. Dæmon prænuntians adventum Patris vacuat incolis pagos. fol. 182

Cap. XV. §. 8.

1. Summa difficultas itineris. Amicè accipitur Pater. 2. Sed suasu diaboli infantes subducuntur. 3. Pater in vindictam erigit crucem ad ipsum fanum. Calcat pedibus idola. 4. Bohozas adit, benevolè exceptus. 5. Ethnici Christianos æmulati, crucem ipsi erigunt: se flagris cædunt. qua ratione pestem extinguunt. Confirmantur ab Angelo viso: Coloniam novam conficiunt. fol. 184

CAPUT XVI.

Nova Reductio Conceptionis B. V. à P. Luca Cavallero fundata. Ejus gloriosa mors per manus Ethnicorum, quos Puyzocas vocant. fol. 188

Cap. XVI. §. 1.

1. Area novæ Reductionis eligitur. 2. Populi nudissimi, & idololatræ Patrem Cavallero proni audiunt. 3. Potum Chichæ sibi interdici nolunt. Modus conficiendæ Chichæ. 4. Ritus sepeliendi mortuos, præsente dæmone. 5. Fugit hic adveniente Patre, & popam secum ad Tartara rapit inter ejulatus. fol. 188

Cap. XVI. §. 2.

1. Nova Colonia augetur aliis Indis. P. Cavallero abit ad novam gentem mitiorem. 2. Salutatur ab hac emissis telis. Tamen adit intrepidus, & munera accipit. Explorat exequias Barbaras. 3. Cogitur invitus redire. Plagiarii Europæi crudelitate sua pessumdant omnia, exacerbatis inde contra fidem Barbaris. 4. Reductionem transfert aliò. fol. 190

Cap. XVI. §. 3.

1. Cosiricæ populi Christianis volunt annumerari. 2. Terribilis pugna animi in P. Cavallero, an Puyzocas adeat, nec ne. Vincit, & ad illos ire statuit.

ſtatuit. 3. Fictâ benevolentiâ excipitur. Comites Patris trucidantur: demum & ipſe Pater. fol. 193

Cap. XVI. §. 4.

1. Puyzocæ poſt Patris, & aliorum cædem terrore ſuo diſpergunt cæteros Chriſtianos. 2. Præſidium militare contra homicidas emittitur. Flamma conſpicitur ſupra cadaver Patris, quod incorruptum adhuc deprehendunt. 3. Jumenta militum ultrò, & prodigiosè adveniunt ad corpus Martyris deportandum. 4. Auctores necis miſerè pereunt. fol. 195

Cap. XVI. §. 5.

1. P. Lucæ Cavallero virtutes. Inſolitus zelus animarum. Caſtitas, eximia obedientia. 2. Animi demiſſio poſt tot præclarè acta ad animarum ſalutem. Deſiderium Martyrii: abſtinentia, paupertas. fol. 197

CAPUT XVII.

De converſione populi Morotocos & Quies. Item de nova per flumen Paraquarium detecta via ad has Miſſiones. fol. 200

Cap. XVII. §. 1.

1. Boxi Neophyti mittuntur ad Morotocos. Caſus lepidus Indi ſenis. Amicè ſuſcipiuntur. 2. Arma Morotocorum. Proles necant, ex quibus paucas reſervant. Uxor & domina domûs, & viri, ſervi viliſſimi. 3. Nullum certum illis regimen, nec religio. Infelix eorum regio. Potus ex palma. Nudi non frigent. Ætas longæva. ibid.

Cap. XVII. §. 2.

1. Morotoci benè afficiuntur Chriſtiano modo vivendi. Eorum pagi quinque ad Coloniam S. Joſephi transferuntur. 2. Alii Indorum pagi ſunt in ſpe converſionis: ſed memoria injuriarum cogit Neophytos retrocedere, oblatis duobus pueris, qui dein occaſio ſunt convertendæ ſuæ gentis. f. 202

Cap. XVII. §. 3.

1. Variarũ nationũ notitia accipitur, revera Regionis Chacoenſis (del Chaco) 2. Liberalitas in Zamucos parit odiũ inter Cucarates. 3. P. Zea neci proximus: eripitur à robuſto Neophyto. Fructus tamẽ Miſſionis hujus. f. 204

Cap. XXII. §. 4.

1. Iter difficillimum duorum Patrum inter continuas Barbarorum inſidias. Via tamen ad Chiquitos non reperitur. 2. Munuſculis deliniti Barbari ceſſant infeſtare. fol. 205

Cap. XVII. §. 5.

1. P. Joſ. de Arce terreſtri itinere pergit quætere quæſitam viam cum Comitibus Indis. 2. Fame premuntur. Sylvæ ſuperandæ difficultas.

3. Zelus Patris Arce infatigabilis inter perpetuas ærumnas. 4. Morbo corripitur, nec à suis deseritur. fol. 207

Cap. XVII. ʃ. 6.

1. Viam ad Chiquitos inveniunt cum gaudio: ad Reductionem S. Raphaëlis deferuntur, ubi P. Zea. 2. P. Arce iter continuare nititur, sed mora facta disponente DEO per pluvias, ne periret cum aliis. fol. 210

CAPUT XVIII.

P. Josephus de Arce, & P. Bartholomæus Blende à barbaris Payaquis trucidantur. Mentio brevis de utriusque Apostoli virtutibus. fol. 212

Cap. XVIII. ʃ. 1.

1. Apostata cum veneficiis evertit spem Missionis. 2. Necatur ab his ipsis P. Blende cum Sociis. fol. 212

Cap. XVIII. ʃ. 2.

1. P. Arce reperit cæsa Patris Blende, & Sociorum corpora. 2. Animat suos ad simile Martyrium. 3. P. Arce cum tredecim Christianis & ipse occiditur. 4. Cœleste omen ne is hujus futuræ. 5. Interfectores à Caciquio Catechumeno puniuntur. fol. 214

Cap. XVIII. ʃ. 3.

1. Vita & virtutes Patris de Arce. 2. Donum Orationis. 3. Humilitas. 4. Paupertas & abstinentia. 5. Palmaris virtus in sancienda pace. 6. Mors Patris truculenta ex odio fidei. fol. 218

Cap. XVIII. ʃ. 4.

1. Vita ac virtutes Patris Blende. 2. Ab Hollandis intercipitur cum sociis. Hæreticorum insolentia, & impudentia. 3. In Hollandiam cum capto Archi-Episcopo abducitur. Catholicos ibi juvat. 4. Liberatus cum sociis repetit navigationem in Indiam: ab Anglis invaduntur. fol. 222

CAPUT XIX.

Erectio novæ Coloniæ. Initium Missionis apud Zamucos per P. Joan. Bapt. de Zea, cum brevi vitæ ejusdem Patris descriptione. fol. 226

Cap. XIX. ʃ. 1.

1. Reductio S. Joan. Bapt. cum alia perit. 2. Reductio S. Josephi in duos dividitur. 3. Nova Reductio S. Joannis Bapt. sub P. Joan. Bapt. Xandra. 4. Iter Patris Zea perdifficile. ibid.

Cap. XIX. ʃ. 2.

1. P. Zea post exsectam in Sylva Purgatorii viam iter continuat. 2. A Neophytis aliquibus fraude diaboli in via deseritur. 3. Cum solis duodenis per novam Sylvam aperire semitam molitur, sed frustrà. fol. 228

Cap. XIX. §. 3.

1. Careràs populi anthropophagi. 2. Eorum bella cum Mororocis. 3. Pacem recusant, & fidem: velitatio cruenta cum Christianis Indis. 4. P. Zea tentatam nuper in saltu viam pervincit asciis. 5. A Zamucis amicissimè excipitur. 6. Reductioni S. Ignatii fit initium. fol. 232

Cap. XIX. §. 4.

Vita, & Virtutes Patris Zea, Apostoli. fol. 234. 235. 136. 237. &c.

Cap. XIX. §. 5.

1. Paupertas Patris Zea. 2. Sui abnegandi Studium. 3. Abstinentia. 4. Obedientia. 5. Charitas, zelus animarum, patientia. 6. Ejus obitus.

CAPUT XX.

De continuata Missione ad Zamucos per P. Michaëlem de Yegros, & Fratrem Albertum Romero, quorum posterior à Barbaris mactatur. fol. 241

Caq. XX. §. 1.

1. Iter Patris Yegros ad Zamucos. 2. Cupidè excipitur ab iisdem. 3. Difficultas novæ Coloniæ ex aquæ & victûs penuria. ibid.

Cap. XX. §. 2.

1. Fundanda Reductio S. Ignatii præter omnē spē subitò intercidit. 2. Violenta à Barbaris mors Fratris Romero Soc. Jesu, & duodecim Christianorū. f. 245

Cap. XX. §. 3.

Vita, & Virtutes Fratris Alberti Romero, Soc. Jesu.

1. Natus est à copiosis parentibus. Indias petit mercimonii causa. Post opes ad inopiam redigitur, sed ad salutem ejusdem. Fit nostris à familiaribus obsequiis, atque etiam Catechista, & Operarius Manualis, ægrorum insuper curator. 2. Sanctitati interim studet, orationi, & mortificationi deditus. A Satana visibili infestatur per triennium. 3. Societati Jesu adlegitur, pro fide dein occisus, ut dictum. fol. 246. 247. 248

CAPUT XXI.

De variis casibus aliarum Reductionum ad Annum 1717. & 1718. fol. 249

Cap. XXI. §. 1.

1. Chiquiti Christiani fiunt alii Indis Apostoli. 2. Reducunt multos ad Fidem, à qua vel solum nomen Mamalucorum absterret alios. ibid.

Cap. XXI. §. 2.

1. Infelix mors Indæ Christianæ, sed impudicæ. 2. Apparet terribilis post mortem, fassa causam damnationis. fol. 252

Cap. XXI. §. 3.

1. Vita & mors P. Josephi Tolu. Mirabilis visio ejusdem. 2. Mors item

Sur-

Surdastrorum duorum statim post factam Patri Confessionem. 3. Ejusdem Patris fortitudo sub intentata nece. 4. Animabus purgatorii omnia sua merita transcribit, & posthuma suffragia. fol. 254. 255. 256

CAPUT XXII. §. 1.

1. Brevis descriptio Regionis Chaco. 2. Ritus & indoles incolarum, diu resistentiũ Evangelio, cæsis etiam aliquot Apostolis. 3. Causa tantæ contumaciæ sunt ipsi Hispani. 4. Cæsi duo è nostris comparent post mortem. f. 257

Cap. XXII. §. 2.

1. P. Antonius Machomi fundat Reductionem S. Stephani. 2. Indoles & mores horum populorum: item religio, & Barbaries citrà ullam Legis naturalis cognitionem. 3. P. Machomi crebrò ad necem quæritur. 4. Baptismus dat etiam corporis sanitatem. fol. 261

Cap. XXII. §. 3.

1. Gens Europæi coloris detegitur. 2. Patres explorant incogniti fluvii accolas: innumerabilis grex equorũ & ovium. 3. Comitũ aliquorũ nex. f. 265

Cap. XXII. §. 4.

1. Pestis fugat incolas Reductionis S. Stephani. 2. Redeunt tandem. 3. Periculum ab aliis Barbaris. 4. S. Francisci Solani prophetia de Indis convertendis. fol. 267

CAPUT XXIII.

Ultima Relatio de Missionibus apud Chiriquanos, & Chiquitos. fol. 268

Cap. XXIII. §. 1.

1. Chiriquani post tot annorum tergiversationem ultrò petunt Missionarios. 2. Petitionis causa est Apostata post infelicem mortem apparens. 3. Fundatur Reductio. 4. Diabolus terribili forma reductis insultat. 5. Ope subitanea B. V. MARIÆ sanatur persona moriens: itẽ pluvia impetratur. f. 268

Cap. XXIII. §. 2.

1. De Chiquitis & Zamucis. 2. Guarayi profugi. 3. Incendium pagi separationem populi à populo suadet. 4. Via brevior ad Chiquitos denique inventa per P. Franciscum Hervàs. 5. Felix Neophytorum zelus in reducendis ad Fidem Indis. fol. 270

Cap. XXIII. §. 3.

1. Nomina & distantia Missionũ seu Reductionũ. 2. Cucutades populi respuunt Evangelium pauculis exceptis. 3. Sed per irruptionem hostiũ Ugaraniorũ impulsi, ad S. Fidem confugiunt. 4. Mors P. Francisci Hervàs. fol. 272

Annua enumeratio conversorum in Missionibus variis, quæ nominatim exprimuntur. fol. 275. 276.

CAPUT I.

De Ortu, Fundatione, & Progressu Missionum.

§. I.

1. Longitudo Paraquariæ. Gubernatores Sacri & profani. 2. Nomina & numerus Reductionum, & conversorum ibi Indorum hactenus.

NOn est mei propositi, integram moliri historiam de universa Paraquariæ Provincia Soc. Jesu. Illi qui de vastissimis his terris pleniorem cupiunt instructionem, consulant historiam P. Nicolai del Techo, unde sat eruditionis haurire est partim de ipsa regione, quæ ad sexcenta milliaria in longitudinem porrigitur, & à quinque Ecclesiasticis, & a totidem politicis gubernatoribus hodie regitur: partim etiam de gloriosis æquè ac laboriosis expeditionibus, quibus Patres Societatis Jesu conversionem harum gentium promoverunt. Id unum hîc breviter notandum duxi, iis temporibus, ad quæ memorata historia excurrit, Reductiones (hoc nomine vocant recèns conflatas populorum communitates) non plures numero, quàm viginti quatuor fuisse. Sitæ sunt omnes hæ reductiones secundùm utraque litora ingentium fluviorum Parannà, & Uraquay, qui, ubi sese in flumen Paraquarium exonerarunt, vastissimum & celebratissimum flumen Rio la Plata, sive Argenteum conficiunt. 1.

2\. Excrevit modò numerus Christianarum Reductionum ad un- & triginta. Cum his proin etiam multitudo Neophytorum Indorum (qui in toto eo tractu Guaranii dicuntur) ita aucta est, ut Anno 1717. in solis his novis communitatibus centena, viginti, & unum millia personarum præter centum, & octoginta octo numerarentur. Hæ omnes animæ sacri baptismi lavacro per manus Patrum nostrorum sunt expiatæ. Nomen dederunt his novis Coloniis Sancti Tutelares, puta, Sancti Apostoli, intemerata Conceptio Virginis Matris, Beati tres Martyres Japonenses, S. Maria Major, S. Franciscus Xaverius, S. Nicolaus, S. Aloysius Gonzaga, S. Laurentius, S. Joannes Baptista, S. Michaël Archangelus, SS. Angeli Custodes, S. Apostolus Thomas, S. Franciscus Borgia, Nomen Sacrosanctum Jesu & Mariæ, S. Crux, Sancti tres Reges. Atque his sacris nominibus veniunt istæ communitates, quæ sunt ad ripas fluminis Uraquariensis. Reliquæ assident magno flumini Parannà, noménque sibi vendicant à S.P. Nostro Ignatio, cognominato Majore, à B. Virgine de Fide, à S. Jacobo Apostolo, à S. Rosa Limana, ab Annunciatione B. V. Mariæ, à Purificatione ejusdem Virginis, à SS. Cosma & Damiano, à S. Josepho, à S. Anna, à Lauretana Virgine, à S. Ignatio, dicto Minore, à Theophoria Christi, à S. Nomine JESU, à S. Carolo, à Sanctissima Trinitate. In singulis his, modò enumeratis communitatibus sive vicis non sine admiratione observare est quotidianum Neophytorum augmentum, uti & primi in baptismo concepti fervoris constantiam. His ad notitiam præmissis propositum meum prosequar, quod quidem est, dare congruam Relationem de novis Missionibus apud Indos Chiquitos, inter quos Apostolica Paraquariæ Provincia in hodiernum usque diem infatigabili ardore desudat.

Cap. I. §. 2.

1. Limites Chiquitanæ terræ, & flumina. 2. Prisci ejusdem incolæ, dein transmigrantes. 3. Mors truculenta Alexii Garciæ Lusitani. 4. Chiriquani anthropophagi indomabiles.

In ea plaga, ubi Provincia Tucumaniæ occidentem versùs Regno Peruviæ est contermina, ingens sese aperit terræ tractus, qui desinens in loco S. Crucis Serratæ sive à serra dictæ (santa Cruz de

la

la Sierra) ad urbem verò Tarixam initium ducens, trecenta milliaria ſecundùm ſolam longitudinem in ſe complectitur. Ad Solis ortum aſpicit illa Regionis Chacoanæ juga (del Chaco) quæ in terras Tucumaniæ ſe inſinuant, ad occaſum autem ſolis limites ponit pars Maragnoniæ, aut potiùs ille tractus de S. Cruce Serrata, ad Peruviam ſpectans, cui proximè obvertitur. Parti Meridionali limes eſt Provincia Charcaſana (de las Charcas) Boreali verò longiùs aliquanto diſſita Provincia Itatinenſis populi (Itatínes vocant) univerſa Regio ab Arcto ad Auſtrum in duas quaſi partes ſcinditur per continua montium juga, quæ aſſurgere incipiunt à famoſiſſimo Monte Potoſino (Potosì) ſéque ad latiſſimas Regiones Guayranas extendunt. In hac eadem regione originem ſuam nanciſcuntur tres magni fluvii Vermejus, Pilcomayus, & Guapayus, qui poſtquam rupibus ſubjectos utrinque campos, & ſubſequentem in immenſum protenſam Provinciam irrigârunt, tandem Paraquario fluvio abſorbentur.

Hîc locorum populi, Chiriquani dicti, ante ducentos circiter 2.
annos conſederunt, deſertâ Patriâ ſuâ Guayrà. Quî verò ſe habuerit hæc transmigratio, videtur operæ pretium, paucis perſtringere.

Cùm utraque corona, Hiſpana & Luſitana ſuas Americanas ditiones paribus ſtudiis ampliare contenderent, præ cæteris Alexius Garcia Luſitanus ſuas curas eò deflexit, ut terris à ſuo Rege Joanne II. occupatis, novas Provincias adjungeret. In eum finem aſſumptis in Societatem ex Braſilia tribus aliis comitibus, animi robore non inferioribus, peragravit terras trecentorum milliarium, usque dum ad Paraquarium flumen evaderet. Ibi militum loco corraſit duo millia Indorum, in quorum comitatu alia quingenta milliaria confecit, ínque ipſum famigerati Regis Ingæ imperium vi penetravit.

Ibi collectâ ingenti copiâ argenti & auri, tandem Braſiliam reſpi- 3.
ciebat. At barbari viæ compendium illi fecerunt, dum proditorum more eundem vitâ exturbârunt. Admiſſo hoc ſcelere metus & cura hos Barbaros, ne talio à vindicibus Luſitanis ipſos inſequeretur. Hic metus, & fortaſſis ſpes alterius commodi eò permovit, ut relictis patriis ſuis terris partem modò deſcriptæ regionis occuparent. In prima migratione numerus eorum non admodum frequens erat, cùm plùs quatuor millia non fuerint. Poſtea verò multitudo increvit ad viginti millia, cum maximo vicinarum gentium damno. Quippe recentes

hi transfugæ, nullo loco consistere soliti, sed turmatim vagantes obvia quæque expilârunt, homines verò captivos secum raptârunt.

4. Hos dein pecorum altilium more aliquamdiu saginatos, denique immani gulæ suæ sacrificabant, tam crudeli quidem & insatiabili ingluvie, ut plùs centum quinquaginta Indorum millia sic absumpta fuisse ferantur. Hos ferinos Anthropophagos ut humanis & Christianis moribus initiarent, priori jam sæculo totis viribus institerunt Apostolici Viri P. Emmanuel de Ortega, P. Martinus del Campo, P. Didacus Martinez, & subin plures alii. Nullâ tamen impensâ operâ obstinati, & efferati horum animi potuerunt emolliri, ut adeò ea regio penitus derelicta fuerit, utpote in quam Evangelicum semen citra fructum spargeretur, cùm alibi tamen feraciores non deessent agri, laborem fructu centesimo soluturi. Duravit hæc desertio usque ad annum 1686. quo duo nostrorum Missionariorum ex Urbe Tarixa denuo hos Barbaros adierunt, ductu Evangelici zeli alteram inter illos aleam tentaturi.

CAP. I. §. 3.

1. Chiriquanorum Legatio pro dono fidei. 2. Mirè his mittitur Pater de Arce, qui ope S. Xaverii sanatur.

1. COelo hunc iteratum zelum arrisisse, documento erant varia prodigia, quorum vi corrigerentur tam perversæ nationis mores in his desertis locis. Post hæc enim evenit, ut aliqui Caciquiorum (sic vocantur certarum communitatum, & Indicorum viculorum Superiores) captato antè consilio, & unanimi consensu, aliquot è suo gremio subditos ad Patres ablegarent, supplicaturos, sui ut misererentur, & in viam salutis dirigerent. Sed justæ huic petitioni alia tunc responsio non potuit dari, nisi quòd gratificari Patres antè non possent, quàm P. Provincialis ea super re consultus annueret. Hic autem erat ea tempestate P. Gregorius Orosco, natus Almagri, Vir magni zeli, qui, ut maximè vellet, citiùs hanc rem expedire non potuit, quàm post apertum in urbe Tarixa justi numeri Collegium. Accessit præterea eidem P. Præsidi difficultas in delectu faciendo inter tot, qui arduam hanc Missionem precibus & lacrymis sibi deposcebant.

Re

Re demum satis deliberatâ onus hujus operis oblatum est Ven. P. Josepho de Arce, nato Canariensi, cujus magnanimum zelum DEUS glorioso Martyrio coronavit, ut deinceps narrabitur. Exultabat hic præclaræ virtutis vir toto pectore post hanc gratiam sibi factam, quam tamen magìs debebat S. Francisco Xaverio, quàm Superioribus. Hi enim cùm singulare concionandi donum in eo suspicerent, quo certè par erat quibuscunque cathedris eloquentiâ suâ ornandis, huic ipsi officio Virum antea destinarant, non sine maximo ejusdem dolore. Siquidem ejus demissioni nihil magìs repugnabat, quàm honoratum adeò munus. Ad hoc declinandum nullis parcebat precibus & lacrymis, quibus continuò satagebat suos Superiores emollire. At verò cùm animadverteret, sibi hac parte permodicum spei esse, vota sua transtulit in alteram & meliorem partem, scilicet ad S. Indiarum Apostolum Xaverium. Unde brevì expertus est, suas preces multo feliciùs esse locatas. Non diu enim fuit, cùm morbo correptus est, ex quo licèt nullum primò periculum esset, tamen paulò pòst in lethalem infirmitatem degeneravit incuriâ illius, qui ægro serviebat. Alteri enim præparatum medicamentum huic ægro imprudens porrexit. In summo igitur periculo versabatur ægri salus, cùm apud P. Thomam de Baeza, Provinciæ Præsidem, ardenter institit, sibi ut liceret cum bona ejus venia votum facere ad suum magnum Patronum S. Francisc. Xaverium: eo nimirum pacto, ut reparata valetudine omnes vitæ dies in reducendis Indis deinceps exigeret. Hoc petitum eò faciliorem annutum invenit, quò certiùs spes sanitatis consequendæ apud omnes perierat. At enim simul ac se voto obstrinxerat æger, momento eodem malum ita minui sensit, ut paucorum intervallo dierum integra valetudo sit insecuta. Ea ipsa tempestate laborabatur ingenti zelo, ut adjacentes Magellanico freto populi ad Christi fidem traducerentur. Dabant ad hoc ansam percommodam ipsimet Indi, quibus paucis antè diebus fervidus, & pòst martyrio coronatus P. Nicolaus Mascardi, Italus, veram religionem prædicaverat. Post beatam ergo hujus mortem iidem Indi alios desiderabant instructores. Et verò in eam expeditionem præparata jam erant omnia, ipsóque piissimo Rege nostro Carolo II. ordinante in procinctu stabant inflammati Missionarii, ut primo quoque tempore in illam Provinciam, Patagonum aliàs dictam, proficiscerentur. In horum Apostolorum numero erat etiam noster Rev. Pater Arce, ope Xavarianâ sanatus. 2.

Cap. I. §. 4.

1. Remoræ Missionis. 2. Pars Chiriquanorum Patrem de Arce invitant. 3. Pars altera nostros repellunt.

1. Huic sed enim Sancto proposito orcus obicem posuit, & fundi.tùs intervertit operâ regiorum aliquot servorum. Hi insuper habito Dei, & sui Regis honore, solo lucri terreni studio ducti, petierant à Rege, ut sibi liceret has regiones armata manu subigere. Intentio eorum interim alia non erat, quàm ut cum tempore pauperculis his indigenis tanquam mancipiis possent abuti. Et verò consensum in sua postulata extorserunt, quo autem dolore Apostolicorum Virorum, & bonorum omnium, divinæ gloriæ studiosorum, pius lector suomet animi sensu capiet. Obstructâ igitur Evangelio hac viâ Rev. P. noster Josephus de Arce aliò destinatus est ad ferendum fidei lumen memoratis nempe Chiriquanis. Qua ipsa profectione aperturus credebatur viam in alias vastas regiones. Nimirum ut aliquando sequerentur ejusdem instituti Patres, simili zelo animati ad spargendum Legis Divinæ semen, ídque non impendio tantùm sudoris, sed & sanguinis, rigaturi agrum, & majorem fœcunditatem allaturi. Antè tamen, quàm opus tantum aggrederetur, cura erat, ut sibi provideret de necessariis tam gravi negotio virtutibus. Facilè enim animo divinabat, quanta vi Tartarus esset obstiturus, ne sua tamdiu pacifica possessione dejiceretur.

2. Interea dum ita hoc negotium cum Deo transigit, contráque orcum se obarmat, improvisus ecce! adest à flumine Pilcomayo Caciquius in comitatu sex suorum subditorum. Is instaurato desiderio urgebat, ne diutius Dei misericordiâ se suósque exclusos vellet. Quàm serio autem animo id peterent, ipso facto demonstrabant, cùm non sine summo gaudio & mentis attentione christianæ disciplinæ explicationem in vestigio auscultarent. Hoc ipsum P. Josepho de Arce novos indidit stimulos. rem citra moram in opus deducendi. Videbatur illi scilicet indubitatum hoc prognosticum, fructuosam locatum iri operam prædicationis in populo tam benè affecto. Et profectò haud vanam sibi spem facere poterat apud Chiriquanos, sed tantùm illos, qui ad flumen Pilcomayum resident, non verò apud illos, ad litora fluvii Vermeyi habitantes.

Hi

Hi quippe altera jam vice Missionarios suis è terris exturbârunt, 3.
falsa persuasione seducti, ceu nostri aliud nihil agerent, quàm ut incolas liberos Hispanorum servituri transmitterent. Quare hi Barbari cum iteratis minis edixerunt, fore, ut, si rursus inferrent Missionarii pedem suas in terras, aut ipsi desererent suam regionem, aut advenas viros vivos comburerent, ne molestâ porrò eorum præsentiâ torquerentur.

Cap. I. §. 5.

1. Indoles Chiriquanæ gentis ad flumen Pilcomayum. 2. Vis mali exempli ab Europæis contra Catholici Regis decreta.

Antequam hîc pergam in historia, necesse est, ut naturam & in- 1.
dolem hujus gentis aliquanto exactiùs disquiram; secus enim ob constantem animi inconstantiam vix, & ne vix dignoscerentur. Hi igitur barbari sunt ingenii levissimi, & instabilis, omni vento mutabiliores. Nullis, quæ fecêre, conventis stant. Hodie se ferunt ut homines, & quidem Christianos: cras perfidos barbaros se probant. Quousque proprii commodi spem odorantur, cum quocunque, etiam cum Hispanis, suis juratis hostibus, amicitiam simulant. Sed huic simul & semel solvendæ satis est vel levissima causa. Hoc tamen non est potissimum impedimentum, quo minùs rerum divinarum cognitio ipsis possit instillari.

Longè plus obicis & damni afferunt pessima exempla veterum Chri- 2.
stianorum. Quippe hæc obstipi capitis gens, cujusmodi Indi sunt, nulla re citiùs eruditur, quàm obversantibus exemplis. Ex christianæ vitæ tenore arguunt nostræ fidei rationem. Hinc ausi sunt non semel in faciem Missionariis exprobrare, cur *usque adeo severa polygamiam Lege interdicerent, qua tamen ad voluptates tantopere, & tam liberé uterentur Europæi?* Has similésque objectationes ut refutari, & sibi eximi sinant, nulla orationis vi evinces. Quapropter primi nostri in hac Provincia Evangelici operarii optimo consilio concluserunt, ut ab urbibus procul remoti, Evangelium iis maximè locis prædicarent, ubi commercium aut saltem convictus Indorum cum alienigenis per prava exempla non corrumperet postliminio, quidquid fructûs longo

Miss-

Missionariorum labore collectum est. Huic salutari consilio hodiedum cautissimè insistitur, ad quam ipsam rem potissimùm confert piissimus Catholicorum Regem nostrorum zelus. Hi enim omnibus & singulis Europæis, imò & ipsis Hispanis in America interdictum voluerunt omnem aditum, ut ne pedem ad Christianas Guairaniæ colonias inferre liceat, nisi forent Gubernatores sacri & profani, quibus ex officio incumbit, incolas tanquam suos subditos invisere. Hoc decretum cùm apud Chiriquanos necdum observetur, utpote qui cum vicinis urbibus assidua tractant commercia, maxima inde nascitur difficultas in pertrahendis ad fidem Indis. Ita enim cum humana fragilitate comparatum est, ut multo citiùs & proniùs boni à malis inficiantur, quàm è diverso mali bonorum consortio ad meliorem frugem perducantur. Itaque dici vix potest, quantum damni his Indis accrescat, cùm observant, quàm iniquis modis alii christiani oppressione indigenarum ditescere satagant, quàm intemperanter se carnis vitiis immergant, quàm frigidè alii, etsi pauciores, fidei Christianæ Sanctitatem profiteantur. Atque inde odium, & aversio animi ipsis ingeneratur non modò adversùs eos, qui christiano nomine veniunt, sed & adversùs ipsam christianam legem. Et quamvis innata Hispanis pietas hîc locorum non minùs ac in aliis provinciis eluceat, paucorum tamen perversitas longè plus evincit, quàm omnium cetérorum probitas & virtus. Unde patet, quòd, tametsi tradita Christi doctrina, & evidentes veritates corda eorum subeant, bonásque illis cogitationes affricent, hoc totum tamen dicto citiùs evanescat, vel ex ingenita animi mutabilitate, vel ex contrariis exterorum moribus, id quod satis supérque, prô dolor! nos docuit experientia. Sed revertamur ad historiam nostram.

Cap. I. §. 6.

1. P. Arce ad Guairanos abit. 2. Refractarii nuper fidem ultrò solicitant. 3. Tricæ Indorum componendæ.

1. POsteaquam P. Arce fervorem prædicti Caciquii & Sociorum per dies aliquot sat exploràsse sibi visus est, statuit in ejusdem regione novam Christianorum communitatem fundare, cum bona

spe,

ſpe, rem ad felicem exitum deducendi. His ita concluſis domum dimittit Caciquium cum quatuor Guayranis Indis, quos comites addidit expiſcaturos gentis ceteræ indolem, & ſimul viculos reliquos circa fluvium Pilcomayum exploraturos. Ipſe fidem ſuam aſtrinxit, ſe propediem ſecuturum comitante D. Didaco Porul. Erat hic Dominus exquiſitæ probitatis, gratus omnibus ob amabilem, & comem converſandi gratiam, ideoque vel necdum Chriſtianis dilectus. Cauſa, cur Patrem Arce comitaretur, erat, ut ſuâ præſentiâ ſecundaret Patris conatus, ſua poteſtate & authoritate ceteros ad flumen Vermeyum graſſantes Caciquios in officio contineret. At verò Deus optima Viri hujus voluntate contentus, cujus vires ſat adulta ætate jam erant infractæ, ſubita illum infirmitate coëgit viam relegere poſt emenſa aliquot itineris milliaria. Ne tamen ipſius propoſitum ex toto intercideret, ſui loco unum filiorum ſubornavit. Hoc proin comite Pater Arce menſe Majo Anno 1690. iter ingreſſus eſt. Vixdum aliquot dies itineris confecerant, cùm ad quosdam viculos devenerunt (Rancher Hiſpanis dictos) prope fluvium Pilcomayum, ubi ab incolis ſummo cum gaudio excepti ſunt. Sed eodem temporis articulo lamentabantur hi afflicti Indi mortem ſuorum aliquot affinium, qui vitam amiſerunt ex ſimultate cum duobus potentioribus Caciquiis, Cambaripa, & Tataberig dictis. Diſſenſiones hæ inter utramque partem tollendæ omninò erant, donec novæ reductioni fieret initium. In eum finem Apoſtolicus Vir ipſe ſe componendæ diſcordiæ ſequeſtrum obtulit. Jam in eo erat, ut ea de cauſa infeſtis invicem his partibus ſe immitteret, ſpreto omni vitæ periculo, certè adeundo. Quippe Caciquius Tataberigus inter fœderatos ſibi populos Tobas vocatos numerabat, qui ex conventione infeſta tenebant paſſim itinera. Interea Cambaripa alter Caciquius feſtinatò nuntium ablegat ad Patrem, ſupplicans, ut ſibi & ſuis ſubditis properatas ferret ſuppetias ad præſentiſſimum exitium avertendum: quandoquidem par non eſſet tot hoſtibus, nec fugæ locus, nec tempus, aliáque ſpes reſtaret. Motus vehementer eo nuntio Pater, unáque commiſeratione incitatus, reditum acceleravit, præſidium armatum ab Hiſpanis impetraturus. Sed in ipſo reditu ingens ſolatium impertiit illi Deus, quod adverſitatem priorem non nihil mitigaret.

Ecce enim Vermayenſes Chiriquani, qui nuperrimè usque adeò obſtinatum pectus divinæ gratiæ occluſerant, ſimul & ſemel emolliti, 2.

in occursum Patris ultrò venerunt cum omni significatione honoris & amoris. Quin & ipse Cambichuri, potentissimus id loci Caciquius singularia benevolentiæ signa præferens, unà Patrem invitavit, uti suos subditos suæ Religionis, Christianæ scilicet faceret, facta asseveratione, ad nutum Patris omnia fore.

Cap. I. §. 7.

1. Pax conciliata. 2. Baptismus infantium & morientium. 3. Passim petuntur fidei Doctores.

UBi primum Tarixæ appulit, impetrato à Loci Præfecto militum manipulo, maturavit reditum cum Joan. Bapt. de Zea. Et quamvis arduum per se, & periculosum iter, spreto insuper omni corporis commodo, nihil tamen gravitatis sentiebant ex abundantia internæ dulcedinis, à cœlo instillatæ.

1. Occasio enim fuit in medio itineris ingentem numerum infantum, sacro lavacro lotum, ab interitu vindicandi: quæ ipsa sors beata etiam adultis, morti jam proximis Indis obtigit. Tandem vigesimo sexto Septembris ad vicos Caciquii Tataberigi perventum, ubi Patres pacem sancirent. Hic quadraginta suorum stipatus excepit illos omni, qua potuit humanitate, addita habitatione optima, quantam fert illa barbaries.

2. Vix pacis negotium tractare cœperat P. Arce, cùm sua dexteritate rem eò deduxit, ut ambo Caciquii mutuam integrarent concordiam, restauratâ pristinâ amicitiâ. Pax item restituta inter affines illorum, qui interfecti fuerant: quod quidem opus perficere, videbatur fore non modicæ difficultatis. Pacem ita conclusam excepit festiva celebritas cum communi totius populi exultatione, in qua nulli plenior gustus fuit & satisfactio præterquam Caciquio Cambaripæ. Altera conciliatorum pars nempe Tataberigus incredibili amore exarsit in Patres, & unà desiderio Christianæ Legis.

3. Institit proin, ut secum manerent Patres, & Christi fidem populum docerent, sponsione adjecta, se quoque proximè numero credentium accessurum. Ne verò dubium de sui propositi constantia esset, filium suum unicum, baptismi undis lustrandum, in antecessum velut pignoris loco offerebat. At Patres, priusquam alicubi sedem fige-

figerent, explorandam totam regionem censuerunt. Spe itaque reditûs factâ, mox iter sunt ingressi, in quo suprà dicti Nobilis Hispani filius nunquam à Patribus recessit. Ubi devenêre ad litora fluvii Parapity, à frequentibus ibidem accolis summo cum gaudio recepti, pro modulo pauperis regionis hospitium & victum repererunt. Inde digressi versùs juga Charaquayensia, ad quorum radices potior pars populi Chanesii (Chanès) præter multos Chiriquanos consederant. Ibi locorum sat negotii facessebant incolæ, conciliandi scilicet cum subditis Taquiremboti. Tricis compositis profecuti sunt iter, sub quo nihil offenderunt præter vastatos desertósque pagos. Indigenæ enim ad declinandas belli calamitates aliò secesserant. Exantlatis demum nec paucis nec levibus periculis flumen Guapayum attigerunt, cujus accolæ incredibili amore eos susceperunt. Quin Manguta, & Fayo duo Caciquii valde instabant, ut suis in terris persisterent, salutis semitam monstraturi. At Pater Arce, aliis modò distentus, solùm pollicitus est, hoc sanctum desiderium alia occasione completum iri. Quatuor dein Indis moribundis aquâ baptismi expiatis, itineri continuando se accinxerunt. Sub ipsum discessum stitit se calamitosa Inda, Patrum pedibus advoluta. Erat hæc soror Tambacuræ Caciquii, quem falsò accusatum ab hostibus vincula exspectabant, & gravia supplicia ex mandato Gubernatoris ad S. Crucem Serratam (de la Sierra) Istam calamitatem Missionario tam potenter Soror questa est, ut animo commotus Pater patrocinium pro viribus sponderet, idque eò faciliùs, ut illæ gentes manifestè discerent, nihil à Patribus præter eorum commoda, & tutelam quæri. Ea quidem mente P. Arce in se receperat patroni officium, sed Deus id longè altiori ex consilio fieri permisit, cui sæpius propria hominum commoda serviunt ad reconditum providentiæ suæ ordinem evolvendum. Atque huc referebat Deus istud iter Missionariorum versùs S. Crucem, quo nihil intendebant, quàm charitatis opus, nempe vitæ gratiam uni homini impetrandam. At verò Divina Bonitas per hoc ipsum, nihil cogitantibus Nostris, destinaverat ingentem populum ex Erebi faucibus vindicare. Ut primùm igitur Missionarii cum Tambacurà, innocenter reo, ad S. Crucem eluctati sunt, summâ animi lætitiâ à Gubernatore Loci D. Augustino de Arce excepti sunt. Nec difficilis fuit piissimus hic & recti tenax Dominus, post cognitam innocentiam in facienda vitæ gratia Caciquio illi, certo certiùs perituro. Hæc

tanta honoris, amoris, & æquitatis significatio induxit Patres, ut confidentiùs cum Gubernatore agerent, illique suum propositum pluribus aperirent convertendi nimirum Chiriquanos, additis unà precibus, suum ut præsidium non negaret, si quis obicem ponere tanto operi præsumeret. At verò expertissimus Dominus reposuit, fore, ut in hoc proposito tempus & laborem perderent apud obstinatas illas gentes, quas nossent, nihil aliud tandem relaturi præter probra, contumelias, & omne genus malorum. Recolerent animo, quid factum P. Martino de Campo, strenuo Operario ex Provincia Peruana. Quippe qui transactis inter illos Barbaros aliquot mensibus citra omnem tamen fructum, satis expertus esset duritiem eorum, & contumaciam, coactus tandem aliò zelum suum transferre spe melioris sementis. Sequerentur proin potiùs exemplum P. Martini, & perinde ac ille sancta sua consilia flecterent ad aliam Regionem, ubi minus periculi, & plus spei adducendi Christo animas alias, multo numerosiores. Atque hoc quidem erat consilium optimi Gubernatoris, quod persuadere est conatus. Opportunè interim subiit cogitatio, Chiquitos Indos, ab Urbe S. Crucis non admodum remotos, nuperrimè pacem sanxisse cum Hispanis, unáque Legis Christianæ Doctores expetiisse. Verùm horum desideriis velificari tum non permittebat paucitas Patrum Peruanæ Provinciæ, in qua Urbs S. Crucis sita est. Illis enim sat laboris & negotii erat apud Moxos. Itaque Gubernator hos latissimos, messi jam maturos offerebat agros, ubi zelo Patrum defutura non esset occasio strenuè, & multifariam laborandi: ubi magnitudini laboris multo major fructus responderet, sudore optimè locato sementis loco, unde pullularet plurimarum salus animarum. Ut igitur eò proniùs in suam sententiam traheret animos Patrum, his ea super re geminas literas ferendas dedit, unas quidem ad P. Præsidem Provinciæ, alteras ad Admodum Rev. P. Præpositum Generalem Thyrsum Gonzalez, cum quo jam olim in Hispania intima Gubernatori erat amicitia. Natabant his intellectis Viri Apostolici præ gaudio, cùm adverterent, alium sibi à Deo agrum esse apertum ad dilatandam ejusdem gloriam. Itaque illi, si per istos staret, omnem offerre operam vel cum dispendio vitæ. Priùs tamen necessarium esse insinuabant, ut conscii ejus rei fierent Superiores, suo nutu id confirmaturi. Hoc obtento se certò & pro-

propediem cum gaudio reduces fore ad initiandos DEI cognitione hos populos. His dictis subinde à Gubernatore sunt dimissi.

Insistentes viam porrò Tarixam versùs, dum fluvium Guapayum trajiciebant, circumsessi sunt ab ingenti numero Indorum, qui formari sibi communitatem exoptabant, & suscipi curam suarum animarum; paratos enim omnes se dicebant ad Christi fidem amplectendam. Nostri ne sine omni solatio hos populos præterirent, habitationis locum circumscripserunt, erectâ dein arâ portatoriâ in conspectu omnium Sacris Christiano more operati sunt. Et quoniam dies erat Purificatæ Virginis MARIÆ, in ejus potenti tutela novam coloniam esse voluerunt. Atque hæc usque adeò probata sunt præsentibus Barbaris, ut famâ ejus rei in alios barbarorum vicos delatâ, illico multi alii Caciquii sese obtulerint, ibidem cum suis subditis habitaturos. Exinde Patres perrexerunt Tarixam, paraturi ibi necessaria tantæ expeditioni. Interea cœlum ærumnas itineris remunerari voluit, oblato infante, jam agente animam, quem sacro proin lavacro regeneratum felici æternitati transcripserunt cum maximo solatio.

CAP. I. §. 8.

1. Excitatæ turbæ per Apostatas. 2. Ceremoniæ consultantium Indorum. 3. Fundatur Colonia S. P. N. Ignatii.

COntrà major longè fuit invidia & ira furentis hostis stygii, qui 1.
ex lætis his initiis conjectabat sua cum tempore damna, progressu nempe fidei proscribendus è ditione sua. Totis adeò viribus obnitebatur, evulsurus maturè radices primas, antequam latiùs sese diffunderent. Peropportuni huic executioni erant quidam Apostatæ, validum diaboli instrumentum. Ut enim in fidei desertoribus perversitas vitæ multo deterior est, quàm eorum, qui necdum S. Fide sunt imbuti: ita hi Apostatæ morum pravitate ceteros omnes facilè solent superare. Præcipui inter hos maximè erant duo Caciquii, Urbanus Garnita, & Petrus de S. MARIA. Hi ægerrimè ferebant, ibi locorum Christianum nomen crebrescere, quo pacto vel cogerentur loco cedere, vel sua flagitia deserere. Quapropter

quà Orci instigatione, quà impuri amoris œstro erga suas concubinas dementati, multifaria probra adversùm Missionarios, eorúmque Neophytos effutiebant. Objectabant scilicet, Missionarios non aliter censendos, quàm hostium exploratores, eo animo, ut Indos Hispanis subjectos facerent, specie religionis omni libertate eos privaturi: nec longam fore moram, cùm suspiraturi essent priorem genialem vitam, postquam emaciata sua corpora, exulceratos vibicibus humeros ab heris suis senserint, cum quo jugo ipsum Christi jugum imponerent. In hujus rei testimonium ostentabant corporis sui cicatrices, verberum enormium testes, quibus ipsi, olim Christiani, multati fuissent post nocturnam & diurnam operam, & sudores tyrannicis suis Dominis sudatos. Hæ & id genus plures calumniæ non omni carebant effectu. Etsi enim tunc temporis desiderium christianæ Legis inter Barbaros in primo vigore perseveraret, tractu tamen temporis & remittente tantisper fervore hi Apostatæ Caciquii id obtinuerunt, ut perturbata regione incolas ad Patres, à se abigendos, pepulerint. Initio Anni 1691. Patres Joan. Bapt. de Zea, & Jacobus Centeno trajecerant fluvium Guapayum, novam Purificatæ Virginis communitatem ordinaturi. Sed Pater Arce descendit in vallem Salinariam, (de las Salinas) quò ingens Indorum accursus erat. Horum multi sat benevolos se præbebant; contrà alii vel ipso vultu prodebant deteriora consilia, morte scil. tollendi Patrem. Et verò opere complessent, nisi Indi Tariqueani meditatum facinus dissuasissent. Interim dum Apostolicus Vir industriam suam intendit, ut novam coloniam formæ pristinæ restitueret, Satan minimè otiosus eò rem per Apostatas deduxit, ut fructum aliquot hebdomadum paucis horis pessumdaret. Huic malo accessit longè gravius, dum Tobensis populus crudelis, DEO & Hispano nomini infestissimus, in arma ruit, intellectóque Patris proposito irruptionem fecit in eas terras, omnia populaturus. Itaque Pater Arce truculentiam hostium in horas exspectans, magnanimus fato ultimo se præparabat, secuturus suos Neophytos, in sanctam fidem receptos. Fama enim ferebat, hos ab hostibus circumventos, & esse mactatos. Sed ab æterna sapientia tantùm permissus terror ille videtur, ad capiendum specimen, quî se in Apostolica vita Servus Ipsius haberet. Paulò enim pòst panicus hic metus desiit, accepto nuntio, quòd Pater Zea cum P. Centeno ad reductionem Purificatæ Virginis prospero itinere pervenerit: Tobenses verò suam in regio-

gionem retrocesserint. Hæc edoctus, Tariqueam excurrit, excitaturus instantiùs vicinos populos ad amplexandam fidem. Neque verò malè acceptus, loci primoribus adventûs sui rationem significavit. Coactum ergo Caciquiorum Concilium, in quo negotium conversionis transigeretur.

Cæterùm miris de ceremoniis, quas ad id genus consultationes hæ gentes adhibent, non ingratum, credo, accidet, paucis intelligere. Initium interlocutioni fuit intempesta nocte per inconditum cantum, diversis fistulis mistum, sub quo saltatione peracta, ridebant per vices ad colloquium. Singulas choreas, quæ erant admodum breves, claudebant facto haustu. Illucescente aurora, quantumvis perfrigidus ureret ventus utpote hyemale sub tempus, omnes tamen ad flumen lavandi causâ se contulerunt. Ut verò diem adhuc lætiorem redderent, capita sua ornarunt versicoloribus plumis, facies autem suas collutulabant turpissimis coloribus, persuasi penitus, hoc pulchriores sese fore, quò similiores ipsis deterrimis Diabolis. Provectiore jam die jentaculum admittebant ad colligendas scil. vires ulteriori consultationi, quam proinde eodem ritu sunt prosecuti. Et quis speraret ex tali deliberationis modo bonam conclusionem pro tam sancto opere? Nihilo tamen minùs unanimi consensu decreverunt, Christum ejúsque sanctam Legem amplecti. Porrò factum à se decretum è vestigio detulerunt ad Patrem, qui interea sub tugurio grave hoc negotium bono Deo commendaverat. Tres tamen conditiones apposuerunt, quas acceptari cupiebant. Prima erat, ut communitas in eodem ipso tractu institueretur: secunda, ne illi, qui avitam superstitionem essent retenturi, aut plures concubinas admissuri, cogerentur solum vertere: tertia demum, ne filii eorum ad Ecclesiæ servitia adhiberentur. Neque verò his petitis contrarium se præbuit Pater, spe fore, ut cum tempore ejus gentis corda pretioso Christi Sanguine emollirentur. Spes certè Patris non carebat fundamento, quandoquidem Taricù præcipuus inter omnes nomine totius populi gratias egit, quòd curam animarum suarum in se suscipere non dubitaret. Quin & Deo ipsi gratiarum actionem demissè solvit, quòd de tanto viro illis providere sit dignatus, qui citra proprium commodum studeret duntaxat bono alieno. 2.

Et quoniam omnia hæc contigêre ipso festo S. P. N. Ignatii, sub hujus ipsius Patrocinio & nomine reductioni huic datum est initium. 3.

tium. Sed hanc tamen novam Christi coloniam in suo primo flore relinquimus, quin de ea mentio à nobis sit deinceps futura. Expeditior enim hoc pacto procedet relatio de altera adhuc feliciore colonia, recèns fundata in terris Chiquitorum, id quod pro principè operis hujus scopo statuimus.

CAPUT II.

§. I.

1. De Regione Chiquitorum. 2. Ejus flumina. 3. Mellis copia. Animalia. 4. Piscatio. 5. Fruges. 6. Temperies plagæ. 7. Morbi & modus ineptus medendi & crudelis.

1. Regio Chiquitorum, si aliquanto exactius ejus peripheriam dimetiamur, excurrit in longitudinem ducentorum milliarium (quorum unum Horam Hispanicam circiter conficit) in latitudinem verò centum milliarium. Occiduum solem versùs adjacet Urbi S. Crucis Serratæ (de la Sierra) à qua nonnihil remotiores sunt novæ Missiones apud Moxos, qui tamen nostræ Paraquariensi Provinciæ accensentur. Versùs ortum porrigitur ad celebrem Lacum Xarayensem (de Los Xarayes) quem ob vastitatem suam primi expugnatores harum terrarum meritò *dulce mare* vocârunt. Quà spectat Boream, clauditur perpetuis jugis, quæ ab occasu solis continuantur usque ad dictum lacum. Ad Austrum obvertitur Regio Chacoënsis (del Chaco) & spatiosus lacus, vel potiùs oblongus sinus, quem generat eluvione sua fluvius Paraquarius. Inde ansa data est, ut sinus ille nomen portûs Itatinensium obtineret. Utrinque litora obumbrantur amœna arborum evirescentium serie.

2. Irrigant hanc regionem, secántque duo fluvii. Alter horum Guapayus nomine fontes suos accipit ex montibus Ceuquisacanis. Procurrens dein per plana præterit Chiriquanorum pagum alapò nuncupatum. Inde declinans in Orientem specie Semi-Lunæ ambit Urbem S. Crucis Serratæ. Porrò se diffundit per spatiosos, austrum inter

ter & Boream jacentes Campos in Lacum Mamorensem (Mamoiè) ad cujus ripas pars Christianorum, quos Moxos dicimus, consedit. Alter fluvius nominatur Caperè, vel alio nomine fluvius S. Michaëlis. Hic originem suam trahit è jugis Peruanis, & obliquatur per Chiriquanorum terras, ubi perdito primùm nomine in Spissa denique sylva semetipsum perdit. Ex illa tamen iterum eluctatus, post varios retrogrados flexus evadit sub nomine Parapitus ad locum, à vetere S. Cruce dictum, ubi annis prioribus reductio S. Josephi fuerat fundata. Hîc denuo se sinuat in Septentrionem, & nonnihil in occasum, communitatibus S. Xaverii, & Virgineæ Conceptionis peropportunus. Inde autem in Meridiem se reflectens, multísque aliis auctus fluentis irrigatione frugiferas reddit Baurensium Colonias, Moxorum Missionibus annumeratas, dum denique cursus sui finem faciat in Lacu Mamorensi, qui ipse porrò in Maragnonem, vastum Amazonum flumen sese exonerat.

Cæterùm regio hæc est admodum montosa, & densis nemoribus obsita, ex quibus Indi ingentem mellis & Ceræ copiam colligunt ex abundantia apum diversi generis. Una earum species, incolis *Opemùs* dicta, Europæis apibus haud absimilis est, quæ mella stipant admodum potentis & suavis odoris: Cera autem candore cum nive certat, mollior cæterâ cerâ. Abundat præterea regio hæc simiis, cervis, capris, apris, gallinis, anseribus, testudine, nec non serpentibus & viperis, quarum virus oppidò fatale. Icti enim ab his mirum in modum mox intumescunt, ita quidem ut sanguis ex oculis, auribus, ore & naribus, quin ex unguibus digitorum protrudatur. Expulso tamen sic noxio humore nulli fit dispendium vitæ. At altera viperæ species pestilentior est, cujus venenum, si vel calx pedis extremus fuerit perstrictus, momento caput petit, & fauciatum viribus, ratione, & omni sensu privat. Postea pervadens omnes venas toxicum certæ mortis est prodromus, quòd adversùs hujusmodi malum nulla hactenus industria repererit antidotum. 3.

Sed redeamus ad hujus terræ descriptionem. Est quidem sicca ejus constitutio, pluviarum tamen tempore, quæ ibi locorum à mense Decembri in Majum usque continuant, multi enascuntur rivi, & lacus, ex quibus copiosa incolis est piscatio, projectâ in escam massâ farinariâ, eáque amarâ. Hujus enim esu stupefacti pisces, aquæ supernatant, & facili operâ capiuntur. Durante hac imbrium tempe- 4.

ſtate regio quaſi clauſa, & inacceſſa omnem communicationem unius loci cum altero ſuſpendere cogitur.

5. Verùm elapſis his menſibus regio non lentè exſiccatur, ut tamen culturâ omnino indigeat. Exſcindendæ ſunt ſylvæ, montes & colles ſarriendi, quam induſtriam ſequitur ingens fertilitas, gignens triticum Indicũ, Orizam, Goſcypium, Saccarũ, etiam herbãTubacã ſiveTabacã, & alias fruges, cæteris terris incognitas, ſoli huic regioni proprias.

6. Cæteroqui Regionis Clima eſt plerúmque calidum, & vix aliquando temperatum. Unde fit, ut indigenæ valde ſint obnoxii apoplexiæ, & lepræ, quæ duo mala magnam inter illos ſtragem edere ſolent, ídque eò magìs, quia non plura, quàm duo remedia uſurpare ſciunt.

7. Primum eſt, ut Caciquius loci quem in his eventibus Iriabòs vocant, corpus ægrotantis ſugendo pervadat; hoc enim officium Solis Caciquiis competit, illíſque conciliat auctoritatem, nec abſque alio inſuper commodo. Quippe Gallinas, bene paratas, & alia lectiora edulia non ſolent præbere decumbenti, ſed iis ſemet ſaginant, dum interim deſertus æger malè cocto tritici pulmento veſci cogitur, interdicto omni alio obſonio, etſi vel non poſſit, vel non velit ſumere. Ex his conjicio, plures ægrorum fame magìs, quàm ipſo morbo perire. Jam verò morbum ſuis his medicis explicant, dum vel ægrotantem ipſum, vel hujus malè affectam partem monſtrant, & unà ſignificant, quas vias priori die iverit. His præmiſſis explorat medicus, an non infirmus aliquid de potione, quam Chicham dicunt, cereviſiæ ſimilem, incautè effudiſſet? Item an non fortè objeciſſet canibus bolum carnis teſtudineæ, cervinæ, vel alterius animantis? Quodſi æger ejus erroris reum ſe fateatur, infert Medicus, animam illius animalis ſumendæ vindictæ cauſa in corpus patientis immigrâſſe, & nunc cruciare pro modulo illatæ injuriæ. Tum verò Caciquius in afflicta parte ſugere, vel baculo circa ægrum terram percutere, ut peregrina anima terrefacta fugetur. His omnibus tamen peractis, nihilo valentiorem ſe ſentit infirmus, niſi fortè aliis ex cauſis naturalibus malum ſponte ſua deſinat. Obſervatum eſt in his medicis, quòd ſuſcepto ſacro baptiſmo etiam poſt omnem conatum nihil ampliùs purulentæ materiæ ex ore ſuo potuerint reddere, ut antea poterant, quoties ægrum ſuctu illo curare attentârunt. Pronum eſt adeò, nec ex vano ſuſpicari, vi S. Baptiſmatis tacitum cum inferis pactum

ſolvi; explicitum enim pactum iniiſſe nemo horum Indorum ex vero dici poteſt. Alterum medendi genus eſt prorſus crudele, & non niſi hujusmodi barbaris conſentaneum. Conſiſtit autem in eo hæc medicina, quòd infirmorum uxores necent, dum certò ſibi perſuadent, uxores unam unicam omnis mali cauſam eſſe. Hæc opinio fortaſſe ingenerata eſt illis inde, quòd ſuboluerit, mortem per mulierem mundo superveniſſe. Igitur cùm in alterum mundum illas violenta morte ablegant, credunt, mortem adversùs ipſos ægros vires perdidiſſe. Ut primùm ergo quis decumbit, ſtatim conſulunt Caciquios & alios medentes, quænam ex uxoribus videatur ſuæ infirmitatis cauſa? quamcunque dein medicans nominaverit, ad mortem usque cæditur, non attentâ intima & proxima conſanguinitate. Hunc tam noxium, fallacémque morem nulla ratione diſſuaderi ſibi ſinebant, utut conſtanti & manifeſtâ experientiâ convincerentur de inanitate & crudelitate remedii. Origo tam ineptè medendi primariò naſcitur ex ſtupida perſuaſione, omnes nimirum morbos accidere ex cauſis externis, non verò ex interna humorum intemperie. Quidquid enim ſub exteros corporis ſenſus non cadit, debili intellectu ſuo non capiunt: quæ tenuitas ingenii omnibus occiduis Indis innata eſt, quamquam de cætero ad aperta manuum opera vel maximè apti deprendantur. Hac tempeſtate, poſteaquam viderunt à Patribus antidota feliciùs adhibita, ob minimam quamque infirmitatem ſine mora venam ſibi aperiri petunt. Eo tamen caſu ſi brachium exporrigere jubentur, majorem in modum reluctantur, cauſantes, in capite vel alio membro dolente, non in brachio venæ ſectionem requiri. Tandem cùm quotidiana experientia doceret, quantæ virtutis eſſet hic morbi pellendi modus, ſuum avitum curandi morem damnârunt, non ſine tacito pudore, quòd tam atrocibus & inconditis medicinis ſibi impoſuerint.

CAP. II. §. 2.

1. Indoles, mores, forma. 2. Vestitus. 3. Arma Chiquitorum. 4. Regimen. 5. Potus Chicha. Ritus nubentium. 6. Habitatio. 7. Hospitalitas. Convivia, ebrietas sublata.

1. NAtiva hujus nationis indoles est vivax & excitata, & in comparatione aliorum Indorum habili quoque juncta est ingenio. Pronior insuper ad bonum, quàm ad malum cernitur natio citra notam hebetioris capitis. Sinunt se facilè regi. naturalibus rationis regulis ducti. Luxuria, americanis aliis populis tam fœdè & perditè assueta, locum inter Chiquitos vix invenit. Statura corporis superat mediocritatem: Vultûs proportio ferme assimilatur nostro Europæo, ut tamen facilè discernantur ab Europæis ex colore, qualis est Olivæ. Cùm viginti ætatis annos attigerunt, comam nutriunt, eò deinceps sua opinione venustiores, quò magìs promissos alunt crines. Barba ipsis serò crescit; & rara admodum. Vestibus viri omnino non utuntur: sed fœminæ tegumenti quid adhibent ex Gossypio, vocántque *Tipoy*.

2. Hoc vestimentum manicas habet usque ad cubitos, reliquum brachii nudum præferunt. Similiter vestiuntur tunicâ, sed succinctiore Caciquii, & alii nobiliores. Collum & suras multimodis ornant corollis, certos globulos, in filo collectos, præsentantibus. Globuli autem hi quà splendore, quà venustate nihil cedunt Pyropis & Smaragdis. Præter hunc ornatum diebus celebrioribus induunt alios insuper funiculos, ex quibus minutæ notæ pendentes tinniunt. Aures & labium inferius perforant, ut multicolores plumas, & stanni frustulum possint appendere. Zonæ loco ad lumbos gestant fasciam elegantem, quæ ex varietate certantium colorum planè visu est dignissima.

3. Cæterùm magnanimi sunt pectoris, ad bella pronissimi, ad arma verò tractanda, maximè ad arcum cum sagittis dexterrimi. Hanc suam dexteritatem omnibus demonstrandi gratiâ circumferunt secum numerosas ferarum diversarum caudas, & plumas avicularum, quas nempe suo arcu confixerunt. Præter arcum usurpant etiam clavam ex duris-

duriſſimo & ponderoſo ligno, in forma Europæi fuſtis, quo pilæ in altum animi causâ propelluntur, eo tamen diſcrimine, quòd Indorum clava nonnihil productior, ancipiti gladio ſimilis acuatur: atque hac clava utuntur comminus, cùm res poſcit.

Politicam communitatis formam ſi requiras, nihil certi regiminis habent, nec ordinatam lege aliqua vivendi rationem, ſed ſtant ſententiâ ſeniorum. Dignitas Caciquiorum non eſt hæreditaria, ut tranſeat in filios: ſed hæc illi defertur, quem digniſſimum exiſtimant, in bello verſatiſſimum, & captorum hoſtium copia memorandum. Ut verò hoſtes infeſtent, ratio alia opus non eſt, quàm fortè ſpes fruſtum ferri prædandi, vel nomen fortis, & bellicoſi viri comparandi. Contrà alterius prorſus indolis ſunt contermini populi, qui in vicinia pacem colunt, metu ſcilicet incurrendæ ſervitutis apud Chiquitos. Quamquam non ſit, cur eam ſervitutem magnopere metuant, cùm à Chiquitis perinde habeantur, ac proximè affines, quin etiam parentum loco. Unde ſuasmet filias ſæpe numero illis in matrimonium elocant: Si tamen hæc traditio nomen conjugii meretur, cùm id ſit diſſolubile, & non perenne. Quippe tametſi plebeis non liceat niſi cum una tantùm fœmina ligari, tamen pro libitu poſſunt primam Conjugem repudiare, aliámque ducere. Unis Caciquiis fas eſt duas vel tres ſibi in conſortem adoptare, ſi vel ſorores eorum fuerint. 4.

Harum uxorum ſola ferè occupatio eſt præparatio potionis, quam vocant *Chicham*, ex tritico Indico, aliíſque frugibus conficiendam. Ejus potûs color eſt ſimilis potui Chocolatæ, virtute verò & effectu vino hic liquor æquiparatur. Jam verò Maritorum officium eſt, hoſpites invitare, tecto recipere, & memorato embammate reficere. Cæterùm ritus ſumendi in matrimonium ſunt eiusmodi. Pater filiam ſuam maritat nulli, niſi qui egregio inter ſuos facinore ſe commendârit. Itaque nupturiens venatum antea it, & tot, quot poteſt, feras ſternit. Cum his domum repetit, ex omnibus centum lepores ſeligit, quos ad domeſticas concupitæ Sponſæ fores deponit; atque hoc pacto citra ullum præterea verbum filia in maritale conſortium eſt poſtulata. Tum verò parentes luſtrant proſtatas venatione feras, ferúntque judicium, an tanta ſint proci venantis merita, ut illi filia connubio jungatur. Sed enim liberorum educatio tam eſt neglecta, ut id nominis non mereatur. Sinuntur vivere velut liberi onagri citra omnem metum vel reverentiam erga parentes. Fas proin ipſis eſt 5.

conſciſcere, quidquid effrenis libertas & imprudentia teneræ ætatis ſuopte impetu ſuadet.

6. Ad habitationem eorum quod attinet, pauci unà degunt, umbra quaſi communitatis, quoniam ſine capite, cùm nemo ibi ſuperiorem agnoſcat, præterquam quisque ſemetipſum. Inde fit, ut ex obvia levíque cauſa diſſocientur, & ſedem alibi figant. Illorum autem domus non ſunt aliæ, quàm ſtramineaj tuguria, quæ juncta quidem in Sylvis alia poſt alia promiſcuè ſtant, ſed absque ordine & diſcrimine. Oſtium pro introitu eſt admodum humile, ut ſubire quis non poſſit niſi rependo. Unde data eſt Hiſpanis anſa vocandi Chiquitos, hoc eſt, Parvos, quandoquidem ſuas caſas ineundo & exeundo corpus valde contrahi, & quaſi gracileſcere neceſſum eſt. Cauſa tam anguſti aditûs eſt multitudo culicum, & veſparum, quæ pluvia tempeſtate totum aërem agminatim infeſtant. Sed cùm terrâ nonnihil altiores volitent, in obvia graſſantes, non tanta copia ſeſe penetrant per depreſſum adeò introitum tugurii. Alteram hujus fabricæ cauſam faciunt hoſtes, qui per laxiores aperturas ſub nocturnum tempus ſagittis oppidò nocere poſſent. Infantes atque impuberes usque ad annum decimum quartum ætatis ſimul commorantur in uno eodémque mapali, quod ex ramis arborum contextum eſt tam perfunctorio opere, ut ventis liberè ſit pervium. In hujusmodi mapalibus excipiuntur quoque adventitii hoſpites, quibus conſuetâ patriæ Ambroſiâ, ſcilicet Chicha, & meliore frugum, quas terra ſua fert, obſonio deſerviunt.

7. Sed ad ejusmodi ſympoſia aditus quoque eſt indigenis ultrò concurrentibus, qui haud ſecus, ac hoſpites alienigenæ eodem hoſpitalitatis beneficio fruuntur. Nequid verò maleficii hæc ſua gaudia turbet, adjurant antè, & pellere nituntur malum genium. Hoc autem fit, dum eorum aliqui ex caſis proſiliunt, & inter clamores inconditos ſuis impactis clavis terram circùm, nec perfunctoriè pulſant. Id genus convivia producuntur plerúmque in tres continuos dies, ac noctes, ubi maximus conſiſtit luxus in copia, & virtute ſuæ potionis. Sed hauſtus hic ut primùm petierit vel modicè caput, aliàs debile, rationis ſenſu privat, eo effectu, ut hi lætitiæ dies plerumque inimicis tricis, & cædibus finiantur; nam reſides diu iras, & odia pridem ſepulta ea heluatio reſuſcitat. Quodſi; è diverſo hoſpitalitatem hanc pax & concordia texerit, & clauſerit, viciſſim prior Promus

mus Condus a ſuo peregrino hoſpite invitatur ad reciprocum ejus generis epulum, in ſuo viculo pari quadra ſtruendum. Et ex hac viſendi & reviſendi ratione ſtant, atque abſolvuntur omnia ipſorum diverticula. Præter has exterorum gratiâ factas compotationes, ſeipſos quoque mutuò & crebrò invitant ad chichæ hauſtum, quod ipſum maximo eſt obſtaculo, quò minùs ad fidei ſanctæ agnitionem, & vitæ humanæ formam reduci poſſint. Nimis enim quàm verum eſt, quod de his aliiſque Indiæ populis Reverendiſſimus D. Epiſcopus Alphonſus de la Penna Montenegro ſcriptò reliquit, dum dixit: *Fruſtrà docentur in fide, niſi ab eis removeatur ebrietas.* Itaque Miſſionariis noſtris ipſo ſtatim principio unica cura conatúſque fuit, ut hoc intemperantiæ genus cum omni conviviorum ritu tolleretur. Eo fine varia, modò mitia, modò amara ſunt remedia adhibita. Fuit enim, cùm vaſa, temulentiæ inſtrumenta, potulentis confringerent, aut ipſum potum effunderent. Quin fuit aliis vicibus, cùm ipſa compotantium conventicula diſturbarent, & omni verborum energia interdicerent. Ergo barbari tandem præ indignatione non ſemel ſtomachari, & ringi, imò clavas ſuas & tela jamjam expedire, ut liberarentur à tam acerba ſibi diſciplina. At obſervatum eſt denique, nec abſque admiratione, tam altâ radice roboratum ebrietatis vitium vix non ſimul & ſemel remiſiſſe. Quam quidem mutationem nemo humanæ tantùm induſtriæ Patrum noſtrorum adſcripſit, ſed dexteræ Excelſi inprimis ſupra omnes naturæ vires. Voluit, credo, Altiſſimus mirabili hujus vitii exſtirpatione remunerari, & in terris etiam coronare ingentes labores P. Antonii Fideli, Itali. Hic nullum non lapidem movit, ut excogitatiſſimis remediis huic morbo nationis temulentæ mederetur. Nec zelus ejus Apoſtolicus fructu caruit, cui tandem immortuus eſt Anno 1702. Quippe ab obitu ejus animadverſum eſt, quod citra ſingularem deinceps noſtrorum operariorum conatum hi Indi inveteratum perpotandi morem penitus poſuerint, quin oblivioni dederint, perinde ac ſi nunquam illi tam perditè inhæſiſſent.

CAP. II.

CAP. II. §. 3.

1. Partitio diei, & annui labores. Victus. Lusus. 2. Religio Chiquitorum. Sepultura. Luna eclipsata telis defenditur. Fulguris & fulminis interpretatio. 3. Superstitio.

1. VEnio nunc ad ordinem diurnum, & distributionem temporis, quæ est sequens. Sub auroram sumunt jentaculum, musicis dein se recreant instrumentis, quæ à nostris fistulis Europæis non multùm differunt. Perstant ita collecti, donec calore Solis ros matutinus absumatur. Cavent enim sibi ab omni roris madore, tanquam à re, valetudini summè noxia. His finitis manum labori in colendis agris admovent, nec alio utuntur in eam rem instrumento, quàm durissimo ligni genere, quod aratri, & cæteri ferramenti necessarii vices facilè supplet. Hic labor producitur usque in meridiem: postea domum reduces capiunt prandium. Reliquum diei insumunt ambulando, se mutuò invisendo, ubi in signum benevolentiæ, & amicitiæ vasculum, Chichâ plenum, circùm ambulat, ex quo singulos modicum quid libare oportet. Præter hunc temporis fallendi modum sunt illis varii generis lusus. Hos inter unus assimilatur lusui Europæo, quo pilam inflatam per auras ultro citroque propellimus. Igitur in lata planitie aliqua multi ordinatè dispositi, pilam lusoriam in altum protrudunt. Hanc recidentem non pugno, sed capite impacto illico repellunt, quod quidem summa dexteritate consequuntur, etsi frequentiùs ad terram usque sese inclinare debeant, ut nimirum supposito capite cadentem pilam ferire possint. Atque hic virorum est quà labor, quà exercitatio, ut tædium morosi temporis levent. Sed & fœminis consuetæ sunt, & multò frequentiores visitationes ad suas paris conditionis vicinas, quoniam plus otii illis suppetit defectu laboris, Indas haud satìs occupantis. Hunc enim facili opera absolverint, si modò domui bene providerint aquâ & ligno, si modicum quid obsonii ex hordeo suo in aqua decocto parârint, vel ex herbis, ex cucurbita, ex sylvestribus fructibus lixum aliquid apposuerint; nendi enim usum majorem non habent, quàm quantum brevis & modica ipsarum vestis poscit. Siquæ tamen velint esse labo-

rio-

rioſiores, pertexunt rete penſile, ſomno ducendo ſerviturum. Quæ quidem textura magno labore ſtat, deficientibus nempe idoneis inſtrumentis. Quare cùm pauci pares ſint ſumptibus, ad hoc rete neceſſariis, non ſine incommodo coguntur indormire vel nudo ſolo, vel lignis junctim poſitis, non dedolatis, nec æquatis. Cœnam admittunt poſt ſolis occaſum, qua ſumpta adultiores ſe dant quieti nocturnæ: Cœlibes Juniores ad initium noctis ſeſe conglobant, & viâ publicâ choreas inſtituunt in modum ſequentem. Ordinant ſe in ſpatioſum circum, in cujus centro choraulæ duo inflatis fiſtulis pubem animant. Exorto fiſtulatorum ſonitu, conclamant ſub ſaltatione unà omnes, voce tamen non variata, sed uniformi. Poſt juvenes in alia area ſaltitant eodem ritu puellæ, durátque hæc gemina ſaltatio plerúmque duas vel tres horas, donec laſſati cubitum concedant. Præter hunc diei ordinem etiam diſpertitas anni partes obſervant; nam finitæ tritici & orizæ meſſi ſuccedit venatio, & piſcatio. Venatum ituri in multos ſeſe dividunt manipulos, & per duos, trésque ipſos menſes excutiunt ferarum latibula. Sternuntur apri, ſimii, urſi, cervi, rupicapræ. Ne autem præda ferina puteſcens pereat, exſiccant illam tamdiu, donec in morem ligni indureſcat. Et ille quidem, qui venatu plus prædæ collegit, fortunatus, fortíſque celebratur, ut nemo non eidem gratulatum veniat. Menſe exin Auguſto revertuntur ad ſua mapalia, avocante illos agricolatione, quæ circum id temporis initium ſumit. Hæc de Chiquitorum externis moribus.

In rebus fidei ſimiliores ſunt brutis, quàm cæteris Barbaris. Vix 2.
enim reperire eſt populum, quantumcúnque hebetem & tardum, qui non agnoſcat aliquam utut falſi Numinis Divinitatem. Chiquiti contra nihil Numinis omninò colunt, ſeu quod ſub ſenſus cadit, ſeu quod ſenſus excedit, nequidem ipſum Diabolum, quamvìs hunc magnopere expaveſcant. Credunt tamen animæ im̃ortalitatẽ. Quare cùm mortuos ſuos terræ mandant, tumulis apponunt eſcas cum arcu & ſagitta, ut in altera vita ſuomet labore ſibi alimenta provideant. Hoc nempe pacto ſibi perſuadent fore, ut non cogantur defuncti redire in has terras urgente fame. Et in hac quidem opinione ſiſtunt citra longius, exactiúſque examen, qui tandem ille artifex ſit, cui tam nobiles creaturæ ſuum ortum debeant. Neque verò, ſi hoc ab ipſis roges, ad quæſtionem ſciunt reſpondere. Lunæ, quam ſolam aliquatenus reſpiciunt, tribuunt nomen *Matris* abſque alia tamen veneratione. Si

D con-

contingat, ut terræ objectu illa eclipsim patiatur, tum verò ex tuguriis suis prorumpunt, & inter terribiles ejulatus, & tremores effundunt in aëra densum telorum veluti nimbum, ad Lunæ scilicet laborantis defensionem, à canum incursu, ut ajunt, super astra infestatæ, & usque adeò laceratæ, ut corpus ejusdem totum quantum cruore diffluat. Hæc tam ridicula ipsis est persuasio de Lunæ deliquiis. Unde jaculari sagittas non cessant in cœlum, donec Planeta hic ad priorem se nitorem reduxerit. Quando cœlum fulgurat, aut tonat, perhibent, aliquem defunctorum certare cum stellis, inter quas versari illum credunt. Id genus tempestates inter fulgura, & tonitrua, etsi sint ipsis valdè frequentes, non tamen meminêre, ullum suorum fuisse vel ictum fulmine, vel morte prostratum. Itaque horum Indorum unus unicus Deus est *venter*, nec alteri rei magìs student, quàm ut per omnia genio suo litent inter voluptates. Sicut autem nullum venerantur Numen, ita nihil tolerant, quod in stigii hostis honorem apertè cederet. Hinc extremè execrantur veneficos, & omne genus commercii cum malignis Orci spiritibus. Propterea magos, ceu pessimam humanæ gentis pestem persequuntur. Certè paucis abhinc annis quàm plurimos ejus maleficæ fæcis præstigiatores morte mulctârunt. Nemini uni proinde fas est, ut vel minimam suspicionem moveat de magicis artibus, nisi in arena velit fatalem mox clavam experiri. Nihilo tamen minùs sunt impensè dediti superstitionibus in divinando futuras res.

3. In ea enim fixi hærent sententia, omnia seu bona seu mala, casu evenientia accidere ex astrorum influxu. Ut explorata ergo habeant, quæ sibi sint eventura, non quidem cursum cœli, vel situm planetarum (id enim transcendit ipsorum intellectum) observant, sed varia animalia, arbores, volucres, & harum maximè cantum attendunt. Quodsi prognostica ipsis signa denotent infaustum quid, puta, morbum, lepram, vel incursionem Mamalucorum, tum verò totis artubus contremiscunt, sideratique ita impallescunt, ceu impenderet cœli ruina, aut terræ dehiscentis hiatus ipsos exspectaret. Quin panicus hic terror eò valet, ut desertis suis casis aliò profugiant, & in spissos nemorum recessus, & rupium cavernas sese abdant, ita quidem, ut genitor suas proles, maritus uxorem, affinis affinem, amicus amicum ultro penitùsque derelinquat, perinde ac si nunquam se mutuò nôssent, aut sibi consuêssent. Hæc ipsa divortia & diffugia

nostris

noſtris Apoſtolicis viris ingentem injecêre curam, qua neophytos collectos uno eodémque loco continerent. Fatendum tamen eſt, hoc ipſum, quòd nullam divinitatem coluerint, malósque genios nunquam in æſtimatione ac pretio habuerint, unam ex optimis præparationibus extitiſſe, ad unius veríque Dei agnitionem illos perducendi. Nec modicum huc etiam contulit averſatio omnis rei magicæ, quæ alioqui apud Barbaros maximo eſt impedimento, quò minùs veritas fidei illis perſuadeatur. Laudanda proin eâ de causâ ſingularis providi Dei bonitas, quæ non permiſit, ut in harum animarum poſſeſſione falſum aliquod Numen ſibi locum præoccuparet, cùm tamen contermini Indi alii in his miſeris idolomaniæ tenebris verſarentur, & magnam hodiedum partem verſentur.

Cap. II. §. 4.

1. De perdifficili lingua Chiquitorum. 2. Ejus linguæ ſpecimen.

Ut poſtremum memorem quid de eorum lingua, profectò hæc eſt captu difficillima; quippe cui addiſcendæ ne multi quidem anni ſunt ſatis. Sileam ego hac ſuper re, & id tantùm afferam, quod prioribus annis unus Miſſionariorum hos inter populos perſcripſerat amico ſuo. Queritur ille, ſe adhibitâ quantumvis omnî induſtriâ illam linguam capere non potuiſſe. Quælibet communitas, inquit, utitur ſingulari, ab aliis diſtincto idiomate, eóque difficillimo. Quæ certè res ex omnibus, quæ Apoſtolico apud Chiquitos viro occurrere poſſunt, longè eſt graviſſima. *Ingentem proinde laborem, & unâ mœrorem* (ſcribit ille) *mihi hoc affert, cùm facilè perſuadeor, me ex ignorantia linguæ non poſſe porrò ſudorem meum impendere ad incrementum hujus novæ Coloniæ Chriſtianorum. Lexicon hujus linguæ hodiedum non eſt abſolutum, ſed primodum ad initium literæ C. eſt deductum, & tamen hic liber jam conficit viginti quinque quaterniones chartæ. Dein & Grammatica non caret maximis difficultatibus, potiſſimùm in variatione verborum, ut vocant Latini. Hæc enim innumeris mutationibus obnoxia ſunt, modo prorſus diverſo ab aliis linguis. Hem ſpecimen. Poſſum duabus his vocibus:* Ego amo: *in diverſis uti circumſtantiis. Ita licet mihi dicere:* Ego amo; ego amo Petrum, amo me, amo illum, illos, 1.

amo hoc, amo ideo, *& id genus plura, ita ut duæ voces:* Ego amo: *in cunctis his circumstantiis citra variationem fixæ manere possint. At verò contrarium accidit in Chiquitorum idiomate, cùm in allato exemplo tam vox* ego, *quàm verbum* amo *mutari debeat. Quæ diversitas facit, ut, etiamsi inflexionem seu conjugationem talis verbi ordine calleam, mihi tamen parùm prosit ad verbi alterius conjugationem addiscendum. Ego quidem spatio quinque mensium, quo hîc versor, vix quaternas ejus generis conjugationes didici, licèt dies ac noctes summâ industriâ in id impenderim. Censeo proin oportere illos, qui huc mittuntur, esse junioris ætatis, & unà Sanctitatis Viros invictâ maximè patientiâ, & felici insuper memoria instructos, sine quibus adminiculis nunquam hanc linguam exhaurirent. Et Barbari quidem ex aliis communitatibus omninò non sunt apti ad eam perdiscendam, nisi à prima pueritia usque in usu ejusdem idiomatis educentur.* Certè P. Paulus Restivo, qui anteà Guaranicam linguam mensis unius impendio comprehendit, ut solitas nobis functiones omnes perageret, puta concionandi, catecheses tradendi, &c. Hic tamen nunquam toto, quo hîc est, tempore præsumpsit dicere ad populum. P. Joannes Bapt. Xandra, quòd sat adulta ætate huc missus sit, permodicum hujatis linguæ intelligit. Ex Senioribus Patribus, quorum aliqui viginti quinque omninò annos his in terris jam exegerunt, nemo unus hanc linguam funditus perfectéque possidet. Quin fertur, quòd sæpiùs ipsimet Indi se invicem non intelligant. Quid jam dicam de pronunciatione? Quandoque quatuor simul verba sic in ore confundunt, ac si nullum ex his pronuntiarent, & ita quidem, ut à nemine possint intelligi. Apponam hîc breve idiomatis exemplum de laudando SS. Sacramento, & formando signo S. Crucis, prout quotidiebus decantant, non verò, prout pronuntiant. *Tametsi enim hanc formulam scriptam præ manibus quis habeat, tamen nec verbulum intelliget, ut adeò mihi imaginari non possim, quomodo ipsi semet in mutuo sermone capiant.* Hem specimen linguæ.

2. Latinè. *Laudetur Sanctissimum Sacramentum,*
Hispanicè. *Alabado sea el Santissimo Sacramento,*
Chiquiticè. *Anauscia Santissime Sacramento.*
Quod est in altari, atque etiam,
Que està enel altar, y tambien,
Naqui anè ycu altar, inta yto.

Vir-

Virgo S. Maria, quæ in ſua Conceptione,
La Virgen S. Maria, desde ſu Origen,
Virgen S. Maria, ninnemooco.

Fuit libera, & pura, quando principium,
Eſtà libre, y pura, quando tuvo principio,
Oximanane, quichetenna, onumo, ayboyi.

Habuit eſſentia primi peccati antiqui,
Al ſer del primer pecado antiquo,
Yy tnicocinitanna ninahiti ticanni.

FORMULA

Ad Signum S. Crucis eſt ſequens.

Latinè. *Per Signum S. Crucis,*
Hiſpanicè. *Por la ſennal de la ſanta Cruz,*
Chiquiticè. *Oj naucipi ſanta Crucis.*

Defendat nos - Deus noſter,
Defiende à noſotros Dios nueſtro,
Oquimai zoychacu Zoichupa.

Ab illis, qui oderunt nos,
D aquellos, que aborrecen à noſotros,
Mo unama, po chineneco Zumanenæ.

In nomine Patris, & Filii,
En el mombre del Padre, y del Hyo,
Au niri naqui yayotik, ta naqui aytotik.

Et Spiritus Sancti,
Y del Eſpiritu Santo,
La naqui Eſpiritu Santo.

Quid jam sentit R.ª V.ª ? Profectò ardua res. Nec alio fine hæc perscribenda duxi, nisi ut condoleret, Deóque supplicans, mihi aliquid de dono linguarum impetraret. Antè tamen, quàm finiam, fatendum nihilominùs est, apud hos Indos, id commodi adhuc esse, quòd nos, utut corrupta dialecto loquamur, vel perperam pronuntiemus, tamen illi nos facilè intelligant.

Hæc est epistola illius Missionarii, ex qua patet, quàm difficile cadat idipsum, quod ad prædicationem Evangelii summè necessarium est. Præter hujus linguæ difficultatem ingens etiam aliarum varietas fervorem Apostolici Viri admodum retardat, dum modò hîc, modò illic recentes Indorum vici, à centum & amplius familiis conflati, occurrunt, in quorum singulis etiam singularis, & prorsus diversa lingua usurpatur. Si cui hujus rei experientia non est, vix fidem astruet. Cùm Patres Christoph. de Acunna, & Andreas de Artreda volente Rege Philippo IV. populos ad litora fluminis Amazonum considentes visitarent, deprehenderunt, illos centum quinquaginta linguis loqui, quarum quælibet ab altera plus differt, quàm Hispana à Gallica. In Missionibus apud Moxos (si bene memini) quindecim distincta idiomata sunt in usu, quamquam incolarum millia plura non sint, quàm triginta. In his nostris Chiquitorum novis Coloniis triplex vel quadruplex viget idioma. Ad hanc tantam difficultatem tollendam, ea cura impendi cœpta est, ut omnes hujus tractûs Indi condiscerent unam Chiquitis maximè propriam linguam, id quod tam facili opera non fiet. Quippe si alii Barbari, in quibus ad fidem reducendis hodiedum laboratur, ad numerum trium vel quatuor millium ascenderint, nova Colonia erit plantanda, & nobis proinde erit necesse, accommodare linguam ipsorum linguæ. Igitur præter Guaranicam, qua in Guarania utimur, opus est, ut etiam devoret Missionarius idioma Chiquitorum cum Morotoccico, quo loquuntur populi Zamucos dicti.

)†(

CA-

CAPUT III.
Gens Chiquitorum detecta.
§. I.

1. Origo fluminis Paraquarii quæritur. 2. Hispani sedem figunt apud Chiquitos. 3. Trucidantur novi Domini ob avaritiam. 4. Residui Hispani profugi condunt Urbem S. Laurentii. 5. Vicus S. Xaverii fit Christianorum reductio. 6. Barbari Hispanorum prædia exspoliant, denique ipsosmet necant. 7. Talionem ab Hispanis experiuntur.

GUbernabat Anno 1557. Paraquariam universam Dominicus Martinez. Hic amandaverat hominem (Nuflo de Chabes dicebatur) ad originem usque Paraquarii fluminis, à quo ipso fluit nomen toti Paraquariæ. Jussus iste fuerat specie aperiendi majorem vicinitatem cum Peruviæ Regno, exstruere modicum propugnaculum in Insula Lacûs Xarayensis (Xarayes) in quem finem illi comites attributi sunt trecenti milites. Cùm præfixum sibi hunc terminum attigissent, in ulteriora regionis nonnihil penetrarunt usque ad Chiquitos. 1.

Igitur emensis ad occidentem septuagintà circiter leucis ad radicem cujusdam montis coloniam fundârunt, cui nomen dedêre à S. Cruce in montanis (santa Cruz de la Sierra) At ubi progressu temporis pax & concordia inter Nuflonem de Chabes, & suosmet Commilitones intercidit, multi eorum terga verterunt, & terrestri itinere procul recesserunt. Illi autem, qui ad Crucem restiterunt, sua tandem familiaritate & comitate conciliârunt sibi amorem & benevolentiam circumjacentis populi. Hunc ergo in quasdam velut toparchias distribuêre: eadémque operâ persuaserunt, ut sibi ceu Dominis annuum penderent tributum, partem scil. Gossypii & annonæ in Signum Jurisdictionis. 2.

At

3. At enim, cùm lucri cupido nec modum, nec legem patiatur, eorum aliquos insatiabilis ditescendi fames eò abripuit, ut novos subditos intolerabili jugô premerent. Præcipuè miseros torquebat Indos, dum videbant, suos sibi liberos ab Hispanis vi abstrahi in mancipiorum sortem. Ergo huic tam iniquæ servituti finem facturi, non dubitârunt suos usque adeò immisericordes Dominos trucidare. Horum exemplo mox cæteri quoque animati Indi paria suis dominis fecerunt, ut proinde Prorex Peruviæ id temporis Franciscus de Toledo necessarium duxerit mandare Hispanis, ut eam regionem penitus desererent.

4. Hi igitur quinquaginta leucis in regionis interiora occasum versùs profecti, Urbem S. Laurentii, caput totius Provinciæ de S. Cruce condiderunt. Atque eo pacto Penoquisii, hujus ab Hispanis desertæ terræ incolæ recuperârunt suam cum libertate patriam, & unà conterranei. Sed & eâdem occasione in avitæ superstitionis tenebras rediêre. Ex reliquis Hispanis aliqui secesserunt contra Proregis edictum in terras Moxorum, ducentis milliaribus remotas ab Urbe S. Laurentii. Ibi ope exigui navigii superato fluvio Mamorè, per vastum flumen Maragnonem in Oceanum delati, tandem in Europa appulerunt. Reliquiæ autem Hispanorum remanserunt in Chiquitorum Provincia.

5. Ibi ad pedem montis viculum construxerunt sub nomine S. Francisci, penes quem locum hodiedum videre est novam Christianorum Reductionem S. Francisci Xaverii. Quamdiu quidem Hispani hîc consederunt, aliquid dominii sibi vindicârunt, quod constabat ex populis Quicmes, Tanipuycas, & Saberecas. Sed propediem coacti sunt, parta relinquere, & ad Urbem S. Laurentii sese recipere. Hujus demigrationis comites fuerant pauci Quicmes, & Paranies, qui non procul dicta Urbe locum habitandi in Cococà captârunt, ubi in hunc usque diem sub religiosa Provinciæ nostræ Peruanæ cura ætatem degunt.

6. Post hanc rerum mutationem Barbaros ardens incessit cupiditas prædandi quidpiam ferrei instrumenti. Ea intentione trajecerunt fluvium Guapayum, occasionem à nocte captantes in occulto recessu, ex quo improvisi circumjecta Hispanorum prædia adorti, quidquid cultrorum, asciarum, serrarum, & id genus ferramenti repererunt, secum abstulerunt citra aliud tamen damnum, Sed enim, ut avaritia

malè

malè partis plùs inflammatur, ita crescebat sitis plura acquirendi, & cum ista siti etiam audacia. Quippe iterata prædiorum expilatione inquilinos non tantùm rebus, sed & vitâ spoliârunt. Senserunt tandem Hispani, hanc stragem à Chiquitis fuisse.

Talionem ergo redditùri, ultum ibant injuriam. Sed una alteráque vice expeditio ipsorum tam malè cessit, ut post cruentam sibi pugnam ex acie discederent. Hoc enimverò erat, cor Hispanorum petiisse; ubi sensus est acerbissimus, in puncto scil. læsi honoris. Nec tam supellectilis ablatæ jacturam, quàm id maximè dolebant, nulla ratione ferendam, glorioso nimirùm nomini suo, & bellicæ tanto sudore, quin & cruore partæ gloriæ apud omnes gentes à vilissimis Barbaris tam turpem aspersam esse maculam. Hoc ergo famæ probrum absterſuri, justo hostes suos prælio aggrediuntur, in quo, dum Chiquiti nullo ordine dimicant, explosis utique fistulis pyriis inexperti, acie victi sunt. Exinde Chiquiti ab innata animositate remiserunt in omnem dispersi partem, ac in densissima sylvarum abdita profugi, ut in futurum adversùs armatam victorum iram tuti laterent. Ac nec hìc securis esse licuit, ubi ab Hispanis velut indagine clausi crebrò protrahebantur, continuato vindictæ studio ad eluendum dedecus, quod in eorum pectus tam altè descenderat. Et verò ad satietatem id sunt consecuti, quando hostes suos manipulatim in servitutem abstraxerunt. 7.

Cap. III. §. 2.

1. Chiquiti pacem petunt. 2. Valde minuuntur per Hispanos & Mamalucos.

Per has adeò frequentes, noxiásque incursiones tandem Chiquiti ita subacti, suppressique sunt, ut Anno 1690. cœperint solicitare pacem, & amicitiam. Nam aliqui eorum, dicti Pacaràs, Zumiquies, Cozos, & Pinnocas subornârunt Legatos ad Urbem S. Laurentii, nomine suorum Caciquiorum veniam & pacem rogaturos. Utrúmque sunt consecuti à Gubernatore ad S. Crucem D. Augustino de Arce. Itaque hostilitates illos inter atque Hispanos finem acceperunt, non ita tamen, quin variæ, & admodum damnosæ persecutiones supervenirent, per quas tam populosa alioqui gens valde accisa & diminuta est. 1.

2. Sed de his plura non afferam, nec toti Hispanæ Nationi imputetur, quod aliquorum improbitati, qui nec divini nec regii honoris rationem habuêre, est adscribendum. Præter hos ad diminutionem ejus gentis plurimum contulerunt perpetuæ grassationes Mamalucorum ex Brasilia. Hi trajecto Paraquario flumine in miserum hunc populum tam crudelibus modis sunt debacchati, ut vix non exscinderent, penitúsque delerent. De impia Mamalucorum fœce nonnullam notitiam hîc subministrabo, quoniam crebriorem de eorum maleficiis mentionem facere me oportebit.

Cap. III. §. 3.

1. De Mamalucorum origine & maleficiis, postquam Lusitani Brasiliâ potiti. 2. Urbs Piratininga nidus Mamalucorum. 3. à DEO & Rege deficiunt. 4. Situs Piratiningæ, soli fertilitas. 5. Plagiarii Mamaluci cum ruina Urbium & Missionum.

1. Postquam Lusitani armatâ manu potiti sunt Brasiliæ Regno, longiùs progressi in interiora terræ, nova habitandi spatia designârunt. Horum alia pagi tantùm nomine veniunt, alia sunt oppidis & urbibus accensenda.

2. Inter has urbes una dicitur Piratininga, aliàs à S. Paulo dicta. Incolæ hujus loci ob penuriam Mulierum Europæarum nobilem suum sanguinem cum Barbaro sexu commiscuerunt, aut potiùs infecerunt. Quippe horum filii, qui plerúmque plùs matrum quàm patrum indoli consuescebant, usque adeò à nobili stirpe degenerârunt, ut ipsorum causa vicinas Lusitanorum civitates puderet, omníque cum illis amicitiæ renunciarent. Quin ne tanta morum dissimilitudo in suis Gentilibus toti Lusitanæ Nationi in oculis mundi indelebilem labem affricaret, ablato illis Lusitanorum nomine tanquam desertores nonnisi Mamalucos cognominârunt. Hos tamen ipsos ut in Christianæ saltem vitæ orbita retineret, nihil non operæ impendit Thaumaturgus Pater Josephus Anchieta Soc. Jesu. Cum Sociis enim ejus Collegii totis viribus connixus est, ut Deo & suo Regi fidem constanter servarent.

At progressu temporis perdita omni legum reverentiâ Patres nostros procul à se abegerunt, & unà jugum excusserunt utriúsque potestatis Divinæ & Humanæ, ita quidem, ut nec Regi, nisi commodum eorum interesset, nec DEO, nisi extrema necessitas posceret, obedientiam præstarent. His Apostatis magno numero dein accessit variæ sortis colluvies hominum ex Italis, Hispanis, Hollandis, & aliarum nationum, qui vel meritas debitásque criminibus pœnas declinaturi, vel vitæ licentiori vela daturi, vel hæresin suam impuniùs professuri illuc convolârunt. Quo proin transfugio non tantùm numerus, sed & indomita insolentia oppidanorum mirum quantum sumpsit incrementum. Isti tam sceleratæ ac brutæ vitæ occasionem multam præbebat loci ipsius tutissimus à natura situs. 3.

Urbs siquidem tredecim circiter milliaribus à mari remota admodum præruptæ incumbit petræ, quæ totà suâ peripheriâ omnem in urbem aditum ita præcludit, ut nonnisi unâ eáque perangustâ viâ introitus pateat. Quare vel à paucis contra multos facilè potest defendi. In inferna planitie per circuitum petrosi jugi extant aliquot vici, qui partim sunt sub jurisdictione Gubernatoris, partim serviunt diversorii loco peregrinis, & mercatoribus. Nam urbem accedere nulli ex his consultum est. Cæterùm auræ temperies ex suopte naturali situ, & miti climate loci est saluberrima, amœna, & perjucunda. Commodè enim distat ab æquatore in Meridiem 24. Gradibus, & quod consectarium est, summa ibi terræ fertilitas, quà spontanea naturæ liberalitate, quà cultura. Fert proin magnâ abundantiâ non duntaxat ea, quæ necessitati, sed & quæ hominum deliciis deserviunt, ut in vicinorum quoque locorum usum ex hoc tractu magna frumenti, pecoris, Saccari & aromatum copia avehatur. Quin nec desunt huic loco aurifodinæ, & aliorum metallorum feraces glebæ. At enim ipsi incolæ, à natura tam liberaliter provisi, usque adeò non referunt eidem pares gratias, ut etiam ejusdem naturæ leges contemnant. 4.

Præter omnem enim rationis legem illorum potissima sunt studia, ut omnes adjacentes regiones hostili grassatione infestent, miserósque Indos maximo numero in servitutem abstrahant post omnium scil. rerum expilationem. Id nefas principiò ausi sunt non sine timore, posteà tamen cùm nihil pœnæ, sed inanes tantùm minas experirentur ad terrorem, impunitas in extremam audaciam degeneravit. Certè intervallo centum & triginta annorum quadragies centena homi- 5.

num millia (puta duos milliones, si tantùm computemus, quæ certa sunt) truculenta morte sustulerunt, aut secum in Brasiliam raptârunt ad duram servitutem. Hæc Mamalucorum immanitas grassabatur latè ultra mille milliaria, ut ne quidem populi ad Maragnonem fluvium considentes, suas inter solitudines securi persisterent. Primi omnium tamen, quos hæc inhumana involvit procella, erant proximè adsiti nostri Indi ex Provincia Paraquariensi. Nam ut taceam aliquot Urbes, quas Inquilinis Hispanis penitus nudârunt, quatuordecim insuper Christianorum Communitates funditus pessumdederunt, quas nostrorum Patrum indefessa industria in Provincia Guaranica constituerant. Numerabantur autem ibidem quingenta animarum millia, quæ Dei cognitione jam erant feliciter imbuta. Crudelitas horum plagiariorum eo major censenda est, quo certiùs ipsis constabat, ex centum vix unum in Brasiliam usque deferri, cùm potior pars iniquitate viarum antè pereat. Cæteri, qui vivi illuc perveniunt, præproperam æquè mortem obeunt, quoniam in effodiendis metallis & faciendo agresti opere inter horribiles plagas & victûs miserrimi tenuitatem durissimè habentur. Legi ipsusmet Catalogum, Regi submissum, cujus summa est, quòd ex ter centum millibus Indorum, spatio quinquennii à Mamalucis abstractorum, non ampliùs, quàm viginti millia in Brasiliam sint translata.

Cap. III. §. 4.

1. Inaudita Mamalucorum impietas. 2. Puniuntur à DEO & Indis, Victoribus.

1. VErùm post hæc omnia impietati necdum fuit ultimus terminus, quamquam ne quidem potuisse illam crescere existimares. Quippe iisdem viis & modis usi sunt ad finem suum pessimum consequendum, quos usurpabant nostri Missionarii ad persuadendam barbaris Christianam veritatem. Quo quidem inaudito scelere Patres maximo omnium Indorum odio exposuerunt. Nequissimi enim Nebulones sese ferebant publicè tanquam veros Missionarios è Societate Jesu. Sibi proin ipsi attribuebant nomen *Patris*, apud omnes, etiam barbaros populos usque adeò venerabile. Unus quidem se fingebat sub-

subditum, alter superiorem, quin tertius etiam ipsum Provincialis titulum sibi arrogabat. Et fuit hujus farinæ aliquis specioso Provincialis nomine insignitus, qui viginti abhinc annis ab Hispanis captus est. Quin imò (quid tandem vel ipsa dæmonis malitia pejus excogitet) erigebant in patenti campo signum S. Crucis: ostentabant Indis pia simulacra nostri Servatoris & Virgineæ Matris. Erant alii, qui adibant viculos, & more Missionariorum donabant incolas munusculis variis, genti huic pergratis. Hoc bolo quasi inescatis suadebant, suis ut relictis tuguriis secum transmigrarent ad alterum populum, victuri quietiùs & sanctiùs. Ubi primùm hac fraude simplices Indos suæ potestatis fecerant, Caciquios primò ferreis compedibus constringebant, cæteros dein ex plebe secum raptabant. Hic dolus ipsam diaboli nequitiam propè superans, nos Patres (ut pronum est judicare) plerísque omnibus populis non tantùm maleficii tanti suspectos reddidit, sed etiam in præsentissima vitæ pericula non semel conjecit. Indi enim sub alicujus Missionarii adventum planè incerti hærebant, an non sub Ovina pelle Christiani Prædicatoris lupus rapax ex Brasilia veniens delitesceret. Itaque vel fugam procul præcipitabant vel ad arma conclamabant, maximo ipsorum damno, & nostro incredibili dolore.

Neque verò Deus ultionum Dominus hoc tantùm nefas dissimulare visus est, cùm manifesta doceat experientia, id genus plagiarios sceleratissimos misera plerumque morte perire citra ullius pœnitentiæ signum, quin cum summa desperatione. Certè unus è nostris Patribus narrat, id quod suismet oculis vidit, nullum scilicet ex omnibus Mamalucis, qui Anno 1696. vel prælio victi occubuêre, vel in profundum aquarum ex acie profugi sese præcipitârunt, cum signo pœnitentis cordis animâm efflâsse. Cæterùm etsi Mamaluci quà nefandis his belli dolis, quà execranda armorum vi & insolentia his imbecillibus Indis, adversùs tales hostes non perinde armatis, tot decumanas strages intulerint: tamen & Indi vicissim nec una occasione bello superiores, atque adeò victores evaserunt cum clade hostium, qua eorum impietatem, suásque injurias strenuè vindicârunt, fractâ non perfunctoriè insolentiâ. Cùm enim adverterent, sibi vel moriendum, vel vincendum, aliquoties tanta animositate pugnârunt, ut tam in sylvarum anfractibus, quàm in aperto campo penes ipsos staret victoria, captivis ductis iis ipsis, qui exierant libertatem Indis ablaturi. 2.

CAPUT IV.

Pater Josephus Arce dat initium novæ reductioni Chiquitorum post superatas multas difficultates.

§. I.

1. Paraquarii origo investiganda Patri Arce demandatur. 2. Supplementum novum Missionariorum. 3. Obstacula Patri Arce facta. 4. Obstacula à plagiariis Hispanis & institoribus iniquis.

1. SUb initium Anni 1691. Tarixam advenerat P. Gregorius de Orosco, id temporis Præses Provinciæ, visitaturus Collegium, & inde perrecturus in terras Chiriquanorum. Nempe ut coràm & ibi inspiceret tantisper quà difficultates, quà ingentia suorum subditorum discrimina, inter quæ illos necessariò versari sciebat. Dum in hujus itineris proposito est, accipit literas à D. Præfecto Urbis S. Crucis cum supplice epistola Patris Arce. Hanc suam epistolam hic ipse Pater dein secutus, Tariqueâ supervenit, ut præsens rem suam urgeret ad DEI gloriam, & animarum salutem cum spe Martyrii olim consequendi. Inexspectatæ hæ literæ P. Provinciali non modicam injecerunt curam. Suómet quidem zelo admonebatur, ut omnem, licèt uno eodémque tempore se offerentem salutis alienæ occasionem prensaret, & quoad posset, novos Missionarios ablegaret, ubi ubi spes se dabat Christianam fundandi Coloniam: ex altera tamen parte ab hoc proposito deterrebat paucitas Missionariorum, qui eo tempore vix pares erant conservandis priscis Missionibus. Re diu maturéque deliberata visum est, salutem tot recentium animarum præferri oportere, quoniam bono DEO facilè esset, penuriam operariorum supplere. Nec secus factum est eodem adhucdum anno. Quippe quadraginta quatuor Patrum supplementum

tum in portu Boni aëris feliciter exſcendit. Miſerat hos ex Hiſpania Procurator hujus Provinciæ P. Didacus Franciſcus de Altamirano ſub cura P. Antonii Parra, cæterorum Superioris. Ceſſit hoc ad tantum Provinciæ hîc noſtræ emolumentum, ut magnam hiſtoriæ partem hi viri ſuis factis ſint expleturi. Hujus ergo divini ſubſidii ſpe fretus P. Provincialis Patrem Arce dimiſit ad flumen Paraquarium cum mandato, ut originem ejusdem fluvii exploraret, & unà indolem Chiquitorum, & vicinarum gentium, an nempe, & quam ſpem facerent recipiendi olim baptiſmi, donec in partem laboris ſupervenirent alii, ex Guayraniæ reductionibus evocati.

Eorum autem nomina erant P. Conſtantinus Diaz Ruinenſis ex Sardinia, P. Joannes Maria Pompejus, Beneventanus ex Regno Neapolis, P. Jacobus Claret Namurcenſis, ex Belgio, P. Joannes Baptiſta Neuman Viennâ Auſtriæ, P. Henricus Cordule Pragâ Bohemiæ, P. Philippus Suarez-Almagro Caſtellanæ Provinciæ, denique P. Petrus Laſcamburu, Iruno ex Biſcaya, qui cæteris Superior datus eſt. Atque hi quidem omnes ſua hac Apoſtolica Miſſione mirum quantum lætabantur, alacritate tamen animi facilè anteibat univerſos ardentiſſimus P. Arce, qui præ ſolatii abundantia vix ſe capiebat. Itaque ne quid temporis deperderet, cum Socio Fratre Antonio Ribas citra moram Tarixâ diſcedens, ad Urbem S. Crucis Serratæ (de la Sierra) devenit. Jámque in procinctu erat ad iter ſuum porrò proſequendum, cùm non ſine ſummo dolore intelligit, quòd Orcus ſuum propoſitum intervertere tentaret. 2.

Et verò incurſus hic tantæ fuit vehementiæ, ut certò certiùs ſuccubuiſſet, niſi extraordinarius Viri zelus, verè Apoſtolicus animâſſet ad eò fortiùs obviandum adverſitati. Fons mali fluxit ex improviſo adventu novi Gubernatoris in Urbem S. Crucis, ſub quo rei facies prorſus immutata eſt. Non tantùm enim in eo laborabatur, ut gravia expeditioni huic interponerentur impedimenta, ſed apertè etiam conabantur inanibus ex cauſis Patri perſuadere, ſuis à conſiliis ut penitus deſiſteret. Objectabat enim, hunc conatum bono exitu cariturum propter nimias, & humanis viribus non ſuperabiles ærumnas, quæ evitari non poſſent. Chiquitos nimiopere barbaros & brutos eſſe, ut proin jugo Chriſti in hominum æſtimatione tam duro, nunquam ſe ſubdituri ſint, maximè quòd in comperto ſit, nunquam illos ad aliorum Barbarorum ſuperſtitiones à ſuis vicinis perduci potuiſſe, 3.

licèt

licèt effreni illorum genio vivendi multo largiùs velificarentur: fieri dein non posse, ut Dei & proximi amor instilletur cordibus eorum, qui ne quidem volunt, quod natura parens docet vel bruta animantia: non tam esse magnanimitatem, quàm sub zeli schemate latentem temeritatem, dum quis tam cæco modo se exponit vel violentæ mortis, vel saltem certæ captivitatis periculo; desiderio enim horum Barbarorum, quo fidei Christianæ gratiam affectare videntur, nullatenus fidendum, cùm tacito id duntaxat dolo fiat, nequid maleficii porrò Hispani ab ipsis timeant, ipsi interim suas consuetas infestationes & rapinas eò fidentiùs continuent. Ad ultimum si hæc tot & tanta momenta animum non averterent, consideraret tamen Pater Arce, quàm non salubre, quin valde noxium ejus Regionis Clima sit, maximè alienigenis, cùm vel ipsos inquilinos ferè quot annis periculosa lues infestet, quæ ipsa Patrem procul dubio contagione; esset perditura: mutato proinde consilio pinguiorem messem in alio agro sibi quæreret.

4. His & similibus, pridem antiquatis rationibus contendebant multi ex Nobilibus (veriùs ipsi Tartarei animarum hostes) extinguere P. Josephi Arce inflammatum zelum. Sed enim experiri dedit eventus Tartaro, omnes has suas technas in nihilum recidisse. Ergo tam ardentis zeli flammæ domandæ aliam suscitavit flammam. Auri sacra fames nimirum fomes fuit inflammandis nonnullis Europæis institoribus, ut ad majores grassarentur opes, sed illicitis nempe viis. Ex condicto enim inierunt Societatem, & mutuis conventis hominum venalium commercium instituerunt, impii futuri plagiarii. Quod quidem mercimonii genus humanum nihil humani, sed avaræ feritatis plurimùm ferebat. Quippe eorum hominum, quos emebant, pretium erat tam exiguum, ut matrem cum filio non majore impendio sibi compararent, quàm unam aliàs ovem cum agnello. Verùm & hæc emptio justo carior ipsis denique visa est. Igitur ipsimet in proximiores Indorum terras penetrârunt, ex quibus brevì ingentem mancipiorum numerum corraserunt, nec id sine immani crudelitate. Specie enim injuriæ, & damni ab Indis illati ad meritas quasi pœnas exigendas irruebant in eorum vicos, & improvisò opprimebant incolas, trucidatis iis, quos sibi restituros timebant. Quin etiam vivos horum aliquos igne perdebant cum suis tuguriis, abstracta secum cætera indigenarum colluvie. Ex his dein in Peruvia venditis tantum lucri annui colligebant, ut ad multa scutorum millia excresceret.

Cap. IV. §. 2.

1. Causa plagiariorum diu non decisa pendet. 2. Graves pœnæ in eos statutæ tandem.

AT enim impia isthæc mercandi ratio cæteris conscientiæ melioris Hispanis probari nullatenus poterat, cùm palàm esset, hoc plagii genere regionem incolis, & subditis nudari cum indelebili Hispani nominis dedecore præter adscitum capitale Indorum odium, & secuturam totius Christiani orbis detestationem. Id quidem plerique omnes clàm dolebant, sed nemo unus erat, qui apertè auderet quidquam contrà movere, cùm ipsi Hispanarum sedium Magistratus non conserent consultum, deferri ejus farinæ mercatores ad supremum regiæ justitiæ tribunal, metu scilicet ingentium turbarum in iis terris. Dum verò ex hac impunitate malum eò intolerabilius fiebat, coacti sunt prioribus annis nostri apud Moxos & Chiquitos Missionarii appellare altius Regis tribunal, Chuquisacæ erectum, ibíque suas justas querelas insinuare. Sed & hîc causa decisione caruit, quoniam in illo justitiæ foro dives admodum, & potens causæ Patronus se extulit, qui iniquam hanc mercaturam tota est tutatus opum vi. Itaque tam sapiens alioqui senatus, metuendas turbas prævertendi gratiâ, à dicenda sententia abstinuit. Nihilo tamen minùs ex hoc foro res tam gravis est translata ad Principem de santo Bono. Præerat hic Peruviæ tunc temporis vicaria Regis potestate, fuitque simul Generalis militiæ Præfectus, cujus summo proinde arbitrio res tanta decidenda relicta est. Iste Magnanimus æquè ac Christianus Princeps primo causæ intuitu illico deprehendit gravem mercimonii hujus iniquitatem. 1.

Itaque idonea malo remedia, eáque severa duxit adhibenda, ne in posterum ejus generis nefas supremo regio foro negotium facesseret. Certè jacturam omnium facultatum, & pœnam exilii interminatus est iis, qui deinceps attentarent Indos vel emere vel vendere. Illi quidem Gubernatori, qui in commercio tam iniquo connivebat, suum abrogatum est officium cum mulcta duodecim millium Philippeorum. Atque hunc in modum tandem sublatum est infandum plagium cum inexplicabili solatio eorum, qui animas Christi Sanguine redemptas sanctiore mercandi genere quærebant. Huc deditâ operâ ponendam 2.

censui causæ præsentis seriem, & exitum, non quòd temporis ordo id posceret, sed ut pateret, enorme id genus nefas habere meritam pœnam sibi in vestigio pedisséquam. Redeamus modò ad cæteram nostram historiam.

Cap. IV. §. 3.

1. P. Arce præclusam sibi Missionem constantiâ evincit. 2. Iter ejus ad Chiquitos. 3. Lues inter illos. 4. Nova sedes eligitur. Templum struitur novæ reductioni.

1. UT primùm P. Jos. Arce Urbem S. Crucis attigit, impiam venalium hominum mercaturam reperit ita introductam, simúlque authoritate, & potentia multorum altiore ex ordine adeò subnixam, ut vix credibile videretur, posse illi velut torrenti sufficiens poni obstaculum. Nempe præsagiebant iniqui ejus furfuris nundinatores, nostros Missionarios, ubi semel in iis terris fixissent pedem, non destituros, donec tale commercium everteretur. Pronum deinde erat cogitare, nostros idipsum facili negotio consecuturos, si modò (ut experientia paulò pòst docuit) ipsum Principem, Regis Vicarium eò promoverent, ut hos populos tanquam sibi proprios, atque adeò coronæ regiæ, nec alteri subjectos esse declararet. Cùm igitur hoc revera nihil aliud secum traheret, quam ruinam omnis eorum lucri, simul & semel ferendam, nulli parcitum est labori, quo omnes aditus ad eas regiones Nostris præcluderentur. Et verò Apostolicus Vir id satis supérque est expertus. Ille tamen omninò persuasus, Dei voluntatem hoc negotio versari, ut daretur executioni, nullo hominum consilio, nec metu ullius periculi, nec respectu cujuslibet auctoritatis absterreri se sinebat. Fructus tantæ constantiæ fuit, ut suum feliciter scopum consequeretur. Cùm enim cerneret, se vi non posse pervincere, adortus est denique ipsos hos plagiarios zelo suo quàm ardenti, tam prudenti: miscuit demissas quidem, sed potentes etiam preces, donec tam optatam Missionis veniam ab avaris obtineret. Equidem movebat aliquos ipsa nominis sui fama, ne scil. nimiùm scelerati, & crudeles haberentur: alii connivere visi, quòd crederent,

Patrem

Patrem Arce vel violentis Barbarorum manibus, vel ex immenso laborum cumulo brevì mortem occubiturum. Post extortam dicto modò licentiam novum impedimentum emersit ab inferis. Viæ enim ductor, diu quæsitus, nemo unus ad manum erat, sine quo tamen aditus ad Chiquitos reperiri vix poterat. Denique duo Indi astrinxerunt fidem, se deducturos Patrem usque ad primas Stationes Pinnocarum, qui Chiquitis annumerantur.

Nono igitur Decembris die P. Josephus Arce iter suum ingressus est, in quo momentum quodlibet ipsi annus videbatur: maximè cùm intellexisset, eo ipso tempore plurimos ibidem Barbaros sæva lue correptos decedere, quorum si minùs corporibus, certè animabus opem ferre festinabat. Ea de causa nullam viæ asperitatem animo reputabat, cùm per fruteta, & senticeta inter sylvas penetrare, cùm ad ardua montium rependo eluctari, cùm superare rapidos fluvios, palustres lacus transvadare, aliáque vitæ pericula adire necesse habuit. Quin imò inter hæc aspera sentiebat potiùs inexplicabile animi solatium, ea cogitatione constanter defixus, quòd desertissimi essent misellli illi populi, qui suopte motu, tantóque desiderio gratiam baptismi solicitârant, nunc perituri scil. defectu illius necessarii remedii. Tandem ad confinia Pinnocarum exeunte Decembri est delatus, ex viarum molestiis mortuo similior, quàm viventi. Quantum autem animi solatium capiebat ex termino tandem consecuto, tantum doloris accidebat, dum miserias suorum Chiquitorum coràm arbitrabatur. 2.

Nec enim poterat sibi temperare à lacrymis, cùm videbat desertissimos hos nudo passim solo decumbere, alios quidem sub dio, alios sub malè tecto ex ramusculis tugurio: aliquos jam cum morte luctari, quin aliquos ante lustratam baptismo animam in vestigio exspirare. Scindebatur paternum Viri cor ad verba lamentantium, quòd scil. eorum parentes, & affines jam obiissent citra gratiam sacri lavacri. Sed hoc saltem interea gaudebant miseri, quòd fidei Præconem tantopere exoptatum sua in regione denique nacti fuissent. Studebant hunc omni obsequio demereri: offerebant agrestes nemorum fructus, qui misellis illis cupediarum loco in eo rerum statu erant: rogabant, ne ipsos in ea calamitate desereret, sanctè spondentes, se structuros Patri templum, & domicilium additis omnibus, quæ ad ejusdem sustentationem forent necessaria. Inter hæc vota valentiores deducebant 3.

Patrem ad terræ tractum, haud procul distitum, ut ibidem aptam habitationi aream circumscriberet ad novam junctâ operâ fundandam coloniam. Hac tam bona populi voluntate considerata Patri Arce visum est, esse ipsis obsequendum, ne sua tergiversatio desperationem afflictis pareret.

4. Statuit proinde subsistere, facturus novæ reductioni initium: præsertim quòd absque hoc pluvia annuo more tempestas, in longum protrahi solita, jam ingrueret, viam præclusura Patri, quò minùs obviàm ire possit venturis Sociis ad litora fluminis Paraquarii. Existimabat enim in illis circumstantiis, nihil fore contra vel præter imperium R. P. Provincialis, si interea temporis adventuris Patribus hunc populum præpararet. Intellecto hoc mansuri Patris proposito insolita incessit Indos lætitia, quam testabantur quà lacrymis præ gaudio fluentibus, quà aliis gestientis animi signis, & cæremoniis. Quin cùm lues quidem jam remitteret, ipsi verò à tolerato morbo debiles ita essent, ut ægrè pedibus consisterent, promissæ tamen templi ædificationi ante finem Decembris initium fecerunt. Eum in finem Crux alta circa designatum locum fuit erecta, coram qua in genua provoluti Patre præeunte Litanias de B. Virgine Matre recitârunt, & unà sese cum tota regione DEI, Deiparæque tutelæ omnium primò devoverunt. Tum eodem adhuc die lignatum simul omnes exivêre in sylvam, ut necessariam fabricæ materiam convehe-rent: cætero labori ita incubuerunt universi, ut duarum hebdomadum intervallo non integro templum staret absolutum, pretio quidem, & ornatu non magnificum, sed operarum ædificantium fervore, & pietate commendandum. Dedicatum autem est tanquam Patrono tutelari glorioso Indiarum Apostolo S. Francisco Xaverio, uti beneficis suis oculis de cœlo respiceret hunc necdum excultum ejus gentis agrum, ac superna benedictione in Paradisi speciem transformaret. Et verò patrocinio tanti Sancti reipsa id etiam obtentum est, confluente manè & vesperi populo in templum ad excipiendam fidei Christianæ doctrinam. Imò major eorum pars hoc tantillo tempore, quale ipsis videbatur, non satiata, nihil instantiùs urgebat, quàm ut proximo quoque tempore in numerum filiornm Dei admitterentur. Hoc intempestivum sanè desiderium fecit, ut Patri Arce vix temporis pars restaret, ad dicendas horas Canonicas. Modò enim aliquis, quod non satis ceperat, modò alius aliud, quod memoriâ exciderat,

requi-

requirebat à Patre, clariùs explicandum. Nempe ideò, ne propter horum rerum inscitiam aliis postponerentur in recipiendo S. Baptismo. Iste equidem fervor summopere placebat Patri, adultiores tamen differendos putavit, ut fidei suscipiendæ desiderium ex ipsa mora cresceret, & innata vitia Barbari citiùs dediscerent, & oblivioni darent mores avitos. Quare salutis fonte abluit solos infantes, facilè centenos, quorum aliquot secuta propediem morte in prima sua innocentia, tanquam primitiæ hujus recentis vineæ, in cœlestem Paradisum sunt translati.

Cap. IV. §. 4.

1. Indi dicti Pinoquis adjunguntur novæ reductioni. 2. Morbus P. Arce. Avocatur à Superiore. Locus Coloniæ mutatur.

Quis jam satìs explicet immensum solatium, quo Viri Apostolici pectus perfundebatur, considerando, hos Neophytos cooperante divino Spiritu non tantùm probitate, sed & numero augescere? Vix enim fama percrebuit de Adventu Doctoris Christiani, mox Indi Pinoquìs dicti, qui remotiores versùs Urbem S. Crucis habitant, Legationem adornârunt ad Patrem, supplices, ut simili gratia eos dignaretur, ipsósque inviseret, quandoquidem pari legis Christianæ desiderio tenerentur. Quòdsi suam præsentiam sibi negandam putaret, se ultrò Patre annuente illuc venturos. Annuit Pater Arce, & omninò ut venirent, dici jussit, cùm ita vellent. Ad nutum ergo venientibus illis numerus Neophytorum ita auctus est, ut capax alioqui templum eos jam non caperet. Multò minùs par erat crescenti labori Missionarius. Quamvìs enim incredibilis charitas vires subministrabat ad ferendos faciliùs labores, tamen quòd integris diebus, ac noctibus quiete careret, toto corpore ita tenuatus est, ut planè non sufficeret pro rei necessitate tot functionibus. 1.

Imò verò tanta debilitatio tandem in calidam degeneravit febrem, ut in vili tugurio se pro quiete componere cogeretur. Ibi paucuiorum dierum spatio ita viribus est exhaustus defectu omnis humanæ opis, ut hora ultima in propinquo esse videretur. Sed enim opti- 2.

mus Deus tali articulo erga ſuos ſinceros ſervos, liberaliſſimus, cœleſti dulcedine ita recreavit ægrum, ut brevi morbo levatus, ad priores rediret labores. Verùm & hoc ſolatium non diu tenuit, cùm brevì poſt juſſus eſt P. Arce redire Tarixam, intellecturus ibidem voluntatem novi P. Provincialis Laurentii Nunnez. Mutuus Patrem inter & Neophytos amor hanc avocationem ut acerbè ſenſit, ita non ſine reciprocis lacrymis illam admiſit. Paulò pòſt oviculæ hæ, à ſuo Paſtore derelictæ, commigrârunt in alium agrum, quem ante abitum Pater Arce illis ſuaſerat. Totam ergo reductionem tranſtulerunt in commodiorem, ac ampliorem tractum, quem receperunt ad fluvium S. Michaëlis. Ipſe verò Pater Arce in itinere dum fines Chiriquanorum pertranſit, communitatem à Viſitatione B. Mariæ dictam curæ P. Joannis Bapt. de Zea commiſit: alteram verò ſub nomine S. Ignatii demandavit P. Joſepho Tollu, & Patri Philippo Suarez. His ita conſtitutis cùm Tarixam pervenit, ex P. Præſide Provinciæ intelligit, in Superioris officio illi ſucceſſurum P. Joannem Bapt. de Zea. Ipſe viciſſim P. Arce jubetur adire Reductionem Præſentatæ Virginis Mariæ. Ad Chiquitos proficiſci ſunt juſſi P. Didacus Centeno, & P. Franciſcus Hervàs. Jam verò quid hi Apoſtolici Viri laborârint in erigendis, conſervandis, & augendis his novis Coloniis, fuſior alibi erit dicendi locus.

CA-

CAPUT V.

De perniciosis, sed irritis Mamalucorum technis adversùs memoratos populos. De strage Mamalucorum.

§. I.

1. Irruptio Mamalucorum. 2. His cladem inferunt Pinoquisii. 3. Altera incursio Mamalucorum cum clade Neophytorum per dolum.

CUm igitur nova Christianorum Colonia in sat prospero statu, & quotidiano incremento efflorescerct, juratus omnis boni hostis nimirùm indoluit, sua hactenus machinamenta nullius momenti, & efficacitatis fuisse. Ad novas proinde molitiones, & astus animum intendens, totis viribus egit, ut Achillem ultimum quàm fortissimè admoveret. Huic strophæ evolvendæ aptos judicavit Mamalucos ex Brasilia, quos identidem stimulavit, ut Neophytorum nostrorum terras flamma, ferróque vastarent, nullúmque damnum incolarum nimium putarent. Et verò damnata orci consilia effectu suo neutiquam caruissent, nisi providus DEus illa evertisset, clade postremùm in ipsos auctores redundante. Res ita accidit. Dum sceleratis Mamalucis in memoriam redit, quàm fortunatæ prioribus annis excursiones eorum, & rapinæ fuissent in terris Chiquitorum, ad eandem sibi aleam tentandam exarserunt, & quidem in tractu recèns conversorum Pinoquisiorum (Pinoquiùs) apud quos spem sibi faciebant facilioris & pinguioris prædæ. Suboluit, nescio unde, hoc hostium propositum Pinoquisiis. Quare cùm se tantarum virium non esse cernerent, quibus vim vi in patenti campo reprimerent, statuerunt de industria retrocedere, & sylvæ callem peranguſtum insidere, quà hosti transeundum. Ibi in insidiis latentes, clanculum substiterunt, donec hostes penitus subiissent. 1.

Ita-

Itaque simul ac Mamaluci illuc penetrârunt, Indi in abscondito stantes, venenata sua tela ex sylvæ latebris impunè intorserunt, tanta dexteritate, ut vulnus accipere, & mortem appetere vix interstitium faceret. Mamaluci interim nullam sui defendendi rationem inveniences, cùm nescirent, adversùs quos sibi pugnandum, multi cadebant ab hoste ne quidem viso, donec pauci, qui fatales evaserant sagittas, diu explorando locatas insidias deprehenderunt. At his ipsis ea vice sat esse debuit, quòd via ad reditum ipsis pateret, quin neces suorum commilitonum vindicare possent. Solabantur se tamen illo diverbio: *Talionem differri, non auferri.*

3. Quippe sequentis mox anni initio integra eorum cohors flumini Paraquario se commisit, atque inde usque ad lacum Mamorensem, (Mamorè) progressa, in portu Iratinensi (Itatines) exscendit, in continente Indos, nuperos hostes suos, investigatura. Sub hoc itinere illis sanè multa, & spissa nemora erant penetranda, ardui & asperi montes superandi, quin imò (quid non agit & tolerat execrabilis avaritia?) sexcenta iis incommoda fuerunt exhaurienda, donec ad viculos gentis, Taus dictæ, tandem pervenirent. Collectâ ex his sat magna mancipiorum copiâ, iter prosecuti sunt versùs Pinoquisios, nempe cladem priori anno acceptam ulturi. Et ea quidem vice auspicatior illis fuit expeditio, quàm priori anno, sed cui ipsa Pinoquisiorum incuria, & oscitantia ansam faciliorem præbuit. Tametsi enim irruptio hostium à certis exploratoribus de vico in vicum usque ad Reductionem S. Francisci Xaverii prænuntiaretur, nihilo tamen minùs isti se accingere ad vim repellendam, aut saltem se ad dictam reductionem subducere, & cum cæteris conjungere intermiserunt. Quapropter eò ventum est, ut diffugio jam non esset locus, nec tempus. At Mamaluci semel icti, jam cautiores venenata jacula oculissimi vitare, & accessum loci ita formare instituerunt, ut incolas improvisò simul & semel obruerent. Sub ista intempestiva aggressione non equidem omnes Pinaquis tam fracto erant animo, ut non aliqua multi ad primum assultum arma corriperent, & eo quidem fervore, quo si minùs hostibus superiores evadere, certè ferociam eorum reprimere, & succidere potuissent. At dolo circumventi sunt per suam simplicitatem. Mamaluci enim, perinde ac si vim tantisper subterfugerent, simulabant se aciem cum cura instruere, nempe ut tempus traherent, donec subsidiarii ejusdem farinæ plagiarii aliunde irrue-

irruerent, & relictas domi imbelles Matres cum prolibus in mancipatum compingerent. Hac suorum jacturâ intellectâ Indi animò conciderunt, ex acie pendente in sylvarum latebras profugi. Neque hostis intercepit hos ex novo stratagemate; Non enim dubitárunt, Barbarorum amorem ergà suos captos retracturum fugitivos in spontaneam servitutem, id quod revera factum est. Cum captivis tamen admodum clementer egit hostis, cùm non in modum captatæ prædæ, sed gratorum hospitum locò se illos habere præseferret. Imò Caciquios non indecóris donabat vestimentîs: cæteris autem mûnuscula diversi generis, Barbarorum genio facta, liberaliter dispertiebat, cum sponsione omnis felicitatis, qua ad Urbem S. Pauli essent beandi. Hæc benevolentia eo tantùm dolo fiebat, ut muneribus delinitos captivos haberent eosdem duces ad alias communitates, præcipuè ad Reductionem S. Xaverii, sed quæ ea tempestate jam translata erat ad flumen S. Michaëlis.

Cap. V. §. 2.

1. Pater Arce contra Mamalucos colligit suppetias. 2. Militare subsidium Hispanorum. 3. Felix pugna contra Mamalucos, nostris cum S. Cruce præeuntibus.

Nuntius de tam infelici rerum fato delatus denique est etiam ad Chiriquanos, solicito ibidem potissimùm Patre Arce, ne iste turbo ad suam quoque recentem Christianorum plantationem pertineret. Decrevit ergo nec citra præsens vitæ discrimen totam percursare regionem, & motus hostium propiùs observare. Hac profectione cùm delatus esset ad ethnicos Moxos, Tabiquas, & Taus, ab his exceptus est velut Angelus pacis. Et quoniam ad hos quoque fama de infesto hostium incursu penetraverat, facilè metu periculi adducti sunt, ut sejuncti sese colligerent ad novam communitatem in loco idoneo, ubi junctis viribûs repellendo hosti essent pares futuri. Huic consilio peropportunum præbebat locum amœna ad fluvium Jacopò planities, ubi nuperrimè Coloniæ S. Raphaëlis tenue datum erat initium. Ad hujus loci defensionem nata videbatur proxima sylva, in cujus opaca densitate incolæ quàm maximè confidebant.

debant. Sub hoc igitur ſpiſſo receſſu quietam prensârunt ſtationem, donec tempeſtas deſævirer. Uſus eſt quoque Vir Apoſtolicus eodem meticuloſo quaſi aſylo, moraturus ibi, ut hoſtium molitiones certiùs explorarer. Ea occaſione ſalutis fonte tinxit infantes, adultis autem myſteria ſanctæ Fidei explicuit. Et verò ipſe metus acerbæ ſervitutis oculos cæcis aperuit, ut ad declinandam inferorum ſervitutem ſacrum baptisma depoſcerent. Eam tamen gratiam illa quidem vice non ſunt conſecuti, quòd Pater Arce ad conſtantiam, & patientiam illos hortatus, alteríque commodiori occaſioni reſervans, neceſſarium feſtinaret iter ad Urbem S. Crucis. Cauſa urgens fuit, ut ejus loci Gubernatori tempeſtivum ferret nuntium de hoſtili excurſione, & unà milites animaret ad arma contra hoſtium pericula, tempeſtivè propulſanda.

2. Nec magno molimine opus fuit ad id obtinendum, quandoquidem armata Hiſpanorum pietas facilè perſuaſa eſt, ut Chiquitorum olim ipſis illata damna, & probra jam defenſione eorundem, & vel fuſo ſanguine prorsùs Chriſtianè rependerent. Addidit propoſito huic non leve momentum prudens metus, ne effrenis Mamalucorum Licentia majora ſumeret incrementa, atque adeò in ipſas Hiſpanorum urbes procellam belli effundere auderet, niſi malum timendum tempori præverterent. Itaque paucis horis conflata cohors eſt centum & triginta militum, bello exercita, animo & armis inſtructa. Et quoniam moræ periculum urgebat, magnis itineribus ad Reductionem S. Xaverii properârunt. Ibi ſuppetias trecentorum Indorum ſibi adſciverunt, quos omnium fortiſſimos, bellíque expertiores cenſebant. Cum his ergo profecti ſunt, indagaturi hoſtem in terris Pinoquiſiorum, quoniam ibi offenſuros ſe credebant. Interim intelligunt, Mamalucos in deſertam primulùm S. Xaverii communitatem feciſſe irruptionem, at nullâ ibi inventâ prædâ ſtatuiſſe, quin jam in via eſſe, ut Urbem S. Crucis repentino aſſultu obruerent. Hoc nuntio accepto inceſſit Hiſpanos inſolita alacritas, eò quòd in ſua animoſitate, robore, & bonitate cauſæ prorſus confiderent, fore ut his latronibus meritum pridem exitium denique afferrent. At verò hoſtes, dum circa vacuam S. Xaverii reductionem veſtigia quaſi equorum, ſolo impreſſa, obſervârunt, nihil bonæ ſpei ſibi promittebant. Præcipuè ipſorum Ducem ea res ſolicitum habuit, quòd exiſtimaret, Hiſpanos ante occupâſſe ſortem, ut adeò reditus ante tempeſta-

pestatem sibi maturandus videretur. Ne tamen rediret cum suis, persuasit acceptus nuntius, quòd paulò antè, nec procul eo loco armentorum grex & non equitum, ex memorata reductione abactus, hàc transiêrit. Dum hæc fiunt, nostri milites iter suum præcipitârunt, ut eodem adhuc die hostem assequerentur. Incidit postridie festum S. Laurentii, primarii totius illius Provinciæ Patroni, sub cujus ipsius præsidio unanimi consiliô hostem summo manè aggredi decreverunt. Et quoniam credibile erat, cum hoste tam exercitato non incruentam fore utrinque pugnam, potior pars militum noctis quietem animarum suarum curæ posthabuit, intenta nempe conciliando DEO per expiationem conscientiæ. Et huic quidem sancto labori sex Patrum nostrorum potissimam noctis partem impenderunt.

Sub primam igitur auroram nostri ad conflictum expediti, in hostem moverunt. Et verò sub ipsum prælii exordium ultor DEUS ipsos 3.
hostium primipilos ad meritas traxit pœnas, post tot maleficia, & damna, Paraquariensi potissimùm Provinciæ illata. Omnium enim primi hi malorum coryphæi condignam mortis pœnam luerunt. Laus facti hujus est aliquot Hispanorum militum, qui Socios antegressi, imminebant occasioni, qua vel inobservati duobus hostium ductoribus interitum ferrent. Sed prodito per Indum horum consilio, unus è gregariis Mamalucis ad arma conclamavit, & unà aliquem è nostris emissariis glande intorta stravit. Hac commilitonis cæde Hispani magìs irritati sunt ad vindictam, præ primis D. Andreas Florian, quàm Nobilis, tam magnanimus Hispanus. Hic Heros primo fistulæ igniferæ globo primarium hostium Ducem Antonium Ferraez de Auraujo prostravit, quin stricto dein gladio alterum quoque hostium caput Emmanuelem de Frias percussum solo exporrexit. Mamaluci Ducibus amissis ubi desertam suam aciem viderunt, confuso primùm ordine, projectis subin armis ad flumen profugerunt. Sed contrà, ac speraverant, non salutem, sed exitium repererunt. Quippe Hispani cum Sociis Neophytis, conspecto DEI manifestè assistentis auxilio majoribus jam animis pugnam prosecuti, quà explosis glandibus quà jactis sagittis tantam ediderunt stragem, ut ex hostibus non nisi sex superstites mortem evaserint, ex quibus ipsis tres capti sunt. Inter nostros autem pauci vulnerati, octo tantùm in conflictu desiderati. Hujus pugnæ & victoriæ pars etiam aliqua fuit nostris Missionariis, ut qui effigiem Christi Crucifixi nostris pugnantibus in

fronte aciei præferre non horruerunt, vincentibus animum facturi, & fiduciam in DEUM erecturi, victis autem accipiendæ pœnitentiæ ansam oblaturi. Hæc insignis victoria eò majorem lætitiam & solatium omnibus attulit, quò certiùs erat, DEUM pro vindicando suo honore, & pro sua nova Ecclesia nobiscum depugnâsse. Itaque junctâ omnium operâ Eucharisticum festum est celebratum inter varia triumphantis gaudii paradigmata.

CAP. V. §. 3.

1. Discordia Hispanorum vitiat plenam victoriam. 2. Iterata clades Mamalucorum. 3. Guaranii pridem capti post cladem à Mamalucis deficiunt, & fiunt Christiani.

1. SEd enim his omnibus absolutis nec lætitia, nec victoria erat numeris omnibus absoluta. Fortissimi enim Victores, à prostratis hostibus memorandi, instigante nimirùm inferorum hoste vinci se non erubuerunt per turpem discordiam. Eo ipso igitur temporis articulo, quo cogitaverant alteram hostium turmam bello persequi, subsistentem scil. apud Pinequisios cum mille quingentis captivis, paucorum Nobiliorum simultate factum est, ut omisso hoste potiùs ad S. Crucem regrederentur. Excepti sunt cum ingenti plausu, ubi & Gubernator, & Regii Ministri cæteri victoribus obviàm processêre, compulsatis dein campanis, solutisque bellicis tormentis festivè salutârunt. Successit salutationi communis populi universi solennitas, per dies aliquot continuata.

2. Interea temporis tres illi Mamaluci, ex acie residui, ad socios suos, quos cum captivis Indis remansisse diximus, provolârunt, acceptæ cladis suæ testes. Hoc nuntio usque adeò consternati sunt commilitones, ut perinde ac si Hispani jamjam tergo instarent proximi, tumultuosè retrocederent, & cum abstractis tot, quot poterant, mancipiis Paraquario flumini se committerent, ad S. Paulum (ad suum nempe spoliarium) quàm celerrimè redituri. At verò illuc nondum pertigerant, cùm alia Mamalucorum caterva fit obviàm, eâdem venandi homines intentione. Hi licèt audita sociorum strage nonnihil commoverentur, tamen in suo rapinæ proposito perstiterunt,

runt, exprobrantes tam acerbè profugis timiditatem, ut hi resumptis animis sese conjungerent, sed fato sanè funesto. Nam quibus fortunæ alea nuper sartam tectam cuticulam cum vita reliquam indulserat, illos modò accepta clade retrocedere aut ipsa morte luere coëgit. Invaserant quidem junctis viribûs aliquot Indorum vicos, sed tanta fortitudine repulsi sunt, ut propemodum citra omnem prædam ad S. Pauli stationem reverterentur.

Eadem occasione, dum hæc circa lacum Mamorensem (Mamorè) accidunt, illis Guaraniis, qui multo tempore apud Mamalucos stipendia meruerant, melior mens indita est, considerantibus, quàm modicum boni, mali verò plurimum in miserrima hac servitute experirentur. Statuerunt ergo deserere suos adeò tyrannicos Dominos, tutúmque in locum secedere, ubi citra metum miseræ, & infelicis mortis quietam degere vitam possent. Hoc suum propositum concubia nocte dederunt executioni, dum ad bidui intervallum profugi à Lacu Mamorensi occasum versùs in amœna planitie consederunt. Ibidem cùm uxores ipsis deessent, cum occiduis sibi proximioribus Curacanibus affinitatem contraxerunt. Hi ipsi postmodùm desiderio Christianæ fidei in Reductionem S. Joannis Bapt. transmigrârunt. Funesti hi casus Mamalucos ita terruêre, ut ab illo tempore nunquàm ampliùs præsumerent, pedem inferre nostris Coloniis. Quapropter etsi Anno 1718. ad litora Paraquarii propugnaculum, octoginta leucis à reductione S. Raphaëlis exstruxerint, ea tamen spe nos solamur, fore, ut etiam excursiones hæ in flumine isto præpediantur, maximè, si rectè credentium numerus ibidem ad 50. vel 60. millia ascenderit, id quod per divinam gratiam brevì futurum confidimus. Frenum etiam majus grassantibus Mamalucis injiciet licentia, à Catholico Rege obtenta, qua deinceps & Indis licebit uti balistis manuariis ad sui defensionem. Eo pacto res deduci poterit, quò deducta est à Guaraniæ communitatibus, quæ igniferorum tuborum subsidio ab irruentibus Mamalucis se immunes præstiterunt, posteaquam fatale toti suæ Regioni agmen quinque millium auspicatò præliô fuderunt. 3.

CAPUT VI.

De varia Reductionum novarum mutatione, & de morte P. Antonii Fideli.

§. I.

1. Turbatio & jactura Missionum. 2. Nostri ad necem quæruntur, fugantur. 3. Colonia S. Xaverii bis transfertur. 4. Reductio S. Raphaëlis etiam mutatur.

1. QUamvis circa hæc tempora plantatæ diversis in locis Christianorum Coloniæ per varios gravésque casus non penitùs conciderint, tamen non mediocriter concussæ sunt. Persuasum equidem erat, Reductionem S. Xaverii magna sumpturam incrementa, imò novas fundari posse communitates, præsertim apud Indos Pinoquis, Xamaròs, & Quicmes, qui in fide Christiana instrui petierant, sed omnis ea spes intercidit. Quin duæ novæ prætereà Chiriquanorum Reductiones, etsi nihil periculi illis imminere videretur, penitùs dissolutæ sunt. Ex quo observatum est, quàm vera assertione sapiens juxta ac Nobilis D. Augustinus de Arce Missionariis prædixerit, apud illos nempe populos omnem perdi operam, id quod ipsa experientia comprobavit. Omnis enim benevolentia gentis erga Patres, qua eos sibi acceptos præseferebant, inde fluxit, quòd ex sua supina pauperie protracti, per nostrorum industriam commodiùs jam viverent. Interim nullus Patrum conatus evincere potuit, ut hæc gens Christianis sacris interesset, aut explicandæ Catechesi. Imò nec parvulum aliquem, aliásque operas impetrabant Patres, qui sibi vel ad aras, vel in re domestica servirent. Perstiterunt nihilominùs nostri inter has, & alias inexplicabiles ærumnas, donec Barbari tot monitorum, & cor-

correctionum pertæsi statuerent, Patres tota regione sua exturbare. Hoc ut faciliùs auderent exequi, antiquatas calumnias, & probra recoxerunt, Patres nimirum ex solo Mamalucorum instinctu huc sibi submissos esse, ut & ipsi (asserebant) velut Chiquiti in servitutem traderentur.

Ea quamquàm multis eorum constabat falsitas accusationis, quippe qui Hispanorum Socii fuerant in bello contra Mamalucos, stygius tamen hostis ope Apostatarum perfecit, ut populus Patres Lucam Cavallerum, & Philippum Suarez pessimè tractaret, incenso denique ipso templo. Coacti proin sunt Patres suam habitationem deserere, & in remotiore sese tugurio abscondere, donec furor concitati populi defervesceret. Sed incassum hæc cautio. Quippe armatis manibus ubique locorum investigabantur nostri, ex plebis decreto jamjam ad necem trahendi, Et verò crudele facinus opere complêssent in primò iræ impetu, nisi bruti barbari fuissent persuasi, ut hoc maleficium differrent usque ad reditum suorum Caciquiorum, qui in dies exspectabantur. Eo rerum statu visum est Patribus consultissimum, si se subducerent ad S. Crucem de Sierra, & inde ad communitatem S. Xaverii recederent, id quod eadem nocte factum, relictâ illa Barbarorum statione. Fama seditionis hujus cùm pervenisset ad P. Josephum Paulum de Castaneda, id temporis Superiorem, subvereri meritò potuit, ne similes fortassis turbæ alteram quoque Chiriquanorum communitatem S. Ignatii involvissent. Itaque Patres ibi degentes moneri jussit, ut inde discederent in Chiquitorum terras. 2.

Propter sinistras has vicissitudines, quas partim jam accidisse narravimus, partim in futurum timere poteramus, Communitas S. Xaverii à flumine S. Michaëlis translata est in priorem tractum, in alia tamen ejusdem planitie, Pari dictam. Distat hæc octo duntaxat leucis à S. Cruce de Sierra. Ibi cùm aliquam multi, qui Mamalucorum effugerant manus, Pinocàs nempe & Xamaròs, sese associâssent, sat numerosa Colonia est erecta. Verùm ex hac iterata transmigratione brevì patuit, summè necessariam esse novam migrationem. In causa erat nimia vicinitas urbis, ubi non deerant frigidi, quin impii Christiani, qui pessimis vitæ exemplis progressum sanctæ Fidei inter Barbaros sufflaminabant, præsertim dum scelerati aliqui ausi sunt, modò hìc, modò illic Neophytos rapere captivos ad mancipatum. Igitur à P. Luca Cavallero longinquior habitandi locus est electus, 3.

quem

quem totus recèns credentium globus occupavit, numerô tamen eorum non modicè diminutô, quà ob mutationem aëris, & inde enatos morbos, quà ob multiplices tot itinerum difficultates. Providus tamen Deus hanc jacturam brevì supplevit accessione recentium Indorum, qui huic Reductioni se adjunxerunt, ut adeò flori pristino restitueretur.

4. Altera in iis terris Collectio Christianorum stabat sub Patrocinio S. Raphaëlis, quam P. Joannes Baptista de Zea, & P. Franciscus Hervàs sub finem Anni 1696. fundârunt. Distat hæc à priore octodecim dierum itinere, versùs ortum magìs porrecta. Mox sub ipsum initium numerabat mille circiter animas, potissimùm complexa Tabicas, Taus, aliósque populos, qui dudum Patri Arce sese obtulerant ad recipiendam vitæ Christianæ instructionem. Hic tamen numerus multùm decrevit ex irrepente brevì lue. Itaque incolæ supplices institerunt, uti Reductio sua in primam stationem rursùm transferretur, nempe ad fluvium Guabys. Quod quidem nostri facillimè concesserunt ea de causa, quòd locus iste suo proposito longè aptior, scil. ut hanc communitatem cum Guaranicis Coloniis sociarent. Beneficio enim fluvii Guabys, qui in Paraquarium effluere creditur, facilis communicatio est cum Guaranis.

Cap. VI. §. 2.

1. Reductio S. Josephi inter maximè florentes. 2. P. Antonii Fideli labores strenui. 3. Ejus matura, sed pia mors.

1. Tertia Indorum Colonia sub nomine, & tutela S. Josephi locata est super montem, ad cujus pedem amnis præterlabitur. Urserat hanc reductionem piissimus, & de his Christianis optimè meritus Illustrissimus D. Comes de Toxo, Joannes Josephus Campero. Incolæ hujus habitationis majorem partem sunt populi vario nomine; nam Boxos, Tactos, Penotos, & aliquot familias Gentis Xamaròs, & Pinocas complectitur. Est hæc Missio inter maximè florentes, cùm propter Missionarios, quibus probè instructa est, tum quòd ostium veluti sit ad reducendas cum tempore multas

alias

alias nationes. Primi duo hujus agri Coloni, P. Philippus Suarez, & P. Dionyſius de Avila ſat ærumnarum id loci ſunt paſſi, cùm vix aliquid neceſſarii victûs, laborum affatim fuerit. Neque etiam Deus indulſit diu ſolatium à Socio P. Antonio Fideli, quem Superiores in laboris partem illis ſubmiſerant. Iſte enim Apoſtolicis functionibus brevì ſuccubuit.

Recens venerat ex Europa P. Antonius, nec laborem affectabat minorem zelo ſuo, quo nullam operandi occaſionem à ſe negligendam rebatur. Itaque dies jungebat noctibus in animarum cura. Sociis in ſylvas dilapſis, ut ſparſas venarentur animas, ipſe domi indeſinenter occupabatur in dedocendis reſiduis Barbarorum moribus, nullâ diſſimulatâ maculâ ex inolita vitæ prioris conſuetudine. In eum finem tribuebat diem inſtructioni parvulorum, veſperum verò, & primas diei horas adultioribus excolendis dabat. Præter hæc nullo non tempore omnibus præſtò erat pro neceſſitate emergente, non modò animarum, ſed & corporum curâ in ſe ſuſceptâ, quin totas etiam noctes apud ægros excubare erat ſolitus. Inde factum, ut viribus penitus exhauriretur, maximè cùm perexigua inſuper alimonia, & maligna accederet. Præter enim fruſtulum inſulſæ & ſiccatæ carnis pro ſe victu non erat niſi aliquid exotici panis, confecti ex durata, & contuſa radice, Mandiocà dictâ. Menſa perquam lauta videbatur, ſi modicum quid ex ſylveſtribus accederet fructibus. Nihilo tamen minùs continuabat ſemel aſſumptos ſibi labores tantâ conſtantiâ, & alacritate animi, ac ſi corpus etiam ab interno animi vigore tanquam alimento ſuſtentaretur. Atque in his perſeverabat tamdiu, donec profligatæ valetudini jam non ſupereſſet remedium. 2.

Igitur 1. Martii Anno 1702. ſuum laboris Apoſtolici propè biennium præcoce, ſed beata morte clauſit, meritum in cœlo denarium recepturus. Id tamen, quod per brevitatem vitæ obtinere non potuit, poſtmodum ſuo in cœlis patrocinio pro bono ſuæ derelictæ Miſſionis feliciter evicit. Quippe ejus Neophyti inveteratæ vitium ebrietatis, cui perditè inhærebant, unà cum cæteris flagitiis agnatis, ſimul & ſemel damnârunt, prorsúsque abdicârunt, ad quod ipſum nullis anteà machinis perpelli poterant. Præmaturum ejus obitum vel ipſi dolebant Indi ſingulari certè luctu, poſteáquam in vivis P. Antonium non alio, quàm amantiſſimi Patris nomine compellare erant ſoliti. 3.

Cap. VI. §. 3.

1. P. Antonii Fideli vita, virtus, navigatio morosa. 2. Charitas Patrum Franciscanorum, in ejectos vi tempestatis. 3. Iterata ejectio in Brasiliam. 4. Missio S. Joannis Baptistæ fundata.

1. NAtus erat P. Antonius Fideli Regii Julii in Calabria à Nobilissimis Parentibus, quorum tamen splendorem sanctæ demissionis studio altùm subticuit. Primos adolescentiæ annos transegit Neapoli in Seminario S. Francisci Xav. quò studiorum causa transmissus est. Ibi vocantem Deum sequens, Societati Jesu est adlectus. In hac non minorem virtutis, quàm scientiæ progressum fecit, ut suis æquè superioribus ac æqualibus summopere se probaverit. Conciliârat illi omnium amorem suavis, & admodum amabilis agendi ratio. Quippe quocúnque tandem tenore res fluebant prospero vel sinistro, ille sibi constabat, amœni semper vultûs, hilarísque animi, erga omnes comis, & benevolus, cúmque se occasio dabat, suis quoque sociis, etsi in rebus arduis, ad gratificandum paratus. At enim Neapolitana Provincia ejus zelo angustior visa est, ut ampliorem inter Indos ambiret, cujus voti etiam damnatus est, obtentâ licentiâ cum P. Ignatio de Frias, id temporis Generali Procuratore in Paraquariam proficiscendi. Hoc longinquum iter ingressus est Anno 1696. sed ante solidum propè quadriennium vix absolvit. Delatus enim ad Urbem Gaditanam, intellexit, ulteriorem navigandi occasionem procul abesse. Ergo Hispalim profectus biennium ibidem in Domo Professa exegit, non sine ingenti incolarum copiosè confluentium fructu. Quippe per septem & ampliùs horas excipiendis eorum confessionibus indefessus aderat, aliáque Societati consueta præstabat obsequia tam feliciter, ut apud omnes præsertim apud Nobiles sancti viri nomen sibi, longè aliud agens, comparârit. Denique data navigandi occasione Gades repetens, cum quadraginta quinque Patribus è Societate nostra, in tres naves partitis, Anno 1698. iter maritimum est prosecutus. Lentus enimverò nec sine magnis infortuniis cursus fuit, quando post viginti duos primùm menses portum Boni Aëris tenuerunt. Causa tam tardæ, & vagæ profectionis fuit, quod primis

ſtatim diebus, Gadibúſque vix à conſpectu ſubductis navigia, variè diſperſa ſemetipſa invicem amiſerint. Huc faciebant decumani fluctus, & maris turbines, vi quorum ad litora Guineæ ejecta ſunt. Primaria verò navis, qua vehebatur P. Antonius Fideli, coacta eſt ſalutem quærere in Luſitana Inſula S. Jacobi.

Eſt hæc una Heſperidum, vel ut hodie loquuntur, Inſula Promontorii viridis. 2. Ibi cum inſigni benevolentia excepti ſunt, maximè à Patribus Franciſcanis, quorum charitas non permiſit Noſtros aliò divertere, niſi intra ſua ſepta, ne ſcilicet loci illius indoles, peregrinis nocentiſſima, etiam noſtris exitio foret. Et verò exquiſita ea charitate effectum eſt, ut nemo noſtrorum periret, cùm cæteri tamen plerique omnes, qui unà exſcenderant, decumberent, & plùs centum mortem oppetierint. Sed hoc ipſum Patribus noſtris, dum morantur, non levem faceſſebat laborem, quo ægris, & moribundis extremo ſolatio adſtiterunt. Cùm igitur tempus continuandi itineris adveniſſet, mirum dictu eſt, quanta amoris ſignificatione Patres Franciſcani, præſertim eorum Superior noſtros dimiſerint, usque ad dulces præ gaudio lacrymas, eo etiam ex capite, quòd viderent ſingulos noſtros ſalvos, & incolumes, nullo eorum deſiderato, quin cum auctario diſcedere ab hoc tam periculoſo exteris loco. Nam P. Superior noſtrorum ibidem magnæ ſpei, & fervoris juvenem in Societatem adlegerat. In comperto interim eſt certâ experientiâ, paucos peregrinos, quibus in eas devenire terras contigerit, has easdem non aliter quàm morte deſerere: id quod adagio locum fecit, ut ea terra *Sepulchrum Europaeorum* diceretur.

At enim hunc tam fortunatum abitum iidem, qui nuper, marini 3. turbines iterum exceperunt, ut poſt aliquod temporis intervallum denuò cogerentur, ad oram ſcil. Braſiliæ, appellere, & naves reparare. Inde poſt omnem charitatis operam à Luſitanis Patribus præſtitam, tertia tandem vice ſe mari commiſerunt, ventíſque faventibus ad portum boni aëris delati, optatas attigerunt terras, vitam ſervatam illorum populorum ſaluti conſecraturi. Quamquam ſi vel in mari defuncti eſſent, mors illis in gloria non fuiſſet, cùm ob ærumnas maris fortiter toleratas, tum ob alios ſocios itineris omni Religioſo ſervitio usque ad obitum procuratos. Cùm igitur beneficio boni aëris vires tantiſper recollegiſſent, P. Fideli Cordubam fuit transmiſſus, ubi emiſſis 4. ſolennibus votis Deo arctiùs in Societate ſe obſtrinxit. Ita

obarmatus citra morem ad Chiquitorum Colonias properavit, ubi visam suam præmaturò posuisse diximus. Atque hæc de Apostolici Viri Virtutibus, & morte dicta sunto ex occasione Reductionis S. Josephi.

4. Quarta reductio nomen sortita est à S. Joanne Bapt. & complectitur potissimùm populos Xamaròs. Fundata hæc est mense Junio Anno 1699. à P. Joanne Bapt. de Zea, & P. Patricio Fernandez. Prior horum Indos Tanipuicas, Curicas, & Pequiquas suâ eloquentiâ eò jam permoverat, ut vellent conjungi erectæ Communitati, & Christianam amplecti legem, cùm improviso Superiorum imperio avocatus, præesse jussus est Reductionibus ad flumen Uraquayum. Itaque totius novæ Coloniæ onus soli incubuit Patri Joanni Patricio. Hic tamen propter constantem in valetudinem, tum etiam propter summam egestatem, aliósque multiplices labores non poterat per tres primos annos venari plures barbaros, quorum tamen multi erant bono Neophytorum exemplo allecti ad augendum credentium numerum. Improbo nihilominùs labore pervicit tandem populos Suberecas, & Petas, uti & aliquos Pinnocas, qui non alia de causa ad comunitatem advolârunt, quàm ut sacro baptismi fonte lustrati, vitam suam Deo consecrarent, quam grassante in suis terris lue porrò conservare desperaverant. Hoc baptismi desiderium in Barbaris miro solatio affecit Virum Apostolicum, ut labor ipse dulcesceret, atque ad venandas animas magìs incitaretur, nec unquam absque fructu, minore tamen, quàm optaret Patris Zelus. Impedimentum ponebat situs communitatis non admodum salubris, ac pesti crebrò obnoxius, ut adeò Indi metu contagionis absterrerentur, donec ea Colonia in tractum magìs sanum transferretur.

CA-

CAPUT VII.

De Miſſionum ærumnis per eas terras.

§. I.

1. Modus venandi animas. 2. Difficultas & pericula hujus venationis. 3. Alia & crebra mortis pericula & ſexcentæ ærumnæ. 4. Nec tamen ſine ſacro ſolatio.

POſtquam aliqua jam de laboribus noſtrorum in novella hac Chriſtianorum regione ſparſim enarravimus, nunc arduam ſane vivendi rationem fuſiùs, & ordinatiùs docebimus. Initium faciat modus inſtituendi Miſſionem, quæ tamen venationis ſacræ nomen magìs meretur, eò quòd barbari in denſiſſimis ſylvis, & tenebroſis montium cavernis ſint inveſtigandi. In eum adeò finem Miſſionarius ſumpto precum Canonicarum libro ſub axillam, & in manum Chriſto crucifixo citra aliam rerum proviſionem, ſolâ DEI providentiâ confiſus iter ingreditur. In ſocios ſibi adſciſcit viginti quinque, aut triginta Neophytos Chriſtianos, partim futuros interpretes, partim viarum duces, quas expediri multoties opus eſt. Itaque manus eorum comitum aſciis, & ſecuribus conſtanter inſtructæ ſunt, ut præciſis arborum obſtantium ramis viam aperiant per nemorum teſqua. Qui quidem labor aliquando neceſſarius eſt ad 30. aut 40. Milliaria. 1.

Accidit non ſemel, cùm in trajiciendis crebris paludibus, & lacubus minoribus collo tenus merſi Noſtri urgerent iter. Ad incitamentum enim Neophytorum Comitantium ipſi Patres ſemper primi erant ad tentanda fluviorum vada, ad ſuperandas aſcenſu, vel deſcenſu lubricas, & periculoſas montium declivitates, ad explorandas abditas cavernas: nec abſque periculo vel à latentibus ibi feris, vel à ferinis barbaris pereundi. Interim poſt omnes hos labores nihil ſuppetebat, 2.

quo sub noctem levarent famem, præter sylvestres radices. Quin sæpe per dies aliquot nec siti mitigandæ quidquam aderat, nisi rosci-dæ in arborum frondibus pendentes gutæ: noctu lectuli vicem supplebat dura sub dio tellus sine omni adversùs nocturna frigora adminiculo; tugurium enim, si quod tumultuario opere struebatur, erat ventis pervium, & miserum ex arborum, & fruticum ramalibus, ad depactos quadrifariam palos implexis.

3. His accessit præsentissimum quovis momento vitæ periculum, cùm Barbari sub larva Missionariorum nonnisi personatos Mamalucos suspicarentur, atque adeò suas clavas in vestigio expedirent, & arcus intentos ad ictum sustinerent. Necui tamen suspicio veniat, me rem ejúsque periculum nimiopere exaggerâsse, scriptum Missionarii testimonium in medium afferam. Hic proximis retrò annis in Missione apud Zamucos constitutus, scripsit P. Joanni Patricio Fernandez, Rectori Collegii ad S. Jacobum de Estero, qui ipse aliquoties cum R. P. Provinciali eas Missiones exploratas habebat. *Ne me diutius detineam* (inquit præter alia) *nihil dicam, qua ratione ad hos populos Zamucos sim delatus. Illud non silebo, me præter consilium eorum, qui vias nôrant, iter tamen continuâsse. Unde accidit, ut multa milliaria conficerem, medio corpore tenus aquis mersus. Quod tamen tot ac tantas, vix superabiles difficultates exhauserim, non alteri in acceptis fero, quàm uni unico DEO. Intuitu nimirum meritorum Primi hujus Coloniæ Apostoli P. Joan. Bapt. de Zea mihi vires suffecit Bonitas Divina, tanto conatui necessarias.*

4. Hæc ille Pater. Addendum tamen his est, bonum Deum in iis circumstantiis servos suos non deseruisse, nec fraudâsse suo solatio, & auxilio, quando etiam præter communem naturæ ordinem vel vitæ necessariis providit, vel faucibus ferarum, hostiúmque telis eripuit. Experimento propric id didicit P. Lucas Cavallero non semel, & ex eo etiam patet, quòd P. Michaël de Yegros ad suum R. P. Provincialem perscripsit, quando Anno 1702. cum P. Francisco Hervàs è regione Chiquitorum flumen Paraquarium exploratum ibat. *Mense Majo scribit ille, cum 40. Neophytorum profecti sumus, cùm paulò antè Communitatem S. Archangeli Raphaëlis constituissemus. Omnis commeatus noster erat spes in DEUM. Simul ac iter ingressi sumus, nostri Comites in tutelam, & viæ ducem sibi adoptârunt Sanctissimam Virginem, cujus & opem præsentaneam sumus experti. Quippe nobis modò de carnibus ferinis, modò de piscibus maternè prospexit, eo ipso articulo, dum extrema necessitas*

pre-

premebat. Idem Marianum præsidium nobis adfuit in variis periculis, quæ exantlanda partim per ardua montium, partim per planitiem, aquis superfusis stagnantem, quibus superandi duos omninò menses insumpsimus, donec ad quæsitum flumen evaderemus, non sine perpetuo periculo incidendi in barbarus hostium manus. Hic igitur modus est, quo nostri Patres in Missionibus utunrur. Et quamquam ærumnæ, & difficultates oppidò graves intercurrant, majoris tamen sine comparatione solatii res est, si modò animas quadringentas, aut quingentas, sacra venatione captas, secum reduxerint domum. Nam quamvìs numerus reductorum quandoque non admodum copiosus sit, spe tamen se solantur, fore, ut in proximum annum plus prædæ nanciscantur. Id verò ea de causa frequentiùs fit, quòd Barbari securos se præstare antea satagant, ne fortè personatis se Mamalucis credant. Itaque in antecessum aliquos ex suis viculis clàm subornant ad Coloniam, qui locum, incolas, & Patres nostros per omnia explorent.

Cap. VII. §. 2.

1. Stabiliuntur priores ærumnæ. 2. Soliditas virtutum requiritur ad has. 3. Longævitas Patrum inter tot ærumnas.

Postquam igitur commemoratum est, quanto labore stet, dictis id genus excursionibus ferinos populos ad cultiorem Societatem colligere, scripto illud ipsum testimonio confirmabo, ex quo patebit, quanti moliminis sit, Neophytos Christianæ fidei præceptis imbuere, in iisque conservare. Epistola scripta est à Joanne de Avila, Fratre Societatis nostræ, viro fide digno, qui R. P. Provincialis individuus Comes omnia ea loca peragrando lustravit. Tenor epistolæ est ejusmodi. *Quemadmodum in prima fundatione Paraquariensium Reductionum à primis Apostolicis operariis plurimum crucis exhauriendum fuit, donec incultos Indos, è sylvis protractos, ad Christianæ vitæ humanitatem, & ordinem permoverent, ita ut in triginta hodie communitates ritè sint distributi: pari ratione non minus sudoris, & molestiæ fuit primis Chiquitorum Missionariis ad formandam novam eorundem Coloniam. Dici vix potest, quantum Patribus tolerandum fuerit, non tantùm ab apertis hostibus, sed à clancularìis quoque, quos in numero amicorum censebant.* 1.

Patie-

Patiebantur penuriam omnium, quæ ad hominis vitam pernecessaria requiruntur. Itaque fames, & sitis, extrema paupertas, & summa derelictio, discrimina sexcenta per profundas paludes, per aspera, & invia montium, per impenetrabiles sylvas, & solitudines erant horum Apostolorum perpetui comites. Accedit his frementium bestiarum ingluvies, constans mutatio aëris, & locorum parùm salubrium, denique conjurata adversùs DEI Servos Inferorum hostilitas, & jugis infestatio. Possem afferre singulares eventus, quos vel hisce meis oculis usurpavi, vel certa narratione accepi ab oculatis testibus, quarum tamen rerum meminisse non possum, quin ruborem mihi excutiant. Vidisses enim persæpè inambulantes hos fervidos operarios malè tectos vilissimâ lacernâ, assutis passim centonibus suffultâ, quin pelles ferinæ quandoque vestis vicem supplebant. Calcei evangelizantium erant ex frusto crudi corii, quod supernè alio item frusto plantas tegebat. Verticem adversùs intolerabiles eorum locorum calores, & solis vehementiam altero corii fragmento pilei vice defendebant. Stratum illis citra omne commodum: cibus Oriza Indica in tantilla quantitate, ut reficiendis viribus non esset satis. Carebant longo sanè tempore sociorum solatio, quorum ne unum quidem in ea vastitate videre erat. Affligebant illos & graves & diuturni morbi, quin esset remedium, vel certò levamen, aut fomentum à quoquam, ægris assistente. Hæc memoratus Frater. Ad majorem tamen similium confirmationem addam unum & alterum. Non diu est, cùm ex Patre, his Reductionibus Præfecto intellexi, quòd aliquot ibi menses transegerit, quin aliud obsonii suppeteret præter herbas agrestes, & radices. Imò his ipsis non semel carendum fuit, ut cogeretur altiùs penetrare sylvas, ad fructus quales quales colligendos. Cùm P. Gregorius Cabral nomine & loco R.P. Provincialis Simonis de Leon illas Missiones inviseret, coactus est ingruente hyeme (quam solæ pluviæ ibi locorum constituunt) per non modicùm temporis intervallùm cum septem Sociis Missionariis intra tugurium, ramis arborum contextum, subsistere. Ibi ad manum obsonii nihil admodum fuit præter poma sylvestria, Motaqui dicta, & modicum lactis. Quin imò ipsam festiviorem aliàs Paschatis mensam absolverunt aliquot triticeæ spicæ, quas Neophyti famelicis attulerant. P. Joannes Bapt. de Zea læto illo Anastasis Dominicæ die ne quidem dicto fruebatur victu, solis pisciculis illi oblatis, stomacho nullatenus factis, utpote omni felle amarioribus.

Has

Has quasi minutias huc apponere visum est mihi non fore superfluum, ut illi, qui Apostolicorum virorum labores duntaxat metiuntur ex numero conversarum animarum, unà pensi haberent, quantis laboribus & sudoribus is fructus staret, sed & pronius est cuilibet ex his colligere, utrum ea heroica charitate, tam necessaria, sit instructus, si memorata ratione affectet promotionem divinæ gloriæ, & salutem Indorum. Nam profectò inter tot pericula imperterritum versari, in tam arduis laboribus constanter perseverare, eam vivendi normam eligere, in qua ad singulos passus mors obvia stat, in qua famis & sitis dura hinc necessitas, illinc intenti arcus & sagittæ obversantur: hac parte vastissima & horribilia nemora, illa parte ferocissimi Barbari, quibus omnibus & undique Missionarius cingitur. Atque inter hæc universa, inquam, tamen citra formidinem perstare, argumentum sanè est non vulgaris virtutis, quæ omnibus & singulis, per remotissimas has terras, Christum prædicaturis, summè semperque est necessaria. Eam ob causam solent hujates Indicæ Provinciæ Superiores Admodum R. P. Præpositum Generalem scripto monere, non cuilibet promiscuè hujus nationis Missionem convenire, sed illis solùm, qui sunt radicatæ & roboratæ virtutis. Et verò memetipsum propria experientia convicit, quàm falsa opinione mea lusus fuerim, dum in Europa adhuc existens, & Missionis Indicæ appetens, mihi imaginabar, satis provisum esse Missionario harum regionum, si modò arderet ingenti animarum zelo. At verò illi, qui in notitiam hujus relationis venerint, facilè intelligent, potiùs requiri abnegata omnia sui ipsius commoda, invictam patientiam, profundam admodum sui demissionem, corporis & animi afflictationem. 2.

3. Nihilo tamen minùs his ita constitutis, negari interim non potest tanquam veritas vix non manu palpanda, quàm liberaliter bonus Deus sua conferat. Quippe nulli non mirum videbitur, inter tot laboriosas functiones ex tanto Missionariorum numero tantùm tres aut quatuor mortem oppetiisse: licèt aliqui eorum 25. quin 30. annos in Apostolico hoc opere insumpserint. Plus admirationis habet, quòd plerisque his viris constans viguerit sanitas, quin firmior fuerit, quàm si ordinati Collegii commodis frugalibus frui potuissent. Ut cæteros taceam, unus mihi Pater Zea Testis esto. Hic jam provectæ ætatis vir 65. annorum, corporis habitudine & virium tenus, referebat hominem non adultiorem quàm 30. annorum. Præterea notandum

restat, quòd hodiedum externæ difficultates sint magnam partem mitigatæ, cùm populus post susceptam fidem sensim Ordinatiorem quoque & cultiorem vivendi formam præseferre cœpit. Ex quo ipso sequitur, operariis multas ex supra allatis molestias fuisse sublatas. Prætereà nimius alimoniæ defectus, ex eóque natæ difficultates nonnihil levatæ sunt liberali benevolentia Hispanæ Nobilitatis.

CAPUT VIII.

De fervore & pietate novorum Christianorum, quam Deus miris eventis est remuneratus.

§. I.

1. Accurata legis divinæ observantia in conversis Indis: cruenta pœnitentia. 2. Conscientiæ expiandæ candor. 3. Inda, ut innocentiam baptismi non perderet, mori optavit, & est mortua.

1. EQuidem labor, à Patribus nostris impensus ad abolendas Idololatriæ superstitiones, & implantandam vicissim veram Religionem apud has barbaras gentes, magno sanè stetit, ut hactenus narratum est: Sed enim multo major fuit laboris fructus, in consideratione, quàm bonam in terram semen veræ fidei apud cæcos hos Indos ceciderit, & quàm præmaturos tulerit fructus, Paradiso dignos. Neque verò possum satis describere ferventem pietatem novellorum Christianorum. Afferam proinde ipsorum verba operariorum, qui tam frugiferum semen sparserunt, & sequentes fructus suismet oculis cum solatio usurpârunt, & admiratione. *In veri DEI cognitione* (scribit unus es his) *& in accurata Legum Divinarum observantia ausim dicere citra omnem rei exagerationem, quod regio ista, nuper spelaum frementium bestiarum, & omnium scelorum vorago, per DEI gratiam modò sit viva repræsentatio primitivæ Ecclesiæ.*

Alius

Alius in hac verba prorumpit, infinitæ sint superis laudes, & gratiæ! Nam si horum populorum vitam, quamdiu idololatræ adhuc dum erant, comparo cum illa, quam modò vivunt, fatendum sanè mihi est, ipsos sacro fonte renatos, in reparata prima innocentia constanter conversari P. Sebastianus de S. Martino, qui harum communitatum Superior fuerat, dictis superaddit sequentia. *Est sanè operæ pretium, exhauriri omnes molestias amore istorum populorum propter ingentem inclinationem erga sanctam fidem, veram devotionem universè erga DEUM, & omnes res Divinas.* Fusiùs eundem explicat fervorem ejus gentis Missionarius ex Reductione S. Josephi hisce verbis: *Haud facile dictu est*, inquit, *quàm intensus ardor fuerit per hos sacros dies, nempe verni Jejunii Anno 1705. quem in templis præseferebant Neophyti. Concionibus divinis assistebant summa animi attentione, nec minore fructu, atque adeò inter tanta cordis piè contriti signa, ut mihi viderer, me versari in medio piissimorum Hispanorum. Actum sacræ contritionis, quo allocutio claudebatur, tam contento, ac serio animo eliciebant, ut plerísque uberes fluerent lacrymæ. Tum verò arreptis flagris in sua terga immodicè sævire, ut dehortationis freno opus fuerit. At illi monitis his insuper habitis pergebant sanctè velut furere, & elatiore voce Divinam Misericordiam implorare, subjuncto intensissimo de peccatis dolore, ac firmo proposito non offendendi de cætero Divinam Majestatem maximè per innatum vitium ebrietatis, cujus vel memoriam abolitam cupiebant. Luculentiùs tamen se prodebat devotio & dolor animi, quando ad sacram peccatorum confessionem se conferebant. Nam inter tam copiosas lacrymas, & dolentis animi singultus noxas suas aperiebant, ut & mihi præ solatio oculi fletu natarent, gratiásque agerem Divinæ Bonitati, quæ tam prodigiosa operatur in illo populo, ex ipsa natura tam barbaro, in fide suscepta adhuc dum novitio, & satis rudi.* Hæc verba sunt dicti P. Missionarii, cujus epistola sexcenta alia eventa memorat ad demonstrandam insignem Neophytorum Religionem, usque ad ruborem eorum, qui in gremio veræ Ecclesiæ nati & educati torpescunt.

Porrò quantus conscientiæ candor his recentibus Christianis sit, testantur alii Patrum nostrorum. Certè mirum quantum soliciti, & anxii hi Indi laborant, ut animæ suæ maculas, etiam minimas in sacro tribunali detegant: quin sunt eorum aliqui, qui tam innocentem ducunt vitam, ut sæpè ne materiam quidem absolutioni sufficientem afferant, etiam post excussos omnes conscientiæ angulos. Ubi primùm vel levem remordentis animi stimulum sentiunt, aut noxæ ali- 2.

cujus reminiscuntur, quin si vel umbram peccati suspicantur, mox inter fluentes lacrymas offensam Numinis deprecati, rectà properant incitato cursu ad Patrem, vel remedium animæ vel expiationem rogaturi. Et accursus hic quidem fit, etiamsi suis laboribus ruri distinentur, aut domi nocturna quiete fruuntur; abrupto enim labore, aut quiete negotium hoc animæ præ omnibus urgent, & ad conscientiæ arbitrum accurrunt, DEI Vicarium.

3. Dignum memoratu est, quod uni admodum piæ fœminæ ex dicta Reductione accidit. Hæc cùm sibi persuaderet, non posse se inter tot peccandi pericula conscientiam suam in innocentia, sacro baptismo comparata, satìs tueri & conservare, DEUM enixè precata est, ut in eo statu eam constitueret, qui securitatem animæ suæ præstaret, non contrahendi ullam deinceps maculam. Et hem! precibus cœlum annuit. Quippe ipso festo Ascendentis in Cœlum Domini gravi morbo repentè prostrata est. Mox ergo morientium Viatico cœlesti instructa, sacróque oleo inuncta intra paucas horas lenissima morte æternitatem adiit, obtentâ adeò gratiâ non ampliùs peccandi.

CAP. VIII. §. 2.

1. Corrector Neophytorum, & castigatio, quà coacta, quà spontanea. 2. Chiquiti fatales ponunt inimicitias: mansuetudinem ipsi vitæ præhabent. 3. Neophytorum exercitia pietatis planè admiranda.

1. NEque verò hæc animi mundities penes aliquos tantùm est, quos fortè singulari gratia DEUS dignatur, sed eadem innocentiæ laus cadit in omnes illas Indorum communitates, si ab externo quidem morum habitu judicium formamus. Ad promovendum vitæ tam inculpatæ tenorem faciunt certi à qualibet Colonia electi, Præfecti, quorum officium est, ut in cæterorum omnium mores, & vitam intentos habeant oculos. Quodsi compertum fuerit, aliquem impegisse graviter in præceptum divinum, maximè sextum Decalogi, hunc ad se citatum sacco pœnitentiæ induunt, qui exinde in medio templi suam culpam confessus, DEO supplex pro venia esse jubetur. Quo facto pœnitentem deducunt in apertum forum, & inclementer

flagris

flagris cædunt in præſentia omnium incolarum. Sed hæc culpam luentium patientia tantum admirationis non meretur, dum ex aliena inſpectione ad pœnam trahuntur, quantum laudis habet aliorum ſpontanea & ſincera ſui ipſorum accuſatio. Sed hæc nimio potiùs fervori Neophytorum tribuenda, & nonnemini fortè reprehendenda. Neque enim à noſtris ea ſuggeritur, multò minùs probatur. Ponitur tamen in hac hiſtoria, ut, quid ſimplex recentium Chriſtianorum fervor ex optima mente factitârit, conſtet. Exemplum eſto Indus & Inda. Ille quidem nuperrimè aquis ſalutaribus tinctus, cùm ſpectaret id genus ſupplicii reo Chriſtiano inflictum ob ſimilem priori culpam ita corde commotus eſt ex juſto hoc ſupplicio, ut palàm profiteretur ſe paris criminis reum, parem adeò pœnam eſſe promeritum, quam ſibi proin infligi ultrò expoſcebat. Inda verò illa, quòd nemine quidem conſcio fragilitate magìs, quàm meditata malitia deliquiſſet, ultroneè abiit, Reductionis Syndico ſe ſtitit cum fletu crimen faſſa, ſupplex inſtitit, ut flagitii, licet occulti, publica pœna in ſe ſtatueretur, qua digniſſimam ſe cenſebat, quòd ſummum Bonum (ut ajebat) Deum nempe offendiſſet, quòd exempla aliorum, ſtrenuè carnis aſſultui reſiſtentium, non fuerit ſecuta, quòd præſentiam Divini Numinis, ubique circumfuſam non cogitârit, nec ſtatutas ſceleri in Orco pœnas cordi habuerit, aliáque ſalutis adminicula, à Patribus tradita, neglexerit. Profectò res hæc non parvi æſtimanda, dum fit à barbaris nuper perſonis, libertati aſſuetis, ſine freno, ſine metu ullius corripientis, dum modò rigore tanto cupiunt animadverti in ſua etiam occulta flagitia.

Stupendum magìs videtur, quòd Chiquiti fatales inimicitias, 2.
quas adversùs conterminos ſibi populos perpetuò fovebant, penitus aboleverint. Hæc averſio, & fatale odium erat Chiquitis cum materno quaſi lacte ingeneratum, quod auxit innata crudelitas, & continua cruoris effuſio propè inſanabile malum reddidit. Et tamen hi modò populi, ſibi nuper infenſiſſimi, ut ne mutuum quidem conſpectum ferrent, hodie unà habitant in eadem communitate, ſub eodem tecto, in eadem menſa juncti victitant, hoſtili odio in amorem transmigrante, ut Conſanguineos, atque domeſticos illos eſſe crederes. Potuiſſet ſanè hæc mutatio videri apex virtutis in his Neophytis Chriſtianis, niſi adhuc altiùs ea virtus aſcendiſſet. Nam ab hoſtibus ethnicis ſi obruebantur, illi nihil admodum reſiſtere, ut potiùs in fruſta

concisi, aut clavis mactati occumberent, quàm resistendo mansuetudinem, divina lege præceptam, læderent suo quidem ex judicio. Audierant aliquando, mandâsse Deum, ne malum malo redderemus, nec acceptas injurias vindicaremus, quandoquidem ipse servator, dum viveret, semper mitem, & benignum suis hostibus se præbuisset. Cùm ergo accidisset, ut paulò pòst aliqui Neophytorum excurrerent, Indos ethnicos indagaturi, & ad agnitionem veri Dei inducturi, brevì obviam habuerunt barbarorum turmam. Et isti quidem mox expeditis telis & clavis in Christianos irruerunt. Hi verò, licèt animosi satìs & magìs in armis experti, facilè tutari se possent, nec tamen quid maleficii suis hostibus inferrent, maluerunt vitam perdere, quàm vim vi repellere. Fuerunt alii, qui in eundem finem excurrerunt, quin aliquid armorum secum deferre vellent. Cùm igitur ad paganos delati erant, arbori affixerunt imaginem B. V. Mariæ, addito simul monito, ut hanc Divinæ Matris figuram venerarentur. Sed dati responsi loco densum telorum imbrem, in se emissorum receperunt, ex quo multi prostrati ceciderunt. Hoc intellecto Patres lacrymas non continuêre, miraculum divinæ gratiæ interpretati in hoc populo, qui naturæ ductu tam tumidus, tam vindictæ cupidus & sanguinarius fuerat.

3. At enim hæc tam tenera devotio & pronitas ad res divinas, tantùm è diverso vitiorum odium, & horror vel ad umbram peccati, & quod consequitur, tam religiosa morum probitas, & pietatis studium adscribendum omninò est sanctis vitæ Christianæ exercitiis, quibus alitur & crescit Neophytorum virtus. His sese exercent omnes & singuli cujuscúnque conditionis, ætatis & sexûs. Ter in die, manè scil. in meridie, & vesperi universa sexûs utriúsque juventus congregatur, duósque veluti in choros dividitur ad decantandas alta voce preces bene multas, quæ clauduntur ibidem cantu rerum, in Catechesi à Patribus traditarum. Quot diebus Dominicis & Festis Sanctorum convocatur totus populus ad audiendam articulorum fidei explicationem. Interest subin solemni officio divino, ad aram cantari solito. Omnes cùm manè cubitu surgunt, aut sub noctem cubitum concedunt, divinæ tutelæ sese diligenter committunt, invocato etiam inter prolixas preces cœlestis Reginæ & Custodum Angelorum præsidio. Alterius generis Orationibus utuntur in templo, quás tempore sacrificii præsertim sub elevatione divinæ Hostiæ & Calicis ad Deum

arden-

ardenter jaculantur. Antequam mensæ assident, magna attentione præmittunt preces pro cibi benedictione, neque gustant quidquam, nisi antea signatum formâ S. Crucis. Cùm verò ad sumptionem Sanctissimi Sacramenti admittuntur explicari non potest, quanta animi devotione, inter quatuor virtutum actus ad dignè suscipiendum, sub panis specie velatum, Numen accedant, quanta dein solicitudine caveant, ne conscientiæ nitorem ulla peccati labe offuscent. In confirmationem hujus possent aliquammulta afferri specimina, sed brevitatis & tollendi fastidii studio unum sufficiat exemplum. Erant aliqui, qui ad sacram Synaxin admitti cupiebant. At Pater illis reposuit, nunquam hanc gratiam concessum iri, nisi liberiore vivendi genere abstinerent, moresque suos penitus corrigerent, quippe qui ritus idololatriæ adhucdum redolerent. Responso hoc vix accepto, omni contentione incubuerunt, in morum emendationem, id quod brevì, licèt magno labore steterit, à se obtinuerunt, votis proinde suis damnati. Post temporis intervallum sciscitabatur Pater, an non ad vomitum rediissent in pristina vitæ libertate? Cui responderunt non sine admiratione: quî fieri possit, amantissime Pater, ut offendamus nostrum DEUM, posteàquam ipsum in sui ipsius substantia sub corde nostro recepimus?

CAP. VIII. §. 3.

1. Musica sacra Neophytorum sub noctem. Devotio munifica erga Deiparam. Processiones Religiosæ. 2. Hos Indos judicârunt olim Hispani non esse homines, sed bestias in humana specie, & ut tales tractabant. 3. Papa declarat, Indos esse veros homines.

NOcturno tempore (scribit aliquis, qui rem coràm est arbitratus) horum populorum communitates Paradiso assimilari videntur, dum omnia à prorsus religiosa, utut simplice, Musicâ resonant, & Christianæ fidei dogmata, metris illigata, decantantur. Puelli quidem & puellulæ id peragunt ad erectam in compitis S. Crucis statuam. Adulti verò in suis tectis, ita tamen, ut fœ- 1.

minæ

minæ à viris sint separatæ. Porrò texunt corollam Marianam consuetis precibus claudúntque variis cantilenis hanc pietatem, in honorem Divini Filii, & Divinæ Matris, ut tamen suam etiam Matrem amabili titulo appellare soleant Neophyti Clientes. Singula Sabbata & pervigilia Beatissimæ Virginis celebrant festivè inter musica sua instrumenta. Iidem diebus hisce omni labore domi forísque in agro abstinent. Neque verò laborem aliàs suscipiunt, nisi priùs se stiterint in templo, & ante B. Virginis simulacrum preces fuderint. Facultates suas, quas exiguas sanè possident, consecrant obsequiis hujus Divinæ Matris, malúntque egere ipsi, quàm ab Ejusdem cultu vel minimùm recedere. Suadebat aliquando noster Pater, ut candidam ceræ Virginis massam ex apibus collectam, venderent. At illi responderunt, Dei voluntatem non esse, ut nostræ necessitati reservemus, quod Sanctissimæ Ejus Matri dono dedimus. Nam si ejusdem amore hanc ceram dimittamus, maternè sataget, ut nostræ egestati nihil admodum sit defuturum. Denique tanquam evidens testimonium solidæ veræque pietatis in his novellis Christianis afferri potest, nempe sumptum ex publicis eorum supplicationibus, præeunte cruce, & sequente Neophytorum spectabili ordine, quæ res aliquorum judicio exigua, quidem videri potest, attamen magni æstimari debet, consideratis iis, apud quos & à quibus hæc fiant populis.

2. Tales certè olim videbantur, ut necessarium fuerit Romani Pontificis judicium & sententia, donec crederentur hæ gentes rationis atque adeò Divinæ Legis esse capaces. Adduco hîc, quod legere est apud Solorzanum tom. 1. de Jure Indiarum lib. 2. c. 8. & lib. 3. c. 7. Memorat nempe hic scriptor, primos, qui Americos populos detexerunt, temerario judicio conclusisse, atque etiam evulgâsse, quòd hi Indi omni ratione essent destituti, sola externa specie hominibus assimilati, reipsa brutæ, stupidæque feræ. Quo errore etiam lapsi sunt Hispani in Insula S. Dominici, qui hujus incolas perinde ac bestias habuerunt. Unde illos non aliter ac jumenta ad ferenda onera adegerunt, & per multa milliaria præ se ingredi faciebant. Pari modô contigit in nova Hispania, ubi Hispani indigenas ceu feras ratione carentes sub forma humana respexerunt, similíque modo illos tractârunt. Persuasio igitur Hispanorum erat, hos Indos secundùm extimam tantùm figuram (ut perhibebant) homines esse, nec capaces SS. Sacramentorum, & æternæ olim felicitatis.

Atque

Atque hæc quidem ſiniſtra opinio ita inoleverat, ut Joannes Garzes, primus Haxcatæ Epiſcopus, Anno 1536. literas, zelo plenas, ad id temporis Vicarium Chriſti Paulum III. daret, cum accurata ſuper hac re inſtructione. Sua proinde Sanctitas permota eſt, ut Pontificiis ſuis literis declararet, Indos eſſe veros homines ratione præditos, & Catholicæ Fidei capaces, ut cæteri in Europa homines. Quòdſi autem Mexicani inter bruta animantia aliquando cenſi ſunt, quid tandem ſentiendum de noſtris Chiquitis? qui (teſte P. Joſepho Acoſta lib. de Politica Indianorum c. 9. Teſte item Alphonſo de la Penna Montenegro, Quiti Epiſcopi lib. 2. Itinerarii) dictos Mexicanos crudelitate & barbarie longè ſuperârunt. Atque iſta unicè huc apponenda duxi, ut pateret, hæc externa ſanctæ Religionis exercitia non ita vili pendenda, cùm hæc ſe modò tam mirè prodant in populo tam inculto priùs ac barbaro, ut ne quidem hominibus annumeraretur. Sed hem ſpecimina plura, ut videas, quid fructûs ferat ager de ſe horridus, ſi cultura accedat Apoſtolica.

Cap. VIII. §. 4.

1. Neophytorum pœnitentium agmen. 2. Supplicatio feſto Theophoriæ. 3. Impetrata pluvia: lues averſa: annonæ defectus per prodigium tollitur.

Hi ipſi igitur Neophyti feriâ V. ſanctæ hebdomadæ poſt explanatam ſibi Jesu Chriſti patientis hiſtoriam ſacco pœnitentium ſeſe induunt, útque cruentato Servatori aliquoúſque fiant ſimiles, ponderoſis aliqui onerantur crucibus, aliquorum capita coronantur ſpinis, propriis manibus violenter adactis, alii item incedunt, aut humi repunt expanſis brachiis. Alii autem inclementiùs adhuc in ſe ſæviunt flagris. Hi quidem in ſupplicantium ordinem ſe redigunt, prævia juventute tenera cum armis patientis Chriſti, quam ipſam ſubſequitur grandior S. Crucis effigies. Simili ordine ſe ſiſtunt ad Chriſti demortui Cenotaphium, ubi non ſine lacrymis varios terræ fructus, & ſemina offerre conſueverunt. Intuitu horum operum (verba ſunt unius è Miſſionariis) non poſſumus non diffluere in dulces lacrymas, dum nempe illæmet animæ Divino Agno, qui 1.

sanguine suo ipsas redemit, proni adsternuntur, quæ paulò antè feris simillimæ in sylvis errantes vagabantur.

2. Aliam solennem deductionem instituunt Festo Theophoriæ, ad quam conterminos quoque barbaros invitant. Eo igitur die exornant compita tam pretiosè quidem, & eleganter, quàm fert ipsorum paupertas. Domos suas non equidem inauratis aulæis, aut pensilibus ex tela Damascena textis tapetibus illustrant, id quod transcendit ipsorum facultates, decorè tamen investiunt exteriores parietes implexis miro modo palmarum frondibus, erigunt festivos, & triumphales arcus, qui tam venusti, & floriduli in oculos incurrunt, ac pulcherrimus hortus. Plerique habitationes suas condecorant tegminibus, quæ ex multicoloribus plumis non minùs artificiosè, quàm bellè sunt contexta. Quin & brutæ creaturæ partem hujus solennitatis explent, ut eo die communi rerum omnium Domino debitum honorem deferant. Itaque volucres in caveis ante fenestras exponunt, & cuncta jumenta, imò & feræ, puta, tigrides, & leones in publicas plateas producuntur, ubi nimirùm augustissimum defertur Sacramentum. Porrò terram conspergunt granis tritici Turcici, & aliis Seminibus, quæ ipsis crescunt, ut Deus nempe præteriens dignetur illis benedicere, & pro sua misericordia necessarias victui suo fruges terræ multiplicare. Hîc sanè explicari non potest devotio, fervor, & solicitudo, qua hos labores ad gloriam Creatoris sui in se suscipiunt.

3. Equidem mihi persuadeo, non fore, ut bonus Deus (quemadmodum dicitur) se vinci patiatur per tam Religiosam Novorum Christianorum liberalitatem, credi tamen posset, mutuum certamen utrinque intercedere, Dei quidem in largiendo, Indorum in offerendo liberaliter, & unà mendicando à divina bonitate. Nam quanto ardentiùs hi Neophyti servitio Divino sese impendunt, tanto majori beneficentia solet Deus illos beare, & pluribus gratiis cumulare. Experientia docet, Deum illis, quos elegit tanquam pro fundamento novæ Ecclesiæ inter populos ethnicos, singularem benedictionem impertire, non tantùm in animæ necessitatibus, sed etiam in iis, quibus corpus indiget. Fortè sementis spes in agris vix non perierat, necessarii humoris inopiâ, vix autem Neophyti preces fuderunt in cœlum, cùm ex sereno priùs æthere copiosa descendit pluvia. Reductionem S. Raphaëlis pestilens lues infestare cœperat, cùm incolæ illico ad templum concurrerunt, misericordiam implorantes, ut Dei

bo-

bonitas hanc plagam averteret: & hem! in vestigio malum desiit. Ecce jam prostrati resurgunt valentes, quin de cætero aliquis moreretur, aut sanorum quispiam contagione inficeretur. Fuit aliàs, cùm annonæ caritas premeret, & alimonia deficeret, quam calamitatem piæ aliquot Indæ Deo supplices his verbis insinuârunt: *Benignissime DEUS, Domine JESU Christe, da nobis victum, aut certè nobis ex fame moriendum est;* alia Inda clamabat: *Domine ergóne me mori vis? ecce præ fame in terram ruo.* Et verò eodem etiamnum anno tam copiosa secuta est messis, quanta unquam aliàs. Tempus erat, quo Indis ex Colonia S. Joannis Bapt. venandum erat in montibus, ut penui prospicerent carnibus ex stratis feris. At quoniam ædificando templo distinebantur, nec structuram omnino absolverant, relictos se voluerunt divinæ providentiæ, quæ ipsorum necessitates curaret. Itaque abjectâ omni aliâ curâ perrexerunt in ædificio, donec perficeretur totum. Hic enimverò Deus paternam suam curam erga eos, qui se toti crediderunt illius providentiæ, manifestè experiri dedit. Quippe integri aprorum greges ex sylva ultro procurrerunt, & velut cicures se capi, & mactari, permiserunt, quin resisterent. Cæsis ergo tot feris, quot sufficiebant explendæ penuariæ cellæ, residui apri, perinde ac si altiori imperio satisfecissent, citra omnem noxam ad tesqua sua retrò dilapsi sunt.

Cap. VIII. §. 5.

1. Neophyti summè æstimant rosaria tanquam scutum in adversis. 2. Inclamatum nomen JEsus, Maria à tigridis unguibus liberat. 3. Maria invocata ægrum Indum sanat. 4. Lucidus à cælo globus circumdat Christianos. 5. Adulter cæcitate punitur. 6. Sed pœnitens mirè visum recipit.

At finis narrationi non foret, si omnis modus, & circumstantiarum genus afferretur, quo variè Deus est usus ad demonstrandam his Neophytis suam infinitam benignitatem. Argumentum ejus rei esto, quòd hi recentes Christiani Marianum Rosarium (ut vocamus) pluris æstiment, quàm res cæteras universas, quanticunque 1.

que tandem sint aut splendoris, aut pretii. Neque id fit absque causa. Sacra enim illa corolla servit ipsis tanquam tutissimus itinerum comes, & tutela in periculis. Quemadmodum etiam per invocata duo sacrosancta nomina JESUS, & MARIA sæpenumero à præsentibus periculis, ne à feris dilacerarentur, sunt liberati.

2. Exemplum hujus unicum affero, præ aliis memoriâ dignum. Domum redibat ex itinere Christianus, nomine Jacobus, quod sanè nomen ob vitæ probitatem meretur. In hoc reditu via necessariò ducebat per spissum nemus, cùm improvisò effera tigris, suo spelæo imminens, viatorem hunc totis aggreditur viribus. Exhorrescens Indus aliud in arena consilium, & præsidium nesciebat quàm à sanctissimo Nomine JESU, & MARIA, quod utrúmque altùm inclamavit. Et hem prodigiosum eventum! Vix ubi pronuntiârat ea sancta Nomina, cùm tigris suas ungues, quibus jam tenebat hominem, retraxit, in sylvarum tesqua recedens. Damni nihil attulit, nisi quòd stracturas leves ab unguibus in vultu reliquerit, velut ad memoriam prodigii, & beneficii.

3. Hic ipse pius Christianus alia vice interventu B. V. MARIÆ vitam suam confirmavit. Nam paulò antè detinebatur gravi morbo, adhibitis incassum remediis. Sed quod maximè dolebat, erat, eò quòd nihil operæ posset præstare in templi structura. Conversus igitur ad misericordiæ Marianæ opem efflictim orabat, ut illa tanquam Salus infirmorum sanitatem impetraret à Divino Filiolo. Et preces quidem tam fuêre efficaces, ut valens altera die surgeret, manum strenuam templo struendo admoveret, verbis, & gestibus prædicaret, quàm salutifera esset confidentia erga cœlestem Reginam. Hoc quidem beneficium pertinebat ad unum duntaxat Christianum, aliud verò ad integram communitatem.

4. Factum est, ut hi Christiani novelli sub vesperum è Templo Domum recederent, ubi collecti preces ex Rosario Mariano persolverant. Sed vix pedem ex sacra æde extulerant, quando è cœlo ingens & lucentissimus descendit globus, qui unà consistentes præ Templi foribus Christianos ambiit suis radiis, & eorum simul corda Cœlesti dulcedine, & interno solatio perfudit. Rem autem hanc supra naturæ ordinem evenisse, colligere est ex miris effectibus, inter hos Christianos subsecutis. Quamquam autem istæ Indorum Communitates à probitate, & religionis fervore meritò commendari, & æstimari

pos-

possint, negandum tamen non est, aliquos præterea inveniri sceleratos, curam corporis magìs, quàm animæ professi inter tot bonos. Et solet bonus alioqui Deus adversùs tales brachium suæ vindicis potentiæ extendere, & in malitia obfirmatos peccatores singulari modo emollire, aut inflictis etiam pœnis ad officium revocare, quando exempla meliorum in scelestos, & impudentes jam nihil valent, nec dehortantes à vitiis operarii post inculcata Dei præcepta quidquam evincunt. Adducam pro testimonio unum vel alterum eventum.

Erat Indus, Jacobus Quiara dictus, qui, licèt post susceptum 5.
baptisma concubinam dimiserit, tamen hanc postliminio in suam domum de novo receperat. At vindex Deus immisso statim morbo, oculorum lumine reum privavit, ut suæ adulteræ animæ tenebras videret. Prognatis enim in utraque pupilla pelliculis visum omnem perdidit. Equidem Patres nostri nihil levamenti omiserunt, sed nihil profecerunt. Hoc rerum articulo misellus homo animum colligens secum ipse disputabat tristis, & anxius, quis tandem mali fons esset. Neque verò reperiebat alium, quàm sua flagitia, velut fontem suæ cæcitatis. Quare conversus ad divinum corporis, & animæ Archiatrum deprecabatur suam calamitatem, non tam intuitu suæ personæ, hac gratiâ indignæ, quàm suorum respectu domesticorum, lacrymis ipsius sortem prosequentium, & famelicorum, cùm interim illi non essent pani lucrando, cùm aliquanto pòst tempore noctu sua peccata excuteret, & miserias bene multas suæ vitæ pensaret, in hæc ardentia verba ad Christum, & ejus Matrem virgineam prorupit: *O mi JEsu! miserere mei* (sic enarravit ipse omni populo post mirè recuperatam valetudinem) *mi JEsu, quamvis ego non sim meritus, tamen ex infinita misericordia tua meas noxas mihi condona, & oculorum usum mihi redde. Agnosco, O Domine, & ultrò fateor, hanc cæcitatem mihi irrogatam esse in pœnam meorum scelerum. Sed ex corde doleo commissa, cum firmo proposito non iterandi. Sanctissima Virgo, & Mater DEI MARIA divinum tuum filium mihi reconcilia, & meæ miseræ animæ impetra veniam peccatorum, meo autem corpori perditum oculorum lumen. O mi DEUS, & misericordissime Pater, moveat te bonitas tua, & sicut facilè potes, hanc mihi fac gratiam, quam adeò instanter rogo. Spondeo vicissim tibi, te ab hoc momento non ampliùs offensum iri, sed me pro viribus sanctam legem tuam observaturum.* Hæc elocutus pergebat inter largas lacrymas tacitè coram Deo suam miseriam deplorare.

6. Subin audiit vocem, ad se directam: *propter adulteria, & peractas sine sincero proposito confessiones hoc malum tibi obvenit.* Dum verba hæc percipit, simul anima inexplicabili dolore obruitur: è strato suo se proripit, & simul clarissimam lucem in circuitu admiratur, sole ipso splendidiorem, sentitque unà miri & suavissimi odoris fragrantiam, nullo terreno aromati comparandam. Arguebat ergo facilè, has delicias oculorum, & narium non aliunde, quàm ex cœlo defluxisse. Insuper advertebat, membris suis singulares vires accrescere, & miram agilitatem. Ita constitutus cœlesti solatio juxta ac dolore animi plenus cum fletu respondet auditæ voci: *Fateor, Clementissime Pater, ac Domine meum flagitium, dum dimissa legitima uxore illicitis amoribus inhæsi, de quo tamen delicto summè doleo. Ita est* (reponit occulta vox) *aperi peccatum hoc in sacro tribunali, & pœnitentiam age.* His peractis ostentum disparuit, pœnitens verò Jacobus oculorum visum recepit. Considerans postea humanam fragilitatem, & inanitatem voluptatum, serióque repetens cœlestis visionis ac ambrosiæ suavitatem, multis suspiriis desiderabat celerem mortem, fruiturus citò æternis deliciis. Ut verò perceptas cœli dulcedines phantasiæ magìs ingereret, oculos suos, quibus cœlestem claritatem aspexerat, propriis manibus obnupsit, ne caducæ vitæ miserias porrò videret. Quin ubi hujus ostenti recordabatur, nunquam à fletu, & singultibus poterat abstinere. Hìc eventus simul ac innotuit, multum fructûs peperit. Vix enim unus & alter repertus est, qui non collecto animo conscientiam purgaret. Maximus tamen fructus pertinet ad pagos SS. Josephi, & Francisci Xav. quorum indigenæ cæcum Jacobum multoties visitârunt, & obsequia charitatis detulerunt.

Cap. VIII. §. 6.

1. Mira conversio venefici. 2. Et apostatæ per serpentem. 3. Item impudici per fulmen.

1. NOn minus admirationis alio tamen modo creavit conversio venefici, diu orco authorati. Hunc è sua caverna montana, ubi bruti animalis instar vitam degebat, indefessus Patris Lucæ Cavallero zelus protraxerat. At vix pedem iste magus intulerat in pagum S. Josephi, cùm gravi correptus est morbo, in quo firmiter sibi persua-

ſuadebat, dolores, quos ſentiebat, nihil aliud eſſe, quàm amaras querelas, & ſupplices preces animæ ſuæ, nuperas, & nunc amiſſas voluptates dolentis, & inſanè requirentis. Quare propoſitæ converſionis pœnitens ad priſtina deſideria cor retraxit, ad brutum vivendi morem rediturus. Fortè concubia nocte, dum impium hoc propoſitum vigili mente verſat, & hinc febris, illinc libidinis calore torquetur, animadvertit, ſibi inter terribilem tumultum appropinquare integram populi turbam. Sed revera erant maligni ex Erebo Spiritus, à templi foribus cedere coacti. Ibi enim dum Neophyti inter lacrymas flagris ſe piè cædunt, dæmones hoc ſcil. indignati, inter execrationes ſacri loci ad venefici domum ſeſe proripuerunt. Ergo hominem allocuti: *ecce! ecce!* inquiunt, *quàm inconſultè Indi ſe flagellis cruentent. Tu verò laudem tuliſti non vulgarem, quòd paſſus non ſis te circumveniri fraudibus,& mendaciis iſtorum nebulonum* (Patres Miſſionarios hoc nomine notabant) *Reſtitue te ex templò priſtinæ libertati, & vetus tuum ſpelæum repete: ſecus ſi feceris, acerba hæc flagra tu quoque ſenties.* Audiit hæc attonito, trepidóque corde, nihil tamen oculis ſpectabat præter ſpiſſam,terribilémque umbram, ex qua vox inſonabat. Equidem orci conſilium fuit denuo irretiendi hominem, ſed ſpe ſua cecidit. Senſit enim æger in tanto horrore, & trepidatione, ipſiſſimi diaboli ſcenam hanc eſſe, ſed quomodo liberari ab ejusdem infeſtatione poſſet, haud dum ſciebat. Audierat quidem, vim maximam adversùs inferos eſſe in ſacroſanctis nominibus JESU, & MARIA, ſed eodem anguſtiæ articulo non occurrit hoc protinus memoriæ. Vix autem recordatus, cum ſincera fiducia pronuntiavit ſacra Nomina, quibus fulminata ſpectra tanto cum tumultu, ceu tota domus corrueret, in fugam ſe conjecerunt. Æger contrà continuato de noxis ſuis dolore planè ſtatuit inſiſtere ſalutis viam, id quod reipſa præſtitit. Simul enim ac convaluit, Patri Cavallero ſe ſtitit, humíque proſtratus lacrymis magìs, quàm verbis gratiam baptiſmi expetiit.

Hæc duo primùm narrata exempla ſunt partim ſolatii, partim 2. terroris plena, at majoris fuit moliminis res in duobus ſequentibus Indis. Hi in malitia ſua obfirmati flocci habebant ſalutis monita, à Patribus noſtris exaggerata. Primus horum erat Chriſtianus recens, quem pedetentim pigebat vivere vitam rationi congruam, pertæſus jam legis Divinæ. Ergo ex Colonia S. Raphaëlis profugus revolavit ad paganos. Ibi intermiſſo omni Religionis ſanctæ exercitiô, facile

fuit

fuit animarum hoſti, præcipitare illum in veterum vitiorum devia, maximè libidinis, in qua cum impia pridem perſona conſueverat. Cognita hujus fugâ Miſſionarius hujus ipſius Communitatis, à quo reductus erat ad fidei veritatem, ſine mora Chriſtianos mittit, qui inſequerentur fugientem. Et verò deprenderunt eundem in globo barbarorum. Exprobrabant fractam DEO fidem, in baptismo datam, & unà perfidiam contra promiſſum, Patribus factum, perſeverandi ſcil. in dicti pagi habitatione. Transfuga diſſimulato exprobrationis tam acerbæ faſtidio, ablegatos amico, lætóque vultu, & verbis optimis excipit, ſpe eos quoque pervertendi, & ad defectionem à Fide pertrahendi. Verbis igitur lactat tamdiu, donec ſtatum tempus inſtruendi more ſuo convivii ingrueret. Quapropter ut lautius pararet obſonium, apoſtata venatum abit, nec operosè feram ſternit. Prædâ lætus reditum maturat, totus in ea cogitatione fixus, quî doloſum ſuum propoſitum daret executioni. Interea percipit à tergo inſolitum ſtrepitum, ut præ metu exhorreſceret usque ad frigidum ſudorem. Nec hoc immeritò; nam ſerpens horrendæ magnitudinis ipſi imminebat. Hoc conſpecto corporis, & animi vires colligit, impactáque clavâ ſuâ beſtiam non perfunctoriè ſalutat. At illa ex ictu efferatior omni niſu gutturi Antagoniſtæ inhiat. Retrocedit ille, ſaltu cautiore ictum geminaturus pro libertate, ſed ſiniſtro omine. Nam clava ipſi ex manibus excidit, & ſimul animoſitas è pectore, quo ſolo ſpem reſiduam ſuſtentaverat. Deſertus ergo omni alio ſubſidio arcum corripit, & ſagittam, inclamans interim unde unde opem, à nullo ferendam, utpote à nemine auditus. Deſperata proin ſalute, viribus labentibus, vix non ſui deditionem faciebat. Id ſaluti denique fuit, quòd ſerpens gutturi iterum involans ſemet graviter ſauciârit ex telo, ad cingulum pendente, ut fuſo non parcè cruore langueſceret. Apoſtata interim occaſionem, & tempus fugæ nactus, ulteriori periculo ſe citâ fugâ ſubduxit. Ad ſuos redux, adhucdum conſternatus animo, periculum ſuum enarravit, quod pagani quidem ad fortuitum caſum retulerunt, Chriſtiani autem ad Divinam monitionem de periculo hominis apoſtatæ. Quæ poſterior interpretatio apud transfugam eum fructum tulit, ut, præterquam quòd aliàs conſcientiæ ſtimulis valde urgeretur, cum toto illo paganorum globo ad Coloniam S. Raphaëlis ſe reduceret: illi quidem ibant, ut in Fide inſtructi baptismi gratiam, hic verò ut perfidiæ veniam impetraret,

ſe-

ſeriam, & rigidam acturus pœnitentiam. Et verò id exactè præſtitit, dum in ſingulari Dei timore laudabilem deinceps vitam duxit, & clauſit.

Mirus prætcrea eventus fuit, quo alius doctus eſt majus animæ ſuæ pretium ponere. In Communitate S. Joſephi nonnemo ad Chriſtianam legem acceſſerat, amandatâ ante ſuſceptum baptisma concubinâ, qua abuſus erat. Sed propoſito conſtantia defuit. Quippe viduitatis hujus pertæſus, guſtatas perpetim delicias revolvebat. Fortè in platea vetus illa lupa obviàm venerat, cujus primo aſpectu captus, in priſtinos amores exarſit. Sed quoniam domi, in pago ſcil. tutum non erat flagitium, cum tribus ſcortis clàm fugiens, in denſam procul ſylvam ſe abdit, ubi omni Patrum induſtria per ſubmiſſos Indos indagari non poterat. Unum è Patribus hæc fuga acerbiùs affligebat. Itaque probè gnarus, hanc profugam oviculam non niſi ſingulari divinæ Miſericordiæ auxilio ad caulam reduci poſſe, ardenter fit ſupplex Deo, & Deiparæ, uti miſereſcerent cæci hominis, cujus ſalutem purgantium etiam animarum interceſſioni commendat. Nec fruſtrà. Nam dum infelix transfuga brutæ libidini vacat, ſudo prorſus cœlo horrendum tonitru inſonat, ſequitúrque fulmen, ad pedes Indi in terra abſorptum, quod citra aliam læſionem reum ſolo afflixit. Longiore pòſt intervallo ad ſe reverſus, facilè agnovit, hanc tonantem vocem fuiſſe Dei, impellentis ad pœnitentiam. Quare in lacrymas effuſus, prenſat Marianum Roſarium, adhuc è collo pendens, ſe proſternit in genua, divinam miſericordiam ſeffliſtim poſtulat cum deteſtatione vitiorum, & adamantino emendationis propoſito. Nec fortiùs propoſuit, quàm reipſa fecit. Adiit enim Communitatem S. Xaverii, quoniam animum obſtinârat, nunquam in vicum S. Joſephi redire, ne intuitu novo ſuæ Veneris deſideria maligna denuo accenderentur. Sed hanc transfugæ amicam Deus morbo brevì inflicto ad ſe avocavit, quæ proin actâ ſeriò pœnitentiâ, ſpe beatitudinis plena, æternitatem adivit. Morte amicæ intellecta Amaſius in ſuum ſe pagum retulit, in arrepta ſemel vitæ ſanctioris ſemita tam conſtans, ut ſolatio cœleſti plenus, ne quidem cogitationem inſanæ nuper libidinis admitteret.

Cap. VIII. §. 7.

1. Impudicus juvenis miserè perit. 2. Exitium præstigiationis. 3. Horrenda mors, & sepultura adulteri.

1. Afferemus modò alia quædam eventa, quæ Deus permisit abs eo, ut aliqui impii moram temporis nanciscerentur ad agendam pœnitentiam: quò scilicet cæteri scelerati absterrerentur à terrenis voluptatibus, & ad cœlestia potiùs anhelarent. Factum hoc funestum primò pertinet ad juvenem in Reductione S. Joannis Bapt. qui vitam sordibus plenam profiteri non erubuit. Arguebant primò Patres hominem blandioribus verbis, propiùs dein tangentes animæ vulnera ad sanitatem revocabant. Sed monita in ventum erant, nihilque proficiebant, ut miser etiam magìs obsurdescens, in malo obstinaretur. Denique dum tota communitas in templo divinis officiis vacat, hic clancularìam approperat fugam. At vindicta Divina fugitivi pressit pedem, utut in latebris divinos subterfugere oculos quæreret. Alterum enim genu quàm fœdè tam citò intumuit, defluens in putredinem tantam, ut bulliret vermibus intolerabili cum fœtore, & dolore, quo tandem miser in rabiem actus, more bestiæ infelicem animam efflavit. Nemo non ex incolis hoc miserum fatum imputabat obstinationi juvenis transfugæ. Excurrerant quidem Neophyti ad requirendum profugum, sed primodum, quando cum morte jam luctabatur, offenderunt. Hic infortunatus obitus eò valuit, ut deinceps nullus præsumeret pedem ex pago efferre, quin priùs renovato de peccatis dolore Deum sibi propitiaret, & Divinæ Matris benedictionem exposceret.

2. Deterior sors fuit cujusdam præstigiatoris, qui Christianis aliquot ex vico S. Xaverii clavâ mactatis, non desinebat suas inanias & mendaces artes simplici popello importunè vendere, quin obtrudere. Omnibus interim modis satagebat Patrum auctoritatem apud populum elevare, aut funditus pessumdare. Non intermittebat proin inculpatos Patrum mores carpere, & maledictis incessere immemor beneficiorum, à Patribus collatorum, quippe qui altera vice illum morti eripuerunt, ab irritato populo certo certiùs inferendæ. Fortè occupatus

patus iterum erat in exponendis suis præstigiis, tanquam magnis mysteriis, & unà omnem bilis vomicam inter scommata & maledicta sexcenta adversùs Patres effundebat. Videbatur hæc insolens maledicentia veterano Caciquio non diutiùs toleranda. Igitur ille impio balatroni ac fraudulento Sycophantæ fortiter primò obsistere, mendaciis refragari, denique sublatâ clavâ fauces cum dentibus elidere, & scelestum cerebrum in arena dispergere. Ab hac scelerati, pridem mortem meriti, cæde diu hæsit novis Christianis, & memoria, & metus salutaris.

Terribilius est, quod subditur. Philippus Motorè carnis illecebris immersus, expulerat justam è domo conjugem, admisso in vicem scorto, cum qua citra ruborem ceu maritus cum uxore vivebat. Hæc impudentia toti communitati non leve ferebat scandalum, id quod præcipuè afficiebat Patres, ne pessimum exemplum serperet ad alios, paria ausuros. Dolebant nimium, tantos labores, & sudores in vanum abire, quibus conjugalis fidei scandala tollere, & inviolabile matrimonii vinculum solidare contenderant. Equidem volebant, sed non poterant jam huic malo mederi. Re igitur DEO commissa, à cœlo solo remedium exspectabant. Neque verò longa fuit DEI vindicis mora in auferendo tanto scandalo, quod ex omnium cordibus per utriúsque complicis interitum sustulit, manifesto Divinæ Justitiæ exemplo. Intererat Philippus cum suo scorto choreæ, & lætus levísque cum piorum offendiculo saltitabat, cùm derepente febri tam accensa corripitur, ut intra paucos dies de ipsius vita conclamaretur. Accurrentes confestim nostri Patres in eo desudârunt, ut in se descendens, hanc invaletudinem tanquam suorum scandalorum pœnam pœnitens respiceret, nec procrastinaret veniam rogare ab offenso Numine. Inter hæc salutis verba accessit misero nova debilitas, ex qua cùm argueret, vitæ suæ finem in propinquo esse, advocavit affines & familiares. Ad hos jam præsentes subinde sequentia protulit verba: *Profectò, amici, omnium mortalium infelicissimus ego sum, qui propter turpissima vitia ad æternum damnatorum rogum jam damnatus sum. Hem ut diaboli propinquant, me hinc abstracturi, quò comes eam mea dilecta lupa in flammas æviternas, cum qua mihi Societas erat in luxuriis. Causa adeò damnationis meæ est, quòd posthabitis Patrum monitis concubinam illam novam domi admiserim. Obtestor vos, ut obedientiorem aurem sanctis Patrum præceptis adhibeatis, ne & vestras animas olim perdatis, ignibus* 3.

L 2 *æter-*

aeternis mecum cruciandus. Hæc effatus sermonem, & vitam finiit, verè, ut prædixerat, infelicissimus. Circumstantes hac allocutione summè consternati sunt, maximè illi, quos parium propè scelerum reos conscientia arguebat, adeò, quod postea fassi sunt, ut lethalibus obruerentur angustiis. Erant tamen alii in ea persuasione, quòd vehementia dolorum moribundo usum rationis abstulisset, sermonem proin ultimum emotæ mentis partum fuisse. Pòst igitur funus in templo deponitur, Christianæ exequiæ peraguntur. At enim Deus palàm fecit, ultima defuncti verba nullo modo ex animi aberratione fluxisse, sed fuisse verum divinæ vindictæ testimonium. Fluxerant dies aliquot, quando ex templo nigricans, densúsque fumus ascendere conspicitur, quasi sacra ædes ex incendio arderet. Fit concursus populi ad extinguendas, quas credebant, flammas. At ubi observabant fumi originem, ex ipsa terra eructari deprehenderunt, sub qua conditum jacebat miserrimi Philippi cadaver. Quare copiosas tumulo affundunt aquas, latentem ignem extincturi, sed frustrà. Nam terra undis immixta ebullire, & intumescere, perinde ac sub illa ardens clibanus delitesceret, totum templum in flammas conjecturus. Aperto igitur sepulchro corpus incorruptum invenitur, quasi dedignata fuerit consecrata terra cum cineribus illius commisceri, cujus anima jam ardebat in igneo orci ergastulo, atque ideo impatiens exhalârit horrendum & fœtentem vaporem. Res hæc supra naturam visa cadaver tumulo eruendum suasit, & in remota palude mergendum. Sed & ibi aqua subitaneo calore ebullire cœpit non aliter, quàm si igniti torres fuissent injecti. Hæc tragœdia terrorem mirum quantum disseminavit in universo populo, & dein sermo non erat, nisi de hac tristissima catastrophe. Nec jam opus erat, ut Patres conjugalis fidei integritatem inculcarent, cùm funestus hic casus omni adhortatione potentiùs in corda populi descenderit. Aliquanto pòst tempore quosdam Indorum curiositas traxit, explorandi scil. qui se porrò haberet cadaver. Perlustratâ sedulò omni paludis aquâ, nullum ejus vestigium ampliùs deprehenderunt. Sententia proin eorum fuit, corpus ab immundis spiritibus in Erebi abysso fuisse sepultum, ut complex voluptatis olim, nunc esset & pœnæ.

Cap. VIII. §. 8.

1. Mira ostenta Neophyti ægrotantis, & ecstatici 2. Via perditionis ostenditur. 3. Magia exprobratur. 4. Damnatus ex orco raptatur. 5. Diabolus cogitur salutaria dicere. 6. Lamenta damnati. 7. Plures alii damnati in illa visione.

SEd missis jam tragicis narrationibus, lætiora, & mira ostenta de 1.
Neophyto in medium proferemus, quæ ipsa ad augmentum, & profectum recentium Christianorum miris modis contulerunt. Tradam rem iisdem verbis, quibus duo Patrum Lucas Cavallero, & Philippus Suarez ad R. P. Provincialem perscripserunt. Relatio ita se habet. Nonnemo Christianorum, Lucas Xarupà dictus, ex febri calida decubuerat, ut post pauculos dies, ad extrema deveniret. Eo temporis articulo nova veheménsque debilitas ægro accessit, qua omnibus destitutus est sensibûs, aut fortassis (ut ipsemet postea affirmavit) anima illius ecstatico modo è corpore tantisper secessit. Cùm ergo anima sic corpus deseruisset, duo obviàm venerunt, formam hominum præseferentes. Invitabant hi, ut secum in aliam regionem migrare ne gravaretur. Lucas primo congressu valde perterritus, verebatur, ne res sibi esset cum geminis Orci spiritibus. Sed observatione cautiore facta deprehendit vultus miræ venustatis, vestes basilicas, manus autem crucibus ornatas, loquelam amabilitate conditam. Ergo ostentum cœleste interpretatus, omnem seponit formidinem, & hos duces sequitur in ardua. Ubi fastigium attigit, sese obtulit angusta, difficilis, & decussatim implexis carduis, spinísque impedita via, qua necessariò tamen erat transeundum. Itaque cautus admodum gressum movebat, ne pedes læderet. Accidit tamen, ut non semel offenderet in spinam, tanto quidem cum dolore, ut huic succubuisset, nisi duces amœnitate sui vultûs, & nitore singulari emicante roborâssent, & animâssent.

Denique aperuit se ad sinistram via plana, lata, & amœna, & 2.
ut ipsi videbatur, lectissimis omnis generis floribus constrata. Hanc proinde viam inire avebat. Sed comites monuêre, ut cautè observaret, quò duceret ista ad speciem perjucunda semita. Et verò mox

puit, illam horrendo præcipitio & altæ voraginis abysso terminari, ex qua inconditi ejulatus percipiebantur. Eodem tempore in conspectum venit integra dæmonum caterva horribilis formæ, quorum aliqui tigrides, alii crocodilos, alii dracones, & id genus monstra plura referebant, ex faucibus caliginosum ignem ructantia. Subsiliebant gesticulatorum more, & inter tremendos ejulatus assimilabant Indorum Saltationes. Imò præseferebant, ceu vellent perterritum ad se rapere Neophytum, qui metu propè externatus, omnem hanc scenam credebat suo exitio parari.

3. Simul inclamant trepidum hominem: *Hic est Xarupà, noster amicus, qui à nostris pridem officiis fuit, easdem veteratorias artes professus, quas majores ipsius nobis magistris didicerunt.* Dum hæc attonitus audit, non dubitabat, se à stygiis larvis momento abreptum iri ad inferos. At Angeli securum esse jusserunt, asseverantes, illum nihil maleficii passurum.

4. Ita confirmatus videbat postea è medio damnatæ cohortis crudelem animarum carnificem prosilire, qui condemnatum hominem, tanquam clitellarium jumentum post se raptabat. Erant hujus miserrimi manus & pedes candentibus igne catenis colligati: collum ambiebat latior annulus ex ferro, qui progredi vetabat, simúlque caput erigere cogebat ad majorem confusionem, & pœnam. Ad singulos passus lictor ille truculentus in terram miserum magno impetu affligebat: Tum verò tota dæmonum caterva irruens vinctum acerbis flagris mulctare, & inter horribilia convitia ad gressum cogere. Castigatus interim horrendis ejulatibus execrabatur suam infelicitatem, despuens præ desperatione sexcenta maledicta. Tortor verò ad Lucam Xarupà conversus rabida voce exprobrat:

5. *Et tu me quondam perbenè noveras, nec segnis eras in meo servitio; nisi ab hoc destitisses, enimverò & tu mecum jam fores. Patres ad tuam regionem delati, dum Christi legem prædicârant, hoc te infortunio exortem præstiterunt. Atque hoc ipsum est, nullo pacto tolerandum, quòd scilicet illi Viri institutis meis tot convitia faciant. Scito tamen, non omnes ex tuis gentilibus, etsi Christiana fide sint imbuti, cœlo potiri, quia multi eorum perversam vitam prosequi non cessant. Dolet mihi impensè, quòd altiore vi cogar coram te comparere, atque adeò quòd tu aspicias miserrimam nostram conditionem, & qua mercede solvamus nostros sectatores. Vade ergo, & isthæc enuntia. Erit enim, cùm nos authoritate nostra excidemus, & tui*

popu-

populares missa superstitione, & impia vivendi libertate Christo jurabunt. Nisi hoc ipsum tu fecisses, socius modò esses hujus, quem hîc cernis esse jam meæ potestatis. Aspice hunc non perfunctoriè: an non nôsti? Facies autem damnati adeò transformata erat, ut dignosci facilè non posset. Intentiore dein obtutu explorans deprehendit, quis esset. *Iste verò* (subdebant Angeli) *est Antonius Tapochì, qui in extrema infirmitate pœnitentiæ remedium respuit, spretis omnibus monitis, & procul facessere jusso Patre, qui salutaria suadebat per expiationem scelerum.*

Finierat Angelus, cùm infelix Antonius sermonem vertit ad Lucam cum gemitu: *O me miserrimum* (lamentabatur) *qui Patribus fidem non habui! O quàm horrenda & inexplicabilia tormenta patior post Deum offensum, post contemptam doctrinam Patrum! Hæc supplicia mea nunquam finem facient, sed æterna erunt sine spe levaminis: O vos millies fortunatos! quibus spes superest perpetis salutis! qui vosmet immunes amarissimo hoc suppliciorum mari præstare potestis, & eximere de manibus talium tortorum, qui ipsis inferorum flammis sunt intolerabiliores.* 6.

His subjunxerunt Angeli admonitionem ad Lucam, ut lamentabilem hujus miserrimi statum suis popularibus notum faceret. *Dic insuper illis* (inculcabant) *quod & Caciquius Michaël Motaquì in perpetuo Orci crucietur ergastulo.* Erat autem hic Michaël genere, & Origine Pinnocanus, & unus inter primos, qui sanctam susceperant Fidem. Sed concepto dein Christianæ Legis fastidio cum uxore & prolibus se fugâ subduxit, ethnicis convicturus. *At sperata non usquequaque ibi sors* homini arrisit. Ergo in pagum S. Xaverii quidem redux, perseverabat tamen corde tenus inhærere avitæ superstitioni, quamvìs exteriore habitu Christianum se fingeret. Extremo morbo equidem divina admisit Sacramenta, sed tantùm, ut posthumæ caveret famæ. Nam vel ultimæ morientis angustiæ palàm dederunt illum, ut vitam bestiarum vixerat, ita mortem simillimam obiisse. Pergebant Angeli Lucæ dicere: *Etiam Poò homo veneficus ardet in inferno, æternóque rogo. Profundiùs tamen luit à duobus dæmonibus horrendum in modum cruciatus, quos ipsos priùs in vivis ceu fidos amicos, & socios respexerat. Hi item ipsi fuerunt, à quibus instigabatur ad convellendam Patrum famam, ad DEI Legem, ad persuadendam Neophytis defectionem, & omnia scelera.* 7.

Cap.

Cap. VIII. §. 9.

1. Beata mors aliquorum Neophytorum. 2. Monita S. Angeli. 3. Ostenta cœlestia. 4. Peccata etiam ignorata & non expiata obicem cœlo ponunt.

1. *PRæterea dic tuis ad solatium, quòd ex defunctis suis vicissim aliqui perpetua fruantur beatitate. His fruitur Andreas Zurubì, qui post tridui moram in piacularibus flammis ad cœlum transiit.* Duxerat hic Neophytus vitam admodum piam, præsertim in frequenti usu SS. Mysteriorum. Quando statis per annum diebus publica instituebatur verberatio, primus aderat pœnitentium cum flagro, quod quidem domi quoque singulis sextis feriis rigidè usurpabat. In Templo adsternebatur pedibus crucifixi Domini, ubi noxas suas cum lacrymis tam seriò dolebat, ut vel aspectus Patrum lacrymas mutuas iisdem eliceret. In postremo morbo vivum veræ patientiæ præbebat exemplum. Prodidit tamen ingens etiam desiderium, ut dissolveretur, & esset cum Christo. Cùm ad extrema ventum erat, submisit illi unus Patrum imaginem S. Francisci Xaverii, ut patrocinio hujus vitam protraheret. At verò æger deprecabatur potiùs à Sancto citum transitum ex terrena in æviternam vitam. Auditus est; precibus enim vix absolutis ad S. Apostolum piè, & suaviter obdormivit in Domino. Quando postmodum puerulus, qui iconem Sancti retulerat, fuit requisitus, quî se haberet ægrotus, respondit non sine innocenti stomacho: Mortuus est, inquit: & cur non moreretur, dum tam ardenter desideravit frui beato aspectu JESU, & Mariæ. *Versatur quoque in cœlesti jam Jerosolyma (verba porrò erant Comitum Angelorum) Augustinus Zurubì, & pia ejusdem uxor, quos eò promovit vehemens desiderium intuendi divinam faciem.* Hic verò Augustinus fuerat insignis pietate Christianus, præcipuè animi demissione, obsequendi studio, & mundæ conscientiæ teneritate conservanda. Mortis propinquæ interstitia impendebat evolvendo Mariano Rosario, & piis ad Deum & Dei Matrem suspiriis. Sub Agonem verò obvios sibi habuit aliquos Sanctorum, deducturos in cœlestem paradisum: prout suis ipse amicis asseveravit. Et verò etiam inter repetita dulcissima JESU, & Mariæ nomina placidè spiritum emisit. Uxor hujus post receptum baptismum

tam

tam probam, & innocentem agebat vitam, ut Pater audiens confitentem tantum noxæ non colligeret, quantum impertienda absolutio requirebat.

Admone insuper tuos gentiles (subjungebant Angeli) ut magni æstiment, & honorent suos Patres Missionarios, tanquam DEI Legatos: se verò invicem velut veros Christianos amarent, deletis oblivione injuriis quibuscúnque, & seposito omni odio, & simultate. Expone illis terribiles damnatorum pœnas, quandoquidem non pauci ex popularibus tuis sunt, qui in sua impietate obstinati pergunt, spretis æquè Patrum cohortationibus, ac DEI inspirantis admonitis. Dic insuper, suam ut Coloniam transferant, & domicilium propiùs locent ad ethnicorum terras. Propter refractariam enim tuorum populorum duritiem, migrare aliò nolentium, pestis in pœnam immissa est, non desitura citiùs furere, quàm obedientes se divinæ voluntati probaverint. Ut quid Evangelici Prædicatores tempus, & operam vix non perdant in cura paucarum animarum, dum interim tot earum millia alibi pereunt, defectu docentium viam salutis? Catechistis verò, qui suam operam locant prædicando Evangelio apud barbaros, disertè significa, laborem ipsorum DEO gratum accidere, & functionis suæ molestias olim coronandas esse ineffabili gloria. Ne igitur timeant hostilitates ethnicorum, nec ipsam mortem, majori remuneratione compensandam. Ut autem fidem tibi adstruant, veni, & vide, quid sit æternis gaudiis perfrui. 2.

His dictis momento desiit prior horrore plena visio. At Angeli bonum hominem ad portas usque cœlestis Jerusalem levârunt, quæ tantæ majastatis, ac elegantiæ erant, quantam describit S. Joannes in Apocalypsi. Quando propiùs dein se insinuabat, obvios habuit duos bellissimos juvenes, manibus præferentes lucentissimas cruces. Hi deducebant hospitem in hortum peramœnum, cujus fragrantiâ, & mira pulchritudine vix non sibi ipse ereptus est. Cùm autem fructus, malo granato non absimilis, illi offerretur, & hospes tantùm ori admoveret, cor ejus tanta oblectatione, & dulcedine delibutum est, ut crederet, majores non dari posse delicias. Sed enim mox reponebatur illi, gaudia beatorum multo esse excellentiora, & hæc, quibus modò frueretur, stare solùm pro figura illorum gaudiorum, quibus cœlites sensuum tenus beantur, quoniam corporis humani capacitatem longè excedit summa illarum deliciarum felicitas, quæ ex clara DEI visione, & comprehensione divinæ substantiæ enascitur. 3.

4. Lucas necdum omnia satis lustrârat, cùm nova Scena venustatis & lætitiæ visenda se obtulit, ut ibi immorari vellet, & unà pelliceretur ad pergendum. Verùm obvius aliunde spirituum cœlestium globus illum ad se quodammodo divertit. Præstantissimus eorum, qui cum Majestate incedens, videbatur esse Princeps totius agminis cœlestis, allocutus est Lucam, gravibus his verbis: *Unde, & quomodo tu hìc præsens es? An ritè es confessus de peccatis?* Interrogatus reponit: *Omnino sum confessus.* Perrexit Angelus Princeps porrò quærere: *Etiam hæc tria peccata aperuisti?* (hæc Genius illi clarè expressit) ad hanc vocem obmutuit penitus Lucas, quia revera per ignorantiam non detulerat ad forum pœnitentiæ illa delicta. Postea superaddidit Angelus hæc verba: *Scito animam tuam his tuis peccatis fœdè conspurcari, téque impediri, quò minùs ad DEI visionem evadas. Dic tuis popularibus, non alia ratione cœlum intrari, quàm præmissa sincera noxarum confessione, ut Patres vestri vos docent.* Hæc ultima verba Angeli erant instar tonitrui. Desiderabat quidem Lucas Neophytus post priora amplius quid videre, præcipuè circumspiciebat id, quod dici audierat de Deo, ejúsque immensa gloria: & quomodo Beati se non minùs in Deo videant, quàm Deum in seipso. Sed dictus cœli Princeps mox docuit, neminem vel minima peccati labe infectum, se posse in Deo tanquam in speculo videre, nisi semet ipse purissimum effecerit speculum, in quo Deus se proin videat. Iret itaque, & priusquam eò evadat, inque hunc locum revertatur, verâ pœnitentiâ & confessione à peccatis se penitus mundaret.

Cap. VIII. §. 10.

1. B. V. MARIA spectabilis. 2. Ablatum Rosarium arguitur, à Deipara restitui jussum. 3. Neophytus ex raptu sibi redditur. 4. Fructus ex narratis his eventis. 5. Zelus Neophytorum ad convertendos etiam alios.

1. Dejectus ergo spe sua Lucas è beato hoc loco cessit. Dum proximam viam ingreditur, conspicit Beatissimam Cœli Reginam in multorum Sanctorum comitatu obviàm procedere, tan-

tanto radiorum ſplendore circumfuſam, ut Lucas præ elegantia, & gloriâ Virginei vultûs mirè attonitus ſubſiſteret. Salutat dein Divina Mater Lucam in patria ſua lingua, prætere̍nsque ſimul aliquid diſplicentiæ, ex eo quærit, quidnam collo pendulum geſtaret? *Roſarium*, reſpondet ille.

Subdit Beatiſſima Virgo: *Atqui hoc Roſarium non eſt tuum, ſed pertinet ad meum filium* (nominavit ſimul illud mancipium, cui Lucas corollam illam violenta ſcilicet pietate, quaſi bona fide rapuerat) *Ille hoc ſertum ſibi arcûs & ſagittæ dexteritate vendicavit, & præ aliis rebus amore mei ſibi delegit. Fac, ſtatim eidem reddas; nam tua violentia ipſum maximè afflixit.* Hæc elocuta diſparuit: Comites verò in terras has clientem reduxerunt, ſed ad ſingulos ferè paſſus occurrerunt maligni ſpiritus more canum venaticorum, latera infeſtantium, ut horrore ſocius corriperetur. 2.

Ventum eſt denique ad paulò antè deſertum corpus Lucæ, quod referebat informem terræ maſſam! Exhorruit Lucas, ad ejus conſpectum, & vix credidit ſuum illud eſſe, in quo priùs habitaverat. Querebatur igitur de ea re, cùm Socii ſubridenti ſimiles innuerunt: *Nunc ipſe*, ajunt, *experiris, qui tandem ſis, nempe vilis, & erubeſcenda terræ portio.* Dixerant hæc, ſimul ex oculis abierunt. Lucas autem Xarupà, aut veriùs ejus anima corpori poſtliminio erat reſtituta. Nec aliter illi res viſa: quàm ſi ex alto ſomno evigilaret. Hujusmodi viſiones quidem quòd veræ, & non tantùm apparentes fuerint, patet ex effectu bono. Certè ſubſecuta converſio multorum oſtendit manifeſtè fuiſſe illuſtrationes DEI, vel boni Angeli, qui ſeſe accommodârunt ruditati, & genio Barbarorum. 3.

Cæterùm prima pòſt cura Lucæ fuit, ut accito ad ſe homini ablatum Roſarium redderet non ſine deprecatione illatæ injuriæ. Et hem ſub idem temporis momentum, eò usque cruciante febri liberatum ſe deprehendit. Stupebant circumſtantes vehementer, illum tam levi remedio potuiſſe ex morbo tam gravi derepente convaleſcere. Crevit admiratio, quando ex ordine, quid ei contigiſſet, & quid DEus ſignificare illis ore ſuo juſſiſſet, recenſuit. Capi non poteſt, quantos animorum motus, quantas lacrymas cum ſummo fructu hæc narratio exciverit, etiam in aliis Indorum reductionibus. Itaque innocentis antea vitæ Chriſtiani eò ardentiùs virtuti ſtuduerunt; pejoris autem converſationis rei ad frugem redierunt. Lucas Xarupà au- 4.

tem, cui hæc ostenta exhibita sunt, ad suum usque finem revera Sanctam vitam continuavit.

5. Restat, ut mentionem faciamus de insigni zelo, quo exardescunt novi Christiani ad prædicandum Ethnicis, & ampliandum ubique Christi Evangelium. Neque enim satis est ipsis dignam Christiano vitam profiteri, sed omni quoque industria satagunt, ut ejus felicis sortis participes, quàm plurimos alios faciant. Hæc laus ab ipsis nostris Patribus confirmatur. Relatam modò visionem, & ecstasin unus ex duobus suprà memoratis Patribus ita claudit: *Ex his igitur, aliisque miris eventis in populo ingens exortum est incendium amoris, Zeli, & Religionis, ad annuntiandum barbaris DEI veri nomen. Ærumnas adeò quascúnque nil pensi habebant, ut nec ipsam mortem horrerent, cujus periculum ad singulos propè passus est obvium.* Alius nostrûm ita scribit: *Fidei propagatio (DEO sint infinitæ gratiæ) quot diebus incrementa sumit, & multi admodum sunt, qui spretis præsentissimis vitæ periculis desiderant excurrere ad paganos, & illis prædicare Veri DEI Religionem. Mei Neophyti* (verba sunt Patris Cavallero) *qui præterito primùm Anno Salutis fonte tincti sunt, offerunt sese præ Commiseratione erga suos populares, rogántque, ut illos visitare liceret, ad cognitionem veri DEI perducendos, ne scil. expertes essent sortis tam beatæ, qua ipsi jam Neophyti fruerentur.* Specialiter de aliquo Indo, cui Ignatius nomen, prædicatur, quòd omne vitæ tempus insumpserit in captandis, & convertendis Ethnicis. Hic postea à P. Joanne Bapt. de Zea Zamucorum genti præfectus est, & cum laude prudentiæ, & doctrinæ in peragendis negotiis Superioris officium explevit. De alio Indo (Antonius vocabatur) in Pago S. Raphaëlis testatur P. Augustinus Castannares, eum totis viribus insudâsse, ut quàm plurimos ex captivitate Mamalucorum liberaret, in fide Christi dein instrueret, & in suum transferret vicum. Vix ubi post longas pluvias serenatur cœlum, Indi in procinctu sunt ad excurrendum. Æstimant se eò feliciores, quo plùs adversitatum occurrit, modò plures ad Dei cognitionem perducant. Sæpè menses quatuor exigunt indefessi, donec animarum fructum colligant. Sub eorum verò reditum in populo insolita exultatio, & gratulatio increbrescit, qui omni amoris, & benevolentiæ significatione recentes excipit hospites, tametsi capitales antea hostes fuissent. Hæc certè Indorum suorum charitas, Patribus nostris dulces non semel exprimit lacrymas: maximè cùm observant, quanta facilitate hos advenas indigenæ in

suas

ſuas domos recipiant, & tantillum, quod poſſident, impertiant, & velut cum ipſo corde dividant. Quæ quidem benevolentia apud barbaros id efficit, ut facilè obliti ſuæ patriæ, Legi Divinæ ſe ſubjiciant: præcipuè eo in caſu, quo talem experiuntur beneficentiam erga ſe, qualem nec in extrema neceſſitate ſuismet proximis Conſanguineis aliàs præſtare ſolent id genus barbari.

Cap. VIII. §. II.

1. Zelus animarum in Chriſtianis. 2. Prodigia in lacu per veneficium cruento. 3. Et in periculo luculenti incendii Auctore Diabolo.

FAtendum eſt, hanc novam Chriſtianam Rempublicam potiſſimùm ſibi ipſi incrementum Fidei debere. Zelus enim Neophytorum pro animarum Salute eò usque invaleſcit, ut contemptis vitæ periculis propè ſinguli, & ſoli in ſylvas, & ſolitudines penetrare non horreant: aut certè Patribus noſtris Sociati, montium cavernas, & nemorum ſpelæa excutiant, aliquos ad Dei agnitionem protracturi: in qua quidem animarum ethnicarum indagine plus centum eorum Sanguinem, & vitam læti profuderunt. Placuit etiam Divinæ Bonitati, labores horum Neophytorum ſæpenumero manifeſtis prodigiis promovere, quæ cùm ſpectarent barbari, catervatim baptismi gratiam ſolicitârunt. Ex multis duo exempla afferam. Chriſtianorum aliqui, recèns ſacro fonte abluti, ut agnitam Fidei veritatem porrò propagarent, contulerunt ſe ad Ethnicum populum Pinaquiſiorum. Adhortabantur magno ardore, ut ſuum habitationis locum deſererent, ſuperſtitionem abdicarent, & ad Chriſti gregem accederent. 1.

Dum in eo religioſo labore toti ſunt noſtri Neophyti, hem perterritæ ſuperveniunt fœminæ, altùm clamantes: *O malam rem! unda proximi lacûs, uſibus populi neceſſaria, ſpecie mutata in ſanguinem transmigravit.* Horum verborum cauſa pagani omen illico captârunt ex caſu, tanquam prodromo ingentis infortunii, & in varias opiniones diviſi rem interpretabantur. Chriſtianis autem aſſeverantibus, nihil ſubeſſe præter meras Orci præſtigias, intellexerunt, his doloſis arti- 2.

 bus

bus non aliud quæri, quàm ut ab ineunda salutis via averterentur. Ut autem ipso facto id monstrarent Neophyti Apostoli, abierunt cum his paganis ad Lacum: videre quidem ibi erat repentinam aquæ metamorphosin, sed illi fide firmati expediunt sacratum Rosarium, quo eodem Lacui benedicunt, & denique illud immergunt. Res mira! eodem momento cruentus aquæ color evanuit, & cum priori specie saporem consuetum unda recuperavit.

3. Plus admirationis habet sequens eventus, qui his Christianis accidit. Diviserant se inter plures ethnicorum turmas, uno ferè milliari à se invicem remotas, ut nimirum simul omnes hos Deo lucrarentur, & in unam Communitatem congregarent. Observabant aliquando hi ipsi ethnici circa tuguria sua ex terra densum, multísque flammis mixtum vaporem ascendere, omnibus ignaris, unde id esset. Conjiciebant tamen latens grassari incendium (at postea compertum est, ab inferorum genio eas flammas ortum traxisse) & quoniam vehementior ventus ingruit, imminebat flamma barbaris tam celeriter, ut vix citatâ fugâ periculo sese eriperent. Cùm verò ignis primam barbarorum domunculam corripuisset, citra moram Christianos recedentes Barbari curriculò prosequuntur, efflictim rogantes, ut, si vera quidem forent, quæ de Christo, ejúsque Matre prædicâssent, quàm citissimè in præsenti calamitate utriúsque opem implorarent. Procidentes igitur singuli in genua instabant Deo supplices, ut parceret his Indis, qui spondebant, se sanctam Christi Legem admissuros: Et hem luculentum miraculum! Flamma illico citra damnum deseruit, aut potiùs præteriit illam domum, quam Deus ut indemnem vellet, erat rogatus. Auget prodigium, quòd servata habitatio in medio pagi constiterit, cæteris omnibus circùm in cineres redactis. At miri eventûs necdum est finis. Stygia enim hæc flamma etiam alteri proximiori viculo instare visa est, consternatis loci incolis. At Christiani subsidium in promptu tulerunt. Eorum enim antesignanus, sublatam in altum Divinæ Matris effigiem deferri, & furenti igni opponi præcepit. Quo facto flamma, velut in medio dissecta, sine læsione ullius Domûs Christianum pagum præterlapsa est. Accedit, & illud mirum, notâsse aliquos, quòd flamma supra unam domum in sublime se sustulerit, & in forma arcûs absque maleficio discesserit. Certè portentum hoc mirè confirmavit Christianos in sancta Fide, & religione erga beatissimam Dei Genitricem; Ethnicos autem eò permovit, ut ad suscipiendam S. Fidei Legem condicerent.

CA-

CAPUT IX.

Quæritur per flumen Paraquarium Communicatio Missionum cum Guaranicis populis.

§. I.

1 Via brevior ad Chiquitos quæritur. 2. Indus Catechumenus suos gentiles ad Fidem permovet. 3. Pericula in itinere. 4. Error in flumine, quod Paraquarium malè creditum est.

Simul ac initium factum est conversionis Chiriquanorum, & Chiquitorum, animo scil. ulteriùs in Regionem Chaco movendi, juxta ac docendi de rebus fidei illas gentes, quæ vastissimum terræ tractum inter Urbem Taryan, & flumen Paraquarium incolunt, cùm primis mox annis tam utile, quàm necessarium visum est, ut ad dictum Paraquarium nova via aperiretur, cujus beneficio Paraquaricis, vel Guaranicis Missionariis propior aditus ad Chiquitos complanaretur. Nam eo pacto longè faciliùs Chiquitorum pagis provideri, nostris autem commodior occasio offerri videbatur, communicandi negotia cum Capite Provinciæ, & emergente casu præsentiorem ab illo opem experiundi. Solatio dein plenum censebatur, si coràm ipse Provincialis arbitraretur Apostolicos labores, & copiosos fructus messis in reductis ad fidem barbaris. Id quòd eò expeditius foret, quò brevius iter alveus fluminis Paraquarii faceret. Futurum enim erat Compendium viæ, ad mille, & quingenta tantùm milliaria protensæ, quæ alibi ad duo millia, & quingenta excurrebat. Re seriò consultatâ Patres nostri ad consequendum hunc finem nihil non egerunt, sed ea vice incassum. Occultâ enim Dei Providentiâ posteris primùm temporibus, & aliis prorsus modis 1.

sco-

scopum suum sunt consecuti. Tamen tacendus interim non est ingens nostrorum conatus in tentando hoc viarum compendio, nec frustrandus laude debita vel in terris, ubi toti quanti sunt in promovenda divina gloria. Potissima causa erat, cur Colonia S. Raphaëlis propè fluvium Guabys plantaretur (uti superiùs dictum est) ut propinquior esset Paraquario flumini. Ab illo igitur fluvio quærebant Guaranici Missionarii novam, & breviorem viam ad Chiquitos sternere. Hi autem fuerunt P. Franciscus Hervàs, & P. Michaël de Yegros, qui Mense Majo Anno 1702. comitantibus 40. Indis, viæ ductoribus iter aggressi sunt sine omni commeatu, sustentandi solâ DEI Providentiâ, subsidio Mariano, & SS. Archangelorum Michaëlis, & Raphaëlis. Neque hac parte ipsos spes fefellit, cùm insperatam farinam cum piscibus cœlum obtulerit, quantum satis, & eò copiosiùs, quò major erat indigentia humani victûs.

2. Inter viæ ductores erat Patribus etiam Neophytus, sed necdum baptismo ablutus Indus, natus ex eo populo, qui prioribus annis simile Patrum propositum sufflaminârat. Hic adolescens Indus non minore fructu, quàm zelo effecerat, ut ejus gentiles sanctæ fidei adlegerentur, & per tres pagos Curuminas, Batasis, & Xarayes Patribus nostris omni charitate obviarent. Ipse verò in ultimo horum pagorum remansit, quà ob defectum vestitûs pro longiore itinere, quà ob læsionem pedis, quo spinam induerat. Et quod dolendum, paucis pòst diebus funus fuit antè, quàm baptismum obtineret, quem tamen suo zelo ardente popularibus propiis impetrârat.

3. Patres interea iter prosecuti per vastas sylvas, per ardua montium, per infidas paludes, per exundantes fluvios nimirum plurimum ærumnarum, & molestiarum exhauserunt. Ut taceam continuum metum, ne cum suis in hostium manus delati perirent. Tandem ad oram cujusdam fluminis (ut rebantur) perventum est, ubi crucem erexerunt, penitus persuasi, hoc demum esse flumen Paraquarium, aut certè ejus brachium. Sed illos opinione sua deceptos fuisse, posteris edocuit tempus; neque enim fluvius, sed spatiosus lacus erat, qui postremùm in densam palmarum sylvam excurrit. In reditu magnum vitæ periculum Patres subiissent, nisi DEUS id tempori avertisset. Nam Indorum aliqui interea obfirmato statuerant animo mactare Patres, per suas terras reversuros. Fuêre tamen alii ex illis melioris planè mentis, qui nefarium propositum suorum tantâ energiâ

dis-

diſſuaſerunt, ut mutato conſilio reduces Patres non modò non læderent, ſed admodum amicè obviàm irent, & cùm tota pagi ſui communitate Patres comitarentur usque ad vicum S. Raphaëlis, ubi etiam habitare cœperunt. Patres allato detecti feliciter Paraquarii nuntio vix redierant, cùm P. Joſephus de Tolù, id temporis Superior earum communitatum, ſtatim ſubornavit P. Franciſcum Hervàs, ut iret in Provinciam, ejusque altera vice Præſidi R. P. Laurentio Nunnez eandem relationem faceret. Dici vix poteſt, quanto gaudio nuntium hoc exceperit R. P. Provincialis. Itaque nullâ morâ interpoſitâ quinque ex Veteranis Guaraniæ Miſſionariis cum uno fratre deſignavit, qui flumini Paraquario ſe ocyùs committerent, putatam novam viam exploraturi, ab aliis inventam, ut quidem credebatur, rectà ducentem ad Chiquitos. Deſignati Patres erant P. Bartholomæus Ximenez (qui poſtmodum huc Româ rediens, quò tanquam Indiæ Procurator miſſus erat, in portu boni aëris diem extremum obiit, annis & meritis plenus migrans ad meliorem portum æternæ felicitatis 22. Julii Anno 1717.) P. Joan. Bapt. de Zea, P. Joſ. Arce, P. Joan. Bapt. Neumair, P. Franciſcus Hervàs, & Frater Sylveſter Gonzalez. Porrò cùm Lectori benevolo gratum fore confidam, ſi intelligat tam laborioſi itineris exitum, non pigebit, huc apponere exactam omnium narrationem, quæ in ea profectione obvenerunt. Habeo id à calamo unius è dictis Patribus, qui operoſæ viæ comes fuit. Relatio, quæ diu quæſita tandem in manus meas venit, ſic ſe habet.

Cap. IX. §. 2.

1. Itinerarium per terras, & aquas. 2. Pacem respuunt Barbari. 3. Legatus pro pace cum Sociis occiditur. 4. Navigantes infestantur à Barbaris. 5. Locus herbæ Paraquariensis. 6. Cruces à Barbaris ipsis erectæ contra incursum tigridum. 7. Duo Patres à Mamalucis ad mortem usque cæduntur. Orizæ nativæ non sativæ ingens copia.

1. DEcimo Maii Anno 1703. solvimus è portu nostræ Reductionis Candelariæ (à Festo Purificatæ Virginis dicta Candelaria) ad alterum portum fluvii Ataquì appulsuri. Inde 27. ejusdem Mensis ad pagum Itatì pervenimus, ubi singulari cum charitate nos excepit P. Gervasius ex Seraphico Ordine S. Francisci, qui ejus Loci incolas sub religiosa disciplina curabat. Adverso dein fluvio Paraminì pertreximus eò, ubi Paraquarius in flumen Paranam se evolvit. Et auspicatò quidem periculosum illum tractum superavimus, quamvìs non sine magna difficultate propter fluctuum, & ventorum turbines, qui per dies plusculos nos delassârunt. Tandem 22. Junii ad portum Assumptionis delati, consueta cum charitate more Societatis à Patribus ejus Collegii sumus excepti. Quatriduo pòst iter prosecuti sumus in mediæ magnitudinis navi (Barque dicunt) comitantibus nos aliis quatuor navigiis, quæ Balsas vocant, duobus item Pierak dictis cum Scapha. Quatuor Balsæ confectis 40. milliaribus ex longinquo observârunt minores Indorum naviculas, quas Payaquas nominant. Videbantur esse exploratores ex illis populis. Cupiebamus proin colloqui, & ad prævertendum omnem metum, & suspicionem nos, qui essemus, manifestare, & unà hortari, ut sancita cum Hispanis pace ad Legem Christianam animum appellerent. Quocirca P. Neuman cum Fratre Sylvestro Gonzalez conscensâ scaphâ illis propinquantes, summè conati sunt, ut icto fœdere paciscerentur.

2. Sed optimum propositum effectu caruit, acclamantibus per ludibrium Barbaris: *Peem, pem momba ore Camerada Buenos ayres viarupi!* quæ verba hunc sensum faciebant) *se formidare illos nationis nostræ, qui*

popu-

populares suos circa oppidum boni aëris pessimè tractâssent. Itaque P. Neuman spe sua dejectus, ad suos rediit, antè tamen vitrea grana, aliáque leviuscula dona ex arbore in litore suspendit, Barbaris pro munere relicta. Horum aliqui ubi viderunt, nostrorum lenocinia non meris verbis absolvi, ocyùs accurrerunt ad captanda dona, & spoliandam arborem. Imò quatuor eorum majoris animi, & fiduciæ uni navium (Balsæ) se junxerunt, ubi habito colloquio aliqua stragula, bellè profectò contexta, vicissim dono reliquerunt. Hæc collocutio cum Barbaris per plures dies fuit continuata singulari cum industria ablegati nostri Aniceti Guarie. Erat iste summi fervoris Christianus, & Vice-Præpositus in Reductione S. Cosmæ, qui ad salutem horum Ethnicorum omnem operam impendit, ut lucrifaceret, & suarum partium tandem esse vellent. At enim Payaguana gens hebes, perfida, & fraudibus assueta est, quàm malitiosam indolem brevì palàm fecerunt.

Quippe cùm noster Anicetus 12. Julii apud aliquos Payaguanos cum munusculis, quæ mirè æstimant, se stitisset, ut eo illicio citiùs sacrum baptisma persuaderet, ex nescio quo litoris recondito angulo proditorum turma, duabus naviculis vecta, advolavit, qui veteratoria proditione tam illum, quàm socios clavâ trucidârunt. Cæde facta profugerunt Barbari, ne à subsequentibus Christianis comprehensi luerent. Sed nimis serò hæc crudelitatis stropha innotuit, in eo primùm loco, ubi occisorum cadavera repererunt, sed sine corpore Aniceti. In horum defunctorum solatium postridie Christianæ exequiæ sunt institutæ cum spe, DEUM tam fervidis Catechistis pro salute barbarorum propitium remuneratorem fore. 3.

Payaguani cùm adverterent nostros non mediocriter moveri cæde suorum, audentiores facti statuerunt, nos altero die loco exturbare, quem occupabamus. Videre proin erat magnum numerum naviculatum, gemina serie fluentium, quarum una ad ripam applicata, suos vectores exponebat, altera autem in flumine sursum deorsum oberrabat. Nunquam tamen ausi nobis propinquiores fieri, paulò pòst retrocedentes, procul videri cœperunt, exploraturi, quam viam porrò iniremus. Una Unica vice tentârunt nostra navigia (Balsas) noctu ex litore jactis lapidibus & sagittis infestare. Sed levi negotio à nostris Christianis in fugam conjecti sunt. Atque hic fuit unicus hostium assultus, cui si Guaycurei Ethnici, fortis, & Catholicæ fidei 4.

 infen-

infensissima natio se junxisset, vix insidias superâssemus, maximè in fluvio, cujus utrúmque litus habitatur, præterea insulis, & haud fidis recessibus, & eluvionibus abundat.

5. Septimo Augusti attigimus ostium fluminis Xexui, in quo olim, ante depopulationem populorum Maracacyù & Terecanì, uti & Coloniæ à Purificata Virgine dictæ per Mamalucos patratam, quot annis ad urbem Assumptionis ingens copia herbæ Paraquariensis fuit advecta. 19. Radentes longissimè litora adverso flumine prospiciebamus aliqua Payaguanorum mapalia, qui se paulò antè reduxerant in capacem insulam, præ oculis nostris stantem. Vix ubi ripæ viciniores eramus, quando Indi nostri prosilierunt in continentem, & memores truculentæ suorum necis locum explicârunt. Insulæ autem dominum se ferebat Caciquius Jacayrà, qui ibidem subditos quosdam, fabricandis navibus destinatos detinebat. 21. Occurrit nobis situs altioris terra, vallis circumdata, ubi tres altæ cruces stabant depactæ. Suspicio primitus fuit, fortè Mamalucorum esse Machinamentum, qui suas sacrilegas Missionum functiones, ut Cap. 3. fusiùs docuimus, ibidem loci exercuerint.

6. Verùm ablato dubio tandem didicimus, hujus structuræ opus esse ipsorum Payaquanorum, qui Christianos æmulati, eâ de causa hoc fecerunt, ut DEUS incredibili multitudine tigridum, regionem illam vastantium, eos liberaret. Exiguo pòst temporis intervallo in conspectum venerunt 12. Barbari in litore sine ullo tamen erga nos maleficio, quin mirandum magìs, nos usque ad trigesimum Augusti non nisi duas naves Guachicorum observâsse, antequam pertingeremus ad fluvium Tepoti. Hujus ingressus in Paraquariam triginta Leucis remotus est ab ingressu fluvii Peray. In superiori parte dicti fluvii Tepoti longa rupium series exporrigitur, per quas turbulento & spumoso cursu volvitur, & plerúmque easdem obtegit. Decrescente autem aqua, visuntur in unius cautis supremitate pedum vestigia humana, quæ incolæ autumant esse vestigia S. Thomæ Apostoli. E regione conspiciuntur cis Paraquarium duodenæ & præaltæ petræ, visu peramœnæ, in quibus natura videtur artis elegantiam superâsse. Ibi Guaycurani excitatis mox ignibus fumum immensum diffuderunt, tanquam prodromos seu volaticos nuntios adventantium hostium, de quibus conterraneos hoc pacto docent. Septem milliaria post has rupes sunt, à quo intervallo procurrit horum populorum fluvius. Pro-

ximè

ximè hunc jacet Lacus Nengetures, in quem alius fluvius se exonerat, veniens è regione gentis, quam Guamas dicunt. Secundùm Superiorem Laci longitudinem habitant Guaycani per potiorem anni partem: educant ibi totos greges equorum, & mulorum. Populis, Guamas dictis, utuntur perinde, ac mancipiis ad agriculturam, & herbæ Tabacariæ plantationem, cujus ibi locorum ingens abundantia. Haud procul ab isto regionis tractu sunt alii populi, inter quos numerant Lenguas vocatos, eâdem propè linguâ, qua Chiquiti, loquentes. Ex altera fluminis Paraquarii parte, multo superiùs fluvio Tepoto alveum suum præbet fluvius Alboymmboym.

Ad hujus ripam antiquitus Colonia fuit, in qua incolarum Saluti 7.
invigilabant P. Christophorus de Arenas, & Alphonsus Arias. Accidit, ut alter eorum ad populos Guatos proficisceretur, ab iisdem postulatus, ut S. Baptisma conferret, cùm in cohortem Mamalucorum est delapsus, mox impactis ferreis fistulis ad mortem usque cæsus. Alter brevi post in horum plusquàm barbarorum Latronum manus quoque delatus, tam truculentum in modum habitus est, ut in brevi, & vivere & pati desierit. Cæterùm ab hujus tractûs confinio usque ad Xarayos immensa se camporum planities protendit, qui ex sola telluris fertilitate tantam optimæ Orizæ abundantiam progignunt, ut satis, supérque inde provisum sit Payaguanis, Guatis, Nanuiquis, Caracaris, Guacamis, Guaresis, & aliis conterminis populis.

Cap. IX. §. 3.

1. Nex duorum Fratrum nostrorum. 2. Ignis accensi fumus nuntius adventantium hospitum, vel hostium. 3. Mors aliquorum è nostris. 4. Diversissimi iterum populi circa Paraquarium.

21. SEptembris prætervecti sumus montes Regionis Cunnayegua, 1.
in quorum altero latere se erigunt montes terræ Itô, quam inhabitant Synemacæ. Huc Evangelii seminandi causâ olim missi erant P. Justus Mansilla ex Flandria, & Petrus Romerus Hispanus. Horum posterior cum Matthæo Fernandez Fratre Laico à Chiriquanis Indis interfecti sunt, quoniam vi legis Christianæ non

nisi unam conjugem illis indulgebant. Porrò intervallo quinque milliarium cum universis sibi subjectis Payaguanis in Insulam retrocesserunt duo Caciquii Jarechacu, & Arapichiqua.

2. Isti simul ac nos conspexêre, septem naviculas (canoas vocant) ad magnam Insulam Oretioniorum Indorum navigare jusserunt, populis illis (ut solent in similibus eventis) de nobis nuntiaturas. Quo facto & propè & procul ingens fumus in aëre est observatus. Hanc ipsam ob causam Payaguani in illo tractu magni æstimantur, & copioso quidem cum fœnore. Ad remunerandam enim tantam vigilantiam dono ipsis obveniunt herba Tabaca, Corium, telæ lineæ, & omne genus alimoniarum, ad redundantiam usque.

3. Tabatò solventes proximè prætergressi sumus montes Regionis Taraguipità, ex qua quondam Missionarii quatuor à P. Antonio Ruiz dimissi, hanc fusissimam Ethnicorum terram inter se dispertierunt ad Legem Evangelicam serendam. Erant autem hi P. Ignatius Martinez, Hispanus, P. Nicolaus Henart Gallus, Jacobus Ferrer, & Justus Mansilla, ambo Flandri, quorum primus in Peruviam ad Chiriguanorum Missiones fuit avocatus: duo proximi laboribus & ærumnis confecti, omni humana ope destituti, mortem obierunt, morti S. Francisci Xav. non absimilem. Ultimus ex his, qui restabat, pariter laborum cumulo succumbens, in brevi extinctus est. Ad octo milliaria supra Tobatum duobus alveis Paraquario committitur fluvius Albototei, ubi solent Mamaluci trajicere Paraquarium, ad suas grassationes cis flumen perficiendas. E regione à duobus ostiis fluvij Mbototei in altera parte evolvitur in eundem Paraquarium fluvius Mandius, cujus decursus proximè est ad radices montis Taraguipiti. Iste mons cohæret contiguus montibus Tambauci, & Garaguy, & ab ora Paraquarii usque ad celebrem Orejoniorum Insulam longè exporrigitur. Porrò autem à flumine Mbototei ad usque gentem, Xarayes protenditur vastissima terræ planities, olim culta à populis Guaycharapos, & Itatines. Postea tamen, cùm perpetim infestarentur à Mamalucis, dictum locum deseruerunt, in abstrusas trans Paraquarium sylvas dialapsi, quæ à lacu Jaragui ad 50. horas excurrunt usque ad Stationem dictam *S. Cruz Vieja*, sive adveterem S. Crucem. Tandem 29. Sepr. utróque fluvii Mbototei ostio superato, cùm velut paralleli terræ Chiquitorum navigaremus, omnem operam intendimus in invenienda Cruce, quam priori anno Patrem Franciscum

ſcum Hervàs, & Michaëlem Yegros erexiſſe diximus ad initium hujus capitis. Idcirco multos lacus, & alias exundantis Paraquarii undas neceſſe fuit nos eluctari. Duodecimo Octobris, dum tantiſper ad flumen Paraquarium morabamur, aliquos ex Payaguanis in conſpectu habuimus, qui, licèt cæteróqui noſtros Indos pertimeſcant, tamen nobis propiores facti, varia fructuum terreſtrium genera ultrò obtulerunt, quibus alia viciſſim munera ſingulari cum benevolentia porreximus. Decimo ſeptimo Octobris poſt conſpectum Lacum Jaraqui naves ſtitimus. Hic lacus per longos mæandros verſus Lacum Orejoniorum in nemoribus, & penes montes navigantium oculis ſubducitur. Iſthoc loco alterum riparium Paraquarii latus hodie incolis magno numero frequentatur. Siniſtra autem ripa eſt populoſior. Nempe ſecurior hæc Statio eſt adversùs incurſiones Mamalucorum, quam defendunt & lacuum amplitudo, & paludum frequentia ad illud Paraquarii latus, propè inacceſſum hoſtibus.

Apponam hîc aliquos ſuo nomine populos, ad utrámque Para- 4.
quarii oram degentes. Dextro igitur litore, quod ſecundùm decurſum fluminis intelligimus, habitant Indi Guaras, Lenguas, Chibapueus, Ecanoquis, Napiyuchus, Guarayos, Tapyminis, Ayquas, Cuniaecanis, Arianes, Curibinas, Cœs, Guareſis, Jarayes, Carabares, Urutues, Guabones, Mborgaras, Pareſis, Tapaquis. Siniſtram fluminis ripam incolunt populi Payaquas, Guachicos, Itatines, Aginis, Sinemacas, Abiais, Abaties, Guitihis, Cubjeches, Chicaocas, Coroyas, Trequis, Gucamas, Guatus, Mbiritis, Eleves, Cuchiais, Torayus, Jaſintes, Guatoquazus, Zuruquos, Ayrueres, Quichiquichis, Xaimes, Gannanis, Curuaras, Cuchipones, Aripones, Arapares, Cutuares, Itapares, Cutaquac, Arabirar, Cubies, Guannaguazus, Imbaes, Nambiquas. Verum quidem eſt, quòd quilibet ex nominatis modò populis potiſſimùm duas duntaxat, aut tres Communitates conficiat, quarum aliquæ trecentas, aut quadringentas animas, aliæ etiam plures numerant, idiomate tenus ſunt nihilominus diſtinctæ, cùm quævis harum Communitatum diversâ utatur linguâ. Atque adeò, etſi ſibi ſint contermini, ſeſe invicem non intelligant vel ob mutuas, eásque perpetuas ſimultates, vel certè quòd nullam colant amicitiam, nec ſui, & rerum ſuarum communicationem facere ſoleant.

Cap. IX. §. 4.

1. Indi insignis benevolentia, & liberalitas. 2. Lacus, ex quo Originem trahit Paraquarius: fertilis ejusdem Insula à Mamalucis destructa 3. Indi se jungunt navigantibus cum spe convertendæ suæ gentis, datis interim pueris, quasi obsidum loco post nostra munuscula.

1\. 18. OCtobris reliquimus ad dextram Lacum Tuquis, & transivimus ostium fluvii Paraiguazù, qui tunc admodum lutulentus, tumens, & rapidus ferebatur. Modico exin intervallo incidimus in naviculam, Indo unico vectore occupatam, qui formosa, ac firma corporis constitutione erat spectabilis ex gente Mbiritiy. Hic citra omnem metũ nostro navigio appropinquavit: nos vicissim omnia, quæ cogitari possunt, benevolentiæ signa monstrabamus. Et quamvìs nec ille nostros, nec nostri illum mutuò loquentem intelligerent, gestibus tamen, & nutibus significabat, pagum suum trium duntaxat dierum itinere inde distare. Post brevem moram illum quidem dimisimus, sed quoniam tantum amoris, & humanitatis in nostris notaverat, ægrè avelli à nobis poterat. Signis igitur nobis innuebat desiderium nostram conscendendi navem. Neque mora fuit, cùm in illam admissus est cum suis armis, & culcitra, seu artificiosè contexta stragula. Indus hoc beneficio lætus nostris Indis Aquaticum porcum sanè magnum, paulò antè captum & cæsum (Capivarà dictum) dono obtulit. Est hæc certa suum species, inter solas undas nasci, & versari solita, quamvìs de cætero porcis terrestribus quàm simillima. Post tres deinde dies cùm videret Indus, nos sursum circa oram fluminis pergere, nobis valedixit, ne nos cogeret subsistere inter Insulas. Appromisit tamen, se propediem rediturum. Nos verò per hunc internuntium Caciquio, & præstantioribus suæ gentis varia munuscula, à Barbaris æstimata, in viam dono dedimus. Et verò promissis stetit Indus, brevì redux. Dum verò flante turbulento vento latum fluvii brachium nititur evincere, in nostrûm omnium conspectu passus est naufragium. Mortem subin vix eluctatus, nostris ingratiis inauspicatò in manus Sayaguanorum delapsus est, ab illis ad suos remissus.

Tandem 31. Octobris famosum Lacum Xarayeru sumus ingressi, 2.
in quem multi navium patientes fluvii sese exonerant. Atque hic Lacus est hydrophylacium, si Geographis credimus, ex quo originem trahit ingens fluvius Paraquarius. Ad introitum hujus laci jacet celebrata Insula Orejoniorum, antiquitus populosa, nunc penitus deserta, & vastata per Mamalucos. Aura hujus Insulæ est salubris, & temperata, licèt sita sit sub 17. ferè gradu altitudinis poli. Longitudine extenditur ad 40. Milliaria, & 10. Latitudine, quamquam alii eam Insulam altero tanto majorem faciant. Tellus hujus Insulæ fertilissima, ut ut alicubi montibus, sed qui arboribus, operi affabrè faciendo valde accommodis abundant, attollatur. Primi Iusulæ inventores nomen paradisi eidem indiderunt. Nobis tamen singulare nihil occurrit ibi præter salubritatem aëris. Hîc nostra industria de novo mirè se torsit, ut inveniremus tam ardenter, quàm operosè quæsitam Crucem. Verùm dedita omni operâ nihil de Cruce compertum est seu in navigatione seu in continente versùs Chiquitorum Reductiones. Equidem P. Josephus de Arce, P. Joannes Baptista de Zea, & P. Franciscus Hervàs à P. Superiore Bartholomæo Ximenez licentiam petierunt, longiùs adverso flumine navigandi, ut adirent Ethnicorum pagos, certius quid hac super re exploraturi, sed repulsam tulerunt. Potiùs, cùm quotidie aqua decresceret, & periculum fieret allidendi naves ad latentia saxa, si porrò pergeretur, reditum maturare statuit Superior, postquam sesquimensem jam insumpseramus frustrà pro aperienda ad Chiquitos via. Incredibilis proin Patrum dolor erat, quòd omnes ipsorum spes in vanum diffluxissent, perdito itineris labore inter tot ærumnas. Ad ultimum Patres Superiori supplices facti rogârunt, sibi ut liceret in hac Insula Orejoniorum remanere, ut tantisper morarentur, donec aquæ novum incrementum caperent. Tentaturos interim se amicitiam cum Barbaris, spondebant, vias accuratiùs indagaturos, & vertente hyeme ad Chiquitorum terras iter facturos. At P. Superior admiratus quidem suorum zelum, veritus tamen, ne ferventiùs, quàm tutiùs esset propositum ob vitæ pericula, & incredibiles itineris molestias, voto Patrum tam ardenti non annuendum duxit. Itaque exire è lacu hoc magno contendimus, id quod factum 12. Novembris, nec sine metu impingendi in reconditas aquis cautes, quo tamen periculo nos DEUS procul habuit. Solus adversus nobis ventus celeriorem reditum sufflaminavit.

3. Prosecuti iter ad centum milliaria vidimus procul tria navigiola cum quatuor Indis. Horum unus Payaguanus, tres reliqui autem Guarani, & quidem singuli veteres Christiani. Isti totis viribus allaborabant se jungere nostris navibus, datis signis colloquii nobiscum avidè habendi. Vix nostro navigio se applicuerant, cùm in illud transilierunt, poscentes, ut illos nobiscum tolerare vellemus, eo etiam eventu, si fortè à suis Caciquiis revocarentur. Condiximus dato insuper nostris Indis mandato, ut hospites hos armata etiam manu contra vim Caciquiorum tutarentur. Verùm & ipsi Caciquii tantum æstimationis de nobis conceperant, ut hos suos subditos ultrò nobis concederent. Quin semet etiam nobis crediderunt, quando duo horum Caciquiorum posita formidine nostram navem conscenderunt, ac perinde quasi forent veteres, & optimi amici, Patri Superiori assidentes, summâ fiduciâ cum eodem ultro citróque sermones contulerunt. Nec optatam hanc occasionem neglexit P. Superior, procurandi scil. horum salutem. Asseverabat, ipsos sub cura nostra quietam, & corporis æquè ac animæ periculis exemptam ducturos vitam: ubi nec à Mamalucis, nec à Guaycureis, in annos propè singulos infestis hostibus, maleficii quid metuerent, defendendi scil. conjunctis viribus omnium Guaranicarum communitatum. Huic tam benevolæ sponsioni ambo Caciquii magno cum solatio acquieverunt, vicissim polliciti, se non tantùm cum suis subditis baptismum admissuros, sed etiam connisuros, ut Guati, & Guacharapi, sibi contermini populi, secum Societate inita novam Reductionem constituerent, & unà viverent. Ad firmandum tam salutare propositum, & majoris securitatis gratiâ nos poposcimus ab illis, aliquos paganos, quos priori anno tanquam mancipia abstraxerant, restitui: quandoquidem in fidei rebus interea probè instructi, interpretum vice Patribus postea servire possent. In mutui condicti pignus illis elargiti sumus aliquot frusta stanni, cultellos, hamos piscarios, & alia id genus munuscula. His ita peractis adduxerunt nobis sex parvulos, quorum duo nati Penoquii, unus Sinemacarus, unus Ereberus, alius Curubinas, postremus Guarayerensis. Hi postea Patris Hieronymi Herràn curæ commissi sunt, ut Christianum in morem educarentur. Absolutis igitur dicto modo mutuis amicitiæ officiis Caciquii discesserunt non sine lætitiæ magnæ indiciis ex spe, quòd brevì sua in regione Missionarios essent visuri. Et verò illis ita abundè est satisfactum, ut vel absentes be-

nevo-

nevolentiam juxta ac beneficentiam ſuam nobis commonſtrare ſtuderent, dum ſuorum aliquos juſſerunt nos non tantùm comitari naviculis ſuis ad 150. milliaria, ſed & piſcibus remunerari. Quod quidem annonæ ſubſidium nobis eò opportunius obvenit, quò arctior noſter penus eſſe cœperat. Certè noſtris æquè ac vectoribus navis eapropter non una moleſtia fuit devoranda. Quippe tam panis bis coctus, quàm frumentum fuerat jam corruptum. Ipſi P. Superiori per quatuor menſes aliud obſonii quotidiani non erat, quàm aliqua ciceràm portio.

Cap. IX. §. 5.

1. Payaguani noſtrorum interfectores ad Fidem Chriſti invitantur. 2. Mutua à nobis & illis munera. 3. Eorum hoſtilitates, & perpetua locorum mutatio ſunt impedimento, quò minùs convertantur. 4. Duplex navigantium periculum Ope Mariana depulſum.

SEd ut in viam redeamus, interim ad ea litora perveneramus, quæ 1.
incoluntur ab illis Payaguanis, à quibus diximus noſtrum Anicetum cum ſociis fuiſſe mactatos. Nos horum mortem Chriſtianè vindicaturi, id agebamus, ut in veram Filiorum Dei libertatem illos transferremus operâ aliorum, nobis addictorum ex Payaguanis. Hos igitur ablegatos dicere juſſimus, nos nupera homicidia illis ex animo condonare, quoniam perſuaſi eſſemus, eos non tam ex propria malitia, quàm ex hoſtium inſtigatione ſcelus patrâſſe: ſeſe proin noſtris viæ Sociis adjungerent, unam Reductionem aucturi: ſecus fore, ut ab Indis noſtris, quibus ea via frequentiùs eſt carpenda, pejorem in modum viſitarentur: denique nobis redderent abſtractos nuper Hiſpanos. Hanc denuntiationem nôrant internuntii noſtri tanta dexteritate urgere, ut barbari poſt breve tempus nobis ad navigarent, & Joannem Garziam, nuper captum reſtituerent. Excusârunt deinde ſe de crudeli noſtrorum cæde, ſed hæc omnia non ſine novo dolo & mendacio: cùm compertum ſubinde ſit in urbe Aſſumptionis, tres inſuper captivos deſiderari, ab illis retentos. Ad quæſtionem ergo ducti, reſponderunt, non niſi unum à ſe captum fuiſſe.

2. Renovatâ in hunc modum amicitiâ quàm plurimi in navibus plus viginti (Canoas dicunt) nobis junxerunt, quin alius post alium insilierunt frequentes in nostrum navigium, minuta munuscula accepturi. Postridie eorum Caciquii, ambo dicti Jacayrà, nos convenerunt cum ingenti frugum copia, quibus nos donatos voluêre. Significârunt postmodum, se magno desiderio teneri Reductionis, & Christianæ Fidei amplexandæ. Denique cùm animadverterent, nobis ipsorum navigia (Canoæ) summopere placere ex artificio planè visendo, omnium elegantissimum dono reliquerunt. Atque in hoc statu negotium convertendi illos in medio reliquimus, spe interim exigua, quòd eorum fraudulentia, & mentis instabilitas nihil certi promittat.

3. Hodie divisi sunt isti in duas partes, quorum aliqui versùs spatiosum Lacum Xarayensem ad ducenta milliaria ultrò citróque grassantur: alterius partis barbari eodem grassationis genere usque ad Assumptionis urbem omnia infestant, expilatis passim Colonis, & in captivitatem insuper abductis. Quo maleficio, præsertim si Guaycurani Socii accedant, Hispani non vulgaria patiuntur damna, id quod mirum videtur, fieri nimirum posse has hostilitates à gente non admodum numerosa. Nam inter Payaguanos vix quadringentos invenire est, armis tractandis idoneos, cùm potior eorum pars quà continuis Mamalucorum incursibus, quà frequentibus Guaycureorum hostilitatibus, insuper habita cum ipsis sancita pace, aliò distrahatur. Alterum, nec modicum impedimentum esse potest, quò minùs ad fidei lucem pertingant, perpetua habitationis mutatio, cùm nullo loco diutiùs consistere assueti, nunc hîc, nunc alibi morantur. Huc trahit ipsa vivendi ratio, quæ venatione tantùm, & piscatu absolvitur. Æquiparantur ergo hac parte Guaycureis, Chavucanis, Jarosiis & Pampaniis, qui perinde ac isti nuspiam stabilem sedem figunt. Idem proin timendum, ne cum hoc populo fiat, quod de Jarosiis satis superque experientia docuit; hi enim altera jam vice postulatis Missionariis, se junxerant uni Reductioni, sed & altera vice hunc communem vivendi ordinem pertæsi diffluxerunt non alia de causa, quàm quòd grave nimis caderet in uno loco perseverare. Nec aliud remedium videtur facere ad convertendos Payaguanos, nisi si conjungantur populis Guatis, & Guaciarapis, quod sanè multo labore, sudore, quin & sanguine staret, donec perficeretur. Equidem ad hanc

aleam

aleam tentandam se obtulerant duo Apostolici Viri P. Jos. de Arce, & P. Joan. Bapt. de Zea, at verò P. Superior non poterat illud probare, nec induci, ut tam facilè viros hos lanienæ barbarorum exponeret.

Prosecuti ergo iter nostrum, duplex nec leve periculum subivimus, quod altero Decembris die nostris navigiis incubuit. Unum quidem erat, dum in brevia incurrens altùm se mersit navis, ut vix expediri potuerit omni molimine. Refugium nostrum eo in articulo erat Cœlitum Regina, tam benefica, quàm potens, ut indemnem nobis navem servaret, nostra opinione multis partibus lacerandam. Sed alterum discrimen, eodem die nos involvens, multò gravius fuit ab exorto ventorum turbine, qui navigium in latentem scopulum primò impegit, dein ab uno ad alterum saxum nos agens, denique in litus conjecit. Certò credideramus, tam nos, quàm navim esse perditam. Verùm Mater misericordiæ iterum suo subsidio non defuit, ut unà nobiscum salva staret navis. 4.

Cap. IX. §. 6.

1. Mors unius è Sociis itineris, & honor illi habitus. 2. Finis itineris, in quo præter mortuos sedecim Indos ceteri morbis tentati.

Post superata tam feliciter pericula nos angebat cura servandi P. Joannem Bapt. Neuman, gravi ex morbo decumbentem. Itaque P. Superior 4. Januarii tres pontones præmisit, quibus in urbem Assumptionis festinatò transportaretur æger. Tertiò pòst die & nos eundem portum prosperè intravimus, ubi, dum excensionem facimus, Gubernator loci, & Nobilitas cum affluxu ingentis populi non modò nos excepit, sed etiam tantum honorem nequicquam deprecantes nos comitati, ad Collegium deduxerunt. Ibi mox novo & tragico iterum casu de obitu P. Neuman perculsi sumus, qui sub ipsum Collegii ingressum iter ad cœlestem adiit Jerusalem, absumptis priore terrestri itinere omnibus viribus. Id quod nemo miretur, cùm per multas hebdomadas in quotidianum cibum non plus, quàm pugillus corrupti tritici illi suppeteret. Exequias defuncti suâ præsentiâ exornârunt tam Ecclesiasticus, quàm politicus Senatus, omnes item Sacrorum Ordinum Personæ. Addebant, se id honoris 1.

tanquam Martyri exhibere, quippe qui ex susceptis pro gloria divina, & animarum salute laboribus mortem obiisset. Postremùm 9. Januarii naves nostras repetivimus, ad quartum Februarii tandem ad nostros Guaranios reducti, postquam novem omnino menses laborioso itineri consecraveramus.

2. In via quidem nobis perierunt sedecim Indi, quâ victûs penuriâ, quà grassante inter omnes nos alvi profluvio consumpti. Quin si longiorem fecissemus moram, certò futurum erat, ut duo insuper ex Patribus de vita decederent, cum incredibili jactura eorum populorum, quibus convertendis postea destinati sunt. Hucusque loquitur dictum itinerarium.

Cap. IX. §. 7.

1. Novum iter per undas & terras explorandi causa, sed sinistro exitu. 2. Morbi nostrorum Patrum, & mors Fratris cum vitæ compendio.

1. Pater Provincialis intellecto tam sinistro inquisitæ viæ exitu ad alia mox consilia animum intendit. Sequente igitur anno, cùm Collegium Tarixæ visitaret, P. Joanni Patritio Fernandez in mandatis dedit, ut in flumine, quod tum temporis falsò credebatur esse Paraquarius, aliquot navigia (Canoas) fabricari curaret. His subin imponeret P. Michaëlem de Yegros cum fratre Henrico Adamo, & ad urbem Assumptionis dimitteret, comitantibus aliquot non minùs viæ, quàm rei nauticæ peritis Xarayis. Ipse P. Fernandez sine mora cum duobus è nostris, & centum Indis ex Colonia S. Raphaëlis profectus est, exploraturus, num tandem fluvius, ad quem Pater Hervàs cruces erexerat, ipse Paraquarius esset, nec ne. At post triduum itineris illico compertum est, neque Paraquarium esse nec alium eidem influentem, sed duntaxat exundationem magni lacûs, qui tempore pluvio in circumjectas valles diffunditur. Attamen, cùm ad locum depactis crucibus notatum pervenisset, ibidem versùs meridiem & ortum conspexit juga montium, post quorum declivia ipsi credibile videbatur cursum suum tenere quæsitum flumen. Statuit itaque eò iter tendere, quod intercurrentibus passim montibus, qui superandi erant, perarduum accidit. Iter prosequenti aliquot occurrerunt

rerunt à Mamalucis destructi pagi Guarayiorum: multiplices item lacus, quorum maximum diligentiùs visendum duxit, experturus, num fortè Paraquario committeretur. Sed, & hìc labor in vanum fuit. Interim dum dimidium Decembris jam præteriisset, minabatur haud obscurè cœlum consueta iis terris pluviarum continuarum tempora. Verùm his insuper habitis octo insuper dies impendendos censuit, suffecturos ad consequendum suum finem, maximè cùm adultiores Indi Comites adstipularentur. Hi enim ex objacentibus haud procul montibus se reminisci dicebant, quòd in juventute sua cum popularibus præteriissent ibi, fervente bello cum Guarayis, ad Paraquarium habitantibus. Itaque profectio porrò est continuata, in cujus initio statim tres solidi dies ad exscindendas sylvæ densissimæ vias sunt insumpti. Interea aquæ penuria ipsos coëgit exprimere radicum succos. Post hæc in progressu detexerunt spaciosissimum lacum, eminus visum. Circumdatur ille montibus, qui aquarum exitum versùs Orientalem tantùm plagam concedunt. Ad occasum prætexitur opacissima sylva. De hoc igitur lacu ab Indis suis exquirebat P. Fernandez, utrum exoneraretur in Paraquarium. Sed nihil certi habebant, quod reponerent. Erat tamen unus ex Pennoquiis, qui paulò antè Mamalucorum manibus elapsus, majorem rei notitiam præseferebat. Ajebant enim, hunc ipsissimum lacum esse, per quem Mamaluci in has terras hostiliter penetrâssent: naves autem suas in arenis hærentes reliquisse versùs Orientem, ut inde digressi, terrestri itinere, populum Taus dictum indagarent. Hoc intellecto P. Fernandez, confestim fabrefieri quidem jussit naves (Canoas) sed necessariæ materiæ defectu actum est nihil. Præsente ergo jam hyeme, reditus à Patre parandus fuit, & meliora tempora exspectanda. Residuo dein penu inter suos distributo, aliquos eorum amandavit, dictas arenas seu brevia, & viam Mamalucorum cogerituros. Isti autem confecto bidui itinere in Guarayorum viculum, 60. tantùm incolarum, inciderunt, quos omnes in Reductionem S. Joannis volentes abduxerunt, ubi ipso Sabbato sancto Majoris hebdomadæ salvi, & incolumes convenerunt.

Non tam prosperum fuit iter Patri Fernandez cum suis, quando à solita imbrium tempestate deprehensi post viginti quinque primùm 2.
diés Coloniam S. Raphaëlis tenuerunt. Nec leves fuerunt illis viarum molestiæ, dum nudis plerúmque pedibus incedere, & quidem com-

pluti

pluri constanter cogebantur. Sortis dein singularis erat, si quando elevatius, quamvis paludosum solum reperiebant scil. pernoctaturi, exigua cum requie ob infinitam multitudinem culicum, & vesparum. Hæ profectò molestiæ Patribus graves morbos, Fratri Henrico Adamo etiam mortem creârunt 27. Julii Anno 1705. piè in Domino defuncto. Erat huic optimo Fratri Romæ in Domo Professorum valetudinarii cura commissa, quando P. Ignatius de Frias pro Paraquariæ Provincia novum Operariorum supplementum adlegit, inter quos etiam hic Frater Henricus numerabatur. Aliquanto dein tempore Guairanicis Missionibus inservivit huc delatus, & postea ad curam ægrorum Cordubam avocatus. Ad ultimum impetrata Chiquitensi Missione, Indorum salutem non modica industria promovit, donec eorundem emolumentis vitam ipsam consecraret.

Cap. IX. §. 8.

1. Guarayi Indi à Christianis ad fidem adducti. 2. Lacus Mamorè detectus, ubi portus Mamalucorum fuerat. 3. Periculum Patrum. 4. Payaquani læsi pacem frangunt.

1. Ex illis Guarayis, qui, ut suprà diximus, in Reductionem S. Joannis ultronei sunt transvecti, erant aliqui Castellanam linguam callentes. Cum his conferens P. Fernandez requisivit de Lacu, ad quem Mamaluci naves ex more appellerent. Fuerunt ex his, qui se offerrent ad monstrandum locum. Eum in finem aliquot Indis missis negotium datum est, ut viam per sylvam gentis Taus aperirent. Hi igitur cùm ad pedem montis veteri S. Cruci adjacentem Taus pagum attigissent, propositum suum insinuârunt, quod tamen incolæ nullo modo probârunt, causati lubricitatem viarum, equis progredientibus sanè periculosam. Breviorem tamen, eámque commodiorem viam monstrârunt, licèt per continuam sylvam ducat, multis rivis, & aliquando fœcundis pratis disparatam. Hos viæ ductores præmissos insecutus est mense Augusto P. Fernandez cum P. Joanne Bapt. Xandra, & duobus Guarayis. In horum comitatu cùm terras Guarayensium intrâsset, aliquos ibi Christianos reperit, ex Re-

ductione

ductione S. Josephi illuc profectos, ut illos Ethnicos sub vexillum Christi colligerent. Et verò id consilii auspicatò cecidit, omnibus ejus terræ incolis desertâ patriâ in nostras colonias traductis. Hîc locorum Patres dies tres morati sunt, operientes præmissorum reditum Neophytorum.

Tandem resumpto itinere cum maxima molestia iterum opus habuerunt, ut complanarent semitas per spissam sylvam, donec in vastam, & peramœnam planitiem evaderent, in qua ipse modò quæsitus Lacus Mamorè jacebat. Ad hujus ripam, cui Mamaluci naves applicare solent, cùm pervenissent, P. Superior ibidem quinque prælongas catenas invenit, quas crudeles plagiarii sub sabulo reconditerant. Hæc ripa est longus terræ tractus, largè excurrens in medium lacûs, ita ut hunc in duas quasi partes discriminet: una quidem ad Boream, altera ad austrum extenditur. Hunc lacum in Paraquarium defluere certum videtur tum ab experientia Patris Fernandez, tum aliorum, quos audivit. Ad iter igitur promovendum Indi jussi sunt ligni subsidia conquirere pro conficiendo navigio, (Canoa); Nec defuit longè arbor proposito huic apta, ex qua navis in brevi fuit fabrefacta. At hac vix Chiquiti primò usuri, Lacui se commiserunt, cùm subversa est cum vectoribus, morti natando ægrè ereptis. Cùm ergo crederet P. Fernandez in altera stagni parte non tam tempestuosum fore ventum, transferri voluit navem in hoc alterum latus. Verùm Indis altera periclitatio non allubuit, maximè quando formidandam aquarum profunditatem tentârunt, excusantes, has undas non esse ad suum stomachum. Alius proinde locus in lacu quæsitus est, spe persuadendi Indis, ut auderent navigare. Sed frustrà fuit, Indis nullo pacto obsequentibus. Res ergo jam eò deducta ultrà promoveri non potuit ad desideratum finem. 2.

Verùm enimverò id ipsum infortunii non sine singulari Dei Providentia accidisse, postmodum patuit. Quòdsi enim PP. Missionarii flumen trajecissent, Payaguanorum certè, quos novus agitabat furor, in manus incurrissent. Hi enim à sancitæ nuper pacis proposito paulò antè desciverant, id quod in hunc modum contigit. Inprimis selectiores illi Payaguani, quos memorati quinque Patres secum adduxerant, in urbe Assumptionis, haud æquis sanè oculis respiciebantur ex suspicione, illos solùm venisse exploratum quà urbis, quà regionis situm, ut postea utramque faciliùs obruerent. Nihilominus 3.

nus causâ nostrorum Missionariorum à D. Gubernatore multam benevolentiam experti, etiam munera non vulgaria acceperunt, cum quibus in suas terras remissi sunt.

4. Sed non diu fuit, cùm aliqui Hispanorum (nescio quo consilio) adverso flumine excurrerent, & conspecto huic Payaguanorum globo confestim imminerent, aliquos explosis fistulis sternerent, reliquos in fugam agerent. Fracta igitur pax est cum incredibili Christiani nominis ignominia, & jactura, cui nomini posthac hi populi non tam facili negotio subscribent, nullâ utpote fiduciâ residuâ in nos, vel Hispanos. Quapropter P. Provincialis eò permotus est, ut suis interdiceret viam à Chiquitis ad Guaranios, si quando hæc inveniretur, ducens per horum barbarorum terras. Ex illo tempore isti barbari usque adeò eâ injuriâ exacerbati, & irritati fuerunt, ut nullo non tempore occasioni vindictæ inhiarent. Et verò præstiterunt id hactenus satis superque, tanto consecuto detrimento, quod Hispanis exinde non mediocriter doluit, dolebítque in posterum.

CAPUT X.

Reductiones aliquæ mutantur. Neophytos infortunium involvit.

§. I.

1. Quatuor Coloniæ sedem mutant cum augmento accedentium Barbarorum. 2. Brevior via ad Chiquitos iterum, sed frustrà desideratur. 3. Chiriquani nostris conspectis veluti Mamalucis aufugiunt. 4. Periculum à fraudulentis Barbaris declinatur.

1. CUm P. Superior, ut diximus, remoram passus sit, non poterat tam festinatò negotium executioni dare, quod à P. Josepho Paulo de Castaneda Visitatore injunctum erat. Jussus erat, inquirere situm salubriorem transferendis Colo-

Coloniis. Urgebant hanc transmigrationem haud parùm invalescentes morbi, & maligna lues. Circumspiciens igitur Sanioris auræ locum, & simul idoneum ad reducendos in viam salutis adjacentes populos, approbantibus vel ipsis Neophytis, qui ex pago S. Raphaëlis in novum transferendi erant, elegit amœnam planitiem haud procul à monte, quò proin novam Coloniam deduxit, cum ingenti etiam Barbarorum fructu. Hi enim eòdem commigrantes, sibi quoque cum Christianis sedem elegerunt. Porrò pagus S. Joannis Bapt. alium etiam locum accepit in Zapoco, qui locus aquis quidem non abundat, cæterà autem admodum commodus est. Huc quoque Barbari cum nostris sese contulerunt, ibidem convicturi. Jam verò vicus S. Josephi, cùm designata alia statio pro habitatione Indis non accideret, à vetere S. Cruce dictum, sedem transtulit. Quanto autem emolumento hæ mutationes factæ sint, posteriora docuerunt tempora. Quippe Neophyti deinceps felicem sanè vitam ibi locorum vixerunt, & unà ostium apertum est Ethnicis populis ex regione Chaco advocandis in S. Fidei Societatem. Reductio S. Francisci Xaverii tribus milliaribus à priori area remotior facta ad austrum consedit, ita cum tempore aucta, ut superfluos in alias dispertire communitates opus fuerit. Defixis his novis sedibus noluit P. Superior instantem tuguriorum fabricam inchoari, nisi priùs sementis facta esset, & futuræ annonæ provisum. At Indi nostri ad opus in agro faciendum adduci non poterant, consternati adhuc mortis, & luis imagine, quæ priorem habitationem infestaverat. Itaque Patres populo cedendum rati, jam in eo erant, ut suos Neophytos sequerentur, quando hos solos P. Superior in Communitate S. Josephi offendit.

Quare P. Superior inde discessit in villam Taryanam, acturus negotium rei Christianæ cum novo Provinciæ Præside P. Blasio de Sylva 16. Sept. 1706. promulgato. In socios viæ assumpsit aliquos fluminis Paraquarii peritos Guarayos. Ibi in cognitionem venit alicujus portûs in flumine Paraquario. Missis ergo exploratum Indis sperabat proniorem viam Missionariis ad Chiquitos. Secus sentiebat P. Provincialis, arbitratus, hoc consilinm eò vergere, ut Viri Apostolici, altero labore Evangelico distenti, periculo exponerentur. Missionarios quidem apud Chiquitos primos fuisse, ajebat, qui illuc viam aperuissent, nolle tamen alios in tantum discrimen dubia spe conjici. P. Fernandez refragari non ausus, solabatur se spe opportunioris tem- 2.

P 2 poris,

poris, quo vota sua consequeretur. Decembri interim excurrente propemodum, & viis ingruente stata pluviâ impeditis, substitit per id tempus Taryæ, confirmatus in Superioris officio. Insequente anno 1707. rediit ad Missiones suas cum duobus Sociis, P. Paulo Restivo, siculo (qui diu apud Guaranos desudaverat) & cum P. Joanne Bapt. Zea. Hic quidem ultimus illuc ibat visitaturus nomine Provincialis colonias, & unà novam viam aperturus. In mandatis proin dedit P. Philippo Suarez, ut viam à pago S. Josephi secundùm litora fluminis, à S. Michaële dicti, commodam & planam faceret. Hoc enim viæ compendio plurium dierum itinera cavebantur, & duplex isque valde periculosus transitus fluminis Guapay declinabatur. Usi erant olim hac ipsa viâ Chiriguani, cùm Indos Penaquisios infestare tentarent, sed suo malo. Circumventi enim à Penaquisiis pertectas insidias ausa sua malè luerunt, tandem in turpem fugam conjecti.

3. Itaque P. Suarez statim mense Majo accinxit se operi, ex voluntate Patris Zea, quamvìs ad vicos Chiriguanorum non perduxerit, deficiente operarum victu. Deduxit tamen opus usque in conspectum montium, qui inhabitantur à Chiriguanis. Illuc ergo cum aliquot Indis processit, detecturus aliqua Chiriqnanorum tuguria. Vix autem passus aliquot fecerat, cùm sibi obvium videt unum Chiriquanorum, aspectu P. Philippi summopere perterritum, ut effuso, continuóque cursu in suum vicum retrocederet, cum nuntio, Mamalucos imminere. Confestim ergo in arma ruunt, retrò dilapsi. At Pater à suis Christianis desertus, cùm viæ ducem porrò non haberet, ad pagum S. Josephi est regressus.

4. Cæterùm sub finem Septembris P. Fernandez abiit in terras Chiquitorum. Cùm autem ad Chiriguanos, quos Palmares vocant, devenerat, certis Authoribus comperit viam, à Chiquitis inventam, à P. Zea dudum quæsitam præ vetere, & longinqua via. Brevior adeò sperabatur hæc semita nova versùs ortum usque ad flumen Parapitì, ubi vicus Chiriguanorum dictus Charaguà, quem memoratus pertransit fluvius. Egit ergo P. Fernandez cum duobus Caciquiis, uti viam sibi monstrarent eò usque, quò aliàs P. Suarez erat delatus. Et verò condixêre Indi in vestigio, eò quòd Pater futuri laboris mercedem in antecessum præsentârat. Pridie tamen adeundi itineris, quando benè poti erant ex certo liquore, qui vini loco illis servit, satis prodiderunt, quid animo volverent, nempe clancularIæ proditionis

nis ſtropham. Anſam huic dedêre eorum conſanguinei, ægrè ferentes, quòd ſuam operam condixiſſent Patri. Jámque præ ira corripuerant arma, impedituri, ne via Patribus detegeretur, per quam Mamaluci olim populatum venerant, & ſuos in ſervitutem abſtraxerant. Satiùs proinde fore, ajebant, ut trucidarentur Patres, vel certè abducerentur eò, ubi certa tigridum præda fierent. Contrà Caciquii nihil eo timore moti, ſed promiſſis ſuis ſtaturi attendebant magìs ſperatum inſuper lucrum, quàm metuendum periculum. Poſtridie igitur ſe maturè ſiſtunt ad Patrum obſequia, deducturi usque ad fluvium Parapitì. Ingreſſi igitur viam, ita feliciter continuârunt, ut tantùm horâ, aut ſesqui hora diſtarent à loco, ad quem penetrârat quondam P. Suarez. Hîc duo duces in hæc verba proruperunt: *Commiſeratione erga vos tangimur, eò quòd Indi Tuquìs, hunc tractum infeſtantes, vos in deprædationem, & necem deſignârint.* Tuquiſii autem vocantur populi alterius Regionis. Simulavit P. Viſitator perinde, ac ſi non percepiſſet dicta verba, & in itinere porrò perrexit. Conſultavit tamen cum ſuis, cùm non levis eſſet ſuſpicio de Chiriguanorum proditione, nomine Tuquiſiorum graſſatorum colorata. Eo rerum articulo, cùm & equi laſſati jam languerent, ſtatuerunt celerem maturare reditum, & ſanguinariis barbaris ſeſe ſubducere. Neque in ſuſpicione ſua decepti ſunt, quando ſub reditum multos barbaros offenderunt. Hi interrogati, quo pergerent, ſe piſcatum ire ad fluvium Parapitì, repoſuerunt. At piſces, quos quærebant, ſunt feliciter elapſi. Hujus tamen itineris moleſtiæ non caruerunt omni fructu, & lucro duarum ſaltem animarum. In pago enim Charaquà reperêre duos infantes, jamjam agentes animam. Rogati noſtri ut mederentur, ſacro fonte ambos abluerunt, & ad cœli gaudia transmisêre, quæ cæci eorum parentes usque adeò fugiunt. Perſuaſi itaque Viri Apoſtolici hoc animarum lucro omnes viæ moleſtias eſſe compenſatas, læti in regionem Chiquitorum medio Decembris iter repetiêrunt, & ad Communitatem S. Franciſci Xaverii declinârunt.

Regio enim cætera pluviis eo ſtato tempore aquis erat ſepulta.

Cap. X. §. 2.

1. Christiani sunt plagiarii non ad barbarorum servitutem, sed ad libertatem filiorum DEI. 2. Inermes enim hi plagiarii se sinunt trucidari potiùs. 3. Saruius Indus cœlitus post ultima Sacramenta sanatur. 4. Auctores cædis cæduntur à Christianis.

1. ET P. Visitator quidem in translatis Coloniis admodum paucos incolas reperit, quoniam structura tuguriorum perdifficilis accidit. Aberant alii collecturi ad victum fruges terræ: alii exploratum ierant conterminas terras, cùm inveteratus Indis mos sit, bella gerere cum vicinis populis, & in mancipia abstrahere. Nostri tamen Christiani non alium in finem sunt plagiarii, nisi pro majore Dei gloria, & salute animarum. Citra omnem enim injuriam, captis illatam, eosdem cognitione veri Dei, & cœlestium imbuunt: finem, ob quem creati sunt in mundo, proponunt: necessitatem Legis Christianæ ad consequendam felicitatem æternam inculcant. Fit hoc etiam alia ex causa, ut nimirum ex his ita instructis & benevolentia captis formentur interpretes ad usum Missionariorum. Certè Christiani nostri cum cura peragunt, quæ de jure hujusmodi bellorum sunt, nec latum unguem discedunt à sancta lege. Necesse proin est, ut ipsis explicetur, quid factu opus, si hostilem aggressionem paterentur. Scilicet ne iterum fieret, quod factum cum Indis ex reductione S. Josephi.

2. Isti enim salifodinam investigaturi, ad barbarorum vicum erant perlati, sed inermes, solam effigiem Divinæ Matris sublimè præferentes. Verba insuper blanda, & omni humanitate plena adhibebant ad mitigandam indigenarum barbariem. At hi tigridum more obvii, in arena omnes crudeliter sustulerunt advenas, uno unico Indo cum duobus pueris fugâ elapso. Similem in modum evenit magno Christianorum numero ex Reductione S. Joannis Bapt. Penetrârunt hi ad 80. & ampliùs milliaria in hostiles terras, undique profundis fossarum aquis circumdatas, quo ipso loco Barbari consederant. Intrantibus nostris vicum duo tantùm ex incolis obvii procesſêre, expeditis armis minantes. Reliqui enim ruri opus faciebant. Cùm verò

Chri-

Christianos propiùs accedere cernerent, unus de duobus sagittam emisit versùs statuam Virginis Matris. Nostri hoc facto nihil moti, solùm rogabant, ut arma seponerent. Potuit sanè hæc tanta mansuetudo miraculo æquiparari vel in viris, solida virtute firmatis, nedum in Neophytis, nuper Barbaris, in quorum corde magìs olim regnabat vindictæ cupiditas, quàm ipsa anima. Fœminæ interim laborantibus in agro hoc nuntium tulerunt, qui illico ad pagum properârunt, advenas mactaturi. Conspicati autem eorum majorem numerum, & jam aliàs suo damno experti, quanta fortitudine Chiquiti præstarent, simulatâ amicitiâ invitatos mensæ adhibuerunt, id quod magìs nutibus, quàm verbis innuebant, cùm linguæ utriúsque populi essent diversæ. Paulò pòst adest Caciquius, sevocans aliquos suorum, quibus mandat, nostrorum ut arma seposita colligerent. In malum omen Chiquiti hoc acceperunt. Dux ergo eorum (qui ut quondam ante fidei veræ agnitionem par tigridi erat efferatæ, ita modò fidei zelo maximo accendebatur) imperterritus jubet, ut arma sua, & suorum intacta relinquerentur, simul satagens mansuetis verbis barbara corda Christo conciliare. At nihil egit. Nam barbari simul ac exarmatos videre Christianos, mox illos aggressi, ad unum omnes exceptis paucis, qui fossarum aquis se commiserunt, occiderunt. Quamquam & ipsi profugi non evaserunt absque vulnere, & diu post cicatrices, sui zeli testes, circumtulerunt, ad novum stimulum profundendi omnem sanguinem pro Christo.

Unus ex his graviter saucius sensit acumine jaculi sua viscera fuisse 3. læsa, qui proin alienis manibus in suam domum reportatus est. Diu ibi lecto decumbens, ita defecit, ut exhaustis penitus viribus omnem sanitatis spem amitteret. Visitans ergo Pater noster, ut æternitati ægrum compararet, inter alia dicebat, vellet ex animo ignoscere suis hostibus: felicem se reputaret, si oppignoratâ, datâque vitâ suâ aliquorum Barbarorum animas ad veræ fidei gratiam adducere mereretur: exemplo scil. sui Servatoris, qui hostes suos æterno Patri pro veniâ commendans, illatas injurias infinito amore vindicâsset. Audiens hæc æger summo cum solatio, etiam lacrymis testatus est, se omnino ignoscere suis inimicis: quin Deo obtulit suam vitam in salutem suorum hostium sempiternam. His præmissis ultimo SS. Mysteriorum subsidio instructus, exspectabat abitum in domum felicis æternitatis. Postero die quærebat Pater ex infirmi Curatore, quî se haberet

æger

æger depositus ? Responsum erat, periculum ægri desiisse, atque adeò omne malum post susceptum æternitatis Viaticum. At Pater fidem narranti non antè habuit, quàm suismet oculis in rem veniret. Quæsivit igitur ex consanato Indo, qua ratione salus obtigerit ? Ille, *Dominus JESUS*, inquit, *cujus sacrosancto Corpore me herì pavisti, hic me sanavit, evanescente sub hanc noctem omni infirmitate.* Hujus miri eventûs occasione ductus Pater, universo populo stimulos addidit, ut in suscepto semel virtutis calle strenui pergerent, & in Divino amore magìs magisque proficere studerent: quandoquidem optimus DEUS hoc prodigio sat manifestum fuisset, quàm gratus sibi accideret zelus Neophytorum.

4. Verùm hæc barbarorum crudelitas non impunis fuit. Pinochi enim Christiani, dum venatum animas exierant, improvisò incurrerunt in hos Barbaros. Dignoscebant haud operosè Pinochi, hos ipsos esse, cædis Auctores, Christianis nuper ex Colonia S. Joannis Bapt. illatæ. Sacra enim Rosaria & Cruces, cæsis Christianis ablatas, & ab his ipsis cimelii instar æstimatas, collo suo gestabant Barbari. Neque verò vim isti passi fuissent, nisi stimulante ultricis conscientiæ impetu arma ipsi homicidæ priores corripuissent. Hoc animadverso Pinochi Christiani & ipsi ad arma convolârunt, quàm plurimis eorum cæsis, etiam ipso ductore Caciquio, & Auctore interfectorum nuper Christianorum.

CAP. X. §. 3.

1. Christiani multas Barbarorum familias adducunt ad Fidem. 2. Cæsorum pro Christo corpora requiruntur. 3. Duæ recentes Coloniæ locatæ.

1. FOrtunatiores erant alii ex eadem Colonia S. Joannis Bapt. qui ad colligendos Barbaros egressi, quinquaginta familias illorum ad fidem Christi suscipiendam permoverunt, secúmque cum gaudio in suam communitatem deduxerunt. P. Visitator intellectâ illâ Indorum occisione ex pago S. Josephi, jussit centum armatos ex hoc gente ire ad locum factæ cædis, non ulciscendi gratiâ, sed auferendi inde corpora pro Christiana sepultura. Verba proin pacifica barbaros ferrent: adventûs causam docerent: securos illos redderent amoris &

ami-

amicitiæ nostræ etiam post tanta patratæ crudelitatis exempla: interim arma sua Christiani è manibus nequaquam dimitterent.

Nostri confestim expediti abiêre, non retardante viarum labore, & aquæ penuria. Quippe solo ferè cœlesti rore, ex arborum foliis collecto, sitim restinguebant, donec ad fatalem truculentiæ barbaræ aream pertingerent. Ibi præter occisorum fratrum cadavera neminem unum invenerunt. Nam homicidæ metu profugerant in abditas sylvas, animus quidem erat Christianis insequendi Barbaros, sed nullâ viâ repertâ alteri occasioni suum propositum reservârunt. Corporibus ergo Cæsorum in humeros sublatis ad suam Communitatem reverterunt. 2.

Hîc eorum adventus novo, eóque communi gaudio exhilaratus est, audita accessione duarum recentium Reductionum. Illarum unà nomen à S. Ignatio de Boocas, altera ab intemerata Conceptione B. Virginis est adepta. Collectæ autem sunt in illas diversarum linguarum populi, quos Apostolicus P. Lucas Cavallero ad veram Religionem traduxerat. Primum Superiorem hæ Coloniæ acceperunt P. Josephum de la Matta, Socium olim P. Lucæ. Et verò summa cum ædificatione aliorum suo officio fecit satis, indefessus in aspero, & spinoso adhuc agro subigendo. At enim Vir Apostolici prorsus zeli, omnem exosus quietem, ubi primùm adierat commissam sibi novam Coloniam, mox operam suam protendit, ut novas gentes, Arupores, & Tubacìs dictas sibi conciliaret. Hoc consecuturus currebat vel iniquissima tempestate per invios tractus: superabat profundas undas: tranabat lutulentas aquarum fossas, & non absque multo sudore adibat non pauca pericula. Inde contractis malignis humoribus horrendi ulceris tumorem sibi adscivit cum vitæ periculo. Mutatio tamen auræ valetudinem reparavit, postquam ad Communitatem S. Raphaëlis se transtulit, ubi par campus ejusdem zelo obtigit. Itaque mox ad animarum venationem redux, multam prædam fecit, & Christo per salutis fontem consecravit. Videbatur adeò certare cum P. Luca in augendo animarum proventu, & suismet meritis apud Deum. Meum proinde erit raras utriusque virtutes depingere. Et de P. Josepho quidem dicendi occasio alibi se offeret: nunc autem memorabilia de P. Luca describenda duxi, claudámque cum piissima ejusdem morte, quam Anno 1711. Fidei causâ obiit violentam. 3.

CAPUT XI.

Nativitas, ingressus in Societatem Jesu, & primus fervor, dein labores Venerab. P. Lucæ Cavallero, tandem Martyris.

§. I.

1. Patria Patris Cavallero, conditio parentum: pia educatio: pudor virgineus. 2. Litterarum studia. Recipitur in Societatem JESU. Indias affectat, & obtinet.

1. Villamear veteris Castiliæ locus est, qui nostrum P. Lucam in lucem dedit. Parentum conditio fuit admodum honorata, & id loci conspicua, atque etiam opulenta. Primos pueritiæ suæ annos transegit apud genitoris sui fratrem, optimæ vitæ Sacerdotem, à quo in omni morum honestate sedulò fuit educatus. Nihil eorum in tenello Luca deprehendisses, quibus alioqui rudis, & levicula pueritia capi solet. Delicias illi faciebat solum virtutisstudium, præcipuè virginei pudoris, ut vel umbram vitii cum nausea horreret, si quid minùs pudicum in oculos vel aures incurreret. Mortuo subin pio hoc Presbytero Lucas apud alium ex consanguineis habitare cœpit, qui item Sacerdos erat, sed moribus à priore instructore prorsus diversis. Nihilo tamen minùs tam bene moratus Adolescentulus tenerum innocentiæ florem illibatum cùm hìc, tum alibi in posterum tutatus est, pejoribus sui cognati exemplis nihil infectus.

2. Politiores literas in nostro Vallisoletano Collegio didicit, nostrorum consuetudine ita delectatus, ut ineundæ Societatis gratiam instanter appeteret. Exauditus brevì Villagarciam missus est ad primæ probationis annos. Ibi conceptas de se spes affatim explevit, dum inno-

innocenti fervori ſuo velificans, omne gaudium, & ſolatium in ſolo DEO quærebat. Sub idem tempus vixdum inaudierat, P. Chriſtophorum de Gryalva, hujus Paraquaricæ Provinciæ Procuratorem, in Hiſpaniam adveniſſe, Evangelicos Operarios in vineam Domini collecturum, cùm ſubitò exarſit vehementibus deſideriis ſe ſociandi tam beatæ catervæ. Eo fine varia pietatis opera ſibi propoſuit, ut cœlum in vota ſua traheret, quò & ipſe eligeretur ad propagandam in novo Orbe DEI gloriam, & tot millibus cæcarum gentium inferendam Chriſtianæ fidei lucem. Quocirca ſe obtulit ad quasvis moleſtias, & labores, ad omnia etiam ipſius vitæ pericula, ſi modò vergerent ad DEI gloriam, & animarum ſalutem. Placuiſſe ſuperis hoc deſiderium, eventus docuit. Superiores enim de ſolida adoleſcentis virtute certi, idoneum illum cenſuerunt ad egregii quid præſtandum pro divino honore, atque adeò voti damnârunt.

CAP. XI. §. 2.

1. Vela facit: exſcendit in portu boni aëris: altiora ejus ſtudia: ſuperbiæ ſpiritus ipſum vexat, & impedit: fit Sacerdos. 2. Initia facit Miſſionis apud obſtinatos Pampas. 3. Chiriquanis biennium fruſtrà impendit, pulſis tandem Patribus cum P. Cavallero. 4. Defertur ad Chiquitos. Ejus zelus, & fructus: item morbi.

IGitur cum 60. aliis Sociis ad Gades vela fecit, & miſerrimo itinere, 1.
ſub quo noſtrorum octo portum æternitatis antè attigerunt, in celeberrimum hujus Provinciæ portum Boni aëris eſt invectus. Inde Cordubam in Tucumaniam miſſus ad captandas altiores ſcientias, omni cum laude ſtudia abſolvit. Non ſilebo hîc, quod ex animi dimiſſione ad noſtram ædificationem uni amicorum in aurem credidit. Probè nôrat, ſibi nec in philoſophicis diſciplinis, nec in officiorum domeſticorum dexteriore executione alium parem eſſe, ut ſibi eâ de causâ complaceret, & Orationem Angelici Doctoris Thomæ, ſtudiis ſuis aliàs præmitti ſolitam, ſupinè intermitteret. At enim ex eo tempore intellectus illi ita eſt obnubilatus, ut magnâ induſtriâ opus fuerit

ad enodandas Theologicas difficultates. Absolutis subin literarum studiis Sacerdos factus, protinus exeruit suum zelum in Missione Cordubensi, quæ Indos æquè, ac Hispanos complectitur. Pauperiores enim Hispani in circumjectis Cordubæ agris vagè habitant, prorsus deserti, & instructionis Christianæ expertes, nisi quam accipiunt à nostris, tempore Paschali illuc excurrentibus.

2. Inde digressus P. Lucas Indos, Pampas dictos, adiit, qui Cordubensi Diœcesi quidem adjacent, sed vel in medio Christianorum barbaræ suæ superstitioni mordicus inhærentes, æternùm pereunt. Dici vix potest, quantum sudoris & laboris his Indis convertendis impenderit, sed incassum, obstinatis penitus in avita cæcitate animis. His ergo desertis, aliò vertit suum zelum in patentiores, & maturiores fructui campos apud Chiriquanos, & Chiquitos. Ad hos mitti instantissimè petiit, & inter omnium primos fuit, qui eas gentes ad DEI agnitionem erant adducturi.

3. Obtigit illi Reductio Divinæ Matris apud Guapayenses, ubi per biennium plus fructûs tulit ex suamet patientia, ex famis, sitisque molestia, ex sannis, & ludibriis, quæ ibi pertulit, quàm ex lucro animarum. Quippe Chiriquani valde efferi, & pervicaces sunt populi, nec pœnis, nec beneficiis compescendi. Utroque hoc adminiculo usus est bonus DEUS, cùm prodigiosis modò eventis, & accenso Apostolorum zelo alliceret, modò immissis tempestatibus horrendis inter fulgura, & ruentia fulmina, fame item, & annonæ caritate, quin peste ipsa terreret. At hi infelices nihil moti perstabant in sua malitia. Itaque jam assueti excutiendo Christi jugo, vetus mendacium oggerebant, ceu P. Lucas cum Sociis nihil aliud ageret, quàm ut illos Mamalucis proderet. Quare tota regione sua Patres expulerunt, everso dein funditus templo.

4. Quanto dolore P. Lucas hos sponte pereuntes Indos deseruit, tanto solatio delatus est ad Chiquitos in Colonia S. Francisci Xav. Chiquiti enim multò proniores erant ad recipiendam fidei doctrinam. His proin Neophytis totus quantus adstitit incredibili cum ardore & amore, quo utroque sanè opus erat. Non tantùm enim rerum necessariarum penuria, sed & pestilenti lue præter alia mala tunc laborabant. Diu noctúque continuabat labores adeò, ut nec propriæ quietis necessitati prospiceret. Tandem ea contentio virum in gravem, lethalémque morbum conjecit, summo Sociorum dolore, atque etiam Neophytorum,

torum, qui tanquam ſanctum venerabantur, & ut patrem amabant. Verùm Deus eam calamitatem properato ſolatio abſtulit, reddita nempe integra P. Lucæ valetudine. Ex hac communitate frequens illi excurſio erat in circumjacentes tractus per montes, & valles, per prata, & nemora, ut animas nimirum venaretur. Hoc in negotio ſolâ Dei providentiâ nixus, nihil curabat ſuam valetudinem, radicibus, & pomis ſylveſtribus contentus. Neque ab iſta laborum contentione quidquam remittebat in gravi morborum aſſultu, qui ipſum ſæpenumero proſternebant in terram, ſine alio medico levamine, quàm Divinæ providentiæ, cui reſignabat ſuam voluntatem. Inde factum, ut anima ejus tantis ſolatiis à Deo obrueretur, quæ in totum corpus redundabant, tantáſque dabant vires, ut morbis nunquam ex toto ſuccumberet, quin eoſdem veriùs non ſentiret. Horum omnium teſtis eſt ipſe Superior, aſſerens, P. Lucam rigidæ nimìs, & auſterioris vitæ causâ ſeriis, & acrioribus verbis à ſe caſtigatum fuiſſe, adjecto monito, ut zelum ſuum juſto ardentiorem moderaretur, quippe qui judicio aliorum quandoque limites ſanæ rationis transgredi videretur. At enim cùm ſpiritu ageretur, qui humanum ratiocinium longiſſimè transſcendebat, fervori ſuo imperare jam non poterat, ut etiam magìs magíſque creſceret, ubi ubi majore labore major animarum fructus ſperabatur.

Cap. XI. §. 3.

1. Detritæ ejus vires cum veſte miſerrima referunt mancipium. Jocantes ideo in ſe Barbaros ad fidem permovet. 2. Plagiariis Europæis fortiter reſiſtit. 3. Puraxes docet, illiſque pluviam à cœlo impetrat.

Fortè viribus omnino exhauſtus, miſero vultûs habitu, veſte mendica, & lacera aliquò advenerat, cùm ejus Loci Ethnici ex comitibus per jocum quæſierunt, an hic profugus Hiſpanorum mancipium eſſet, tam inclementer tractatum? His diſſimulatis interim Chriſti Evangelium tanto ſpiritu illis prædicare cœpit, ut illud recipere omnino ſtatuerint. Deſiderium plus, & plus patiendi erat illi tam ardens, ut ſæpè cum Chriſto ſanctè expoſtularet, quòd Divina 1.

 Maje-

Majestas tam parca esset erga ipsum in largienda cruce, quam usque adeò copiosè aliis impertiretur. Scilicet necdum intellexerat, quid & quantum ipsi apud alios populos in ampliando divino Nomine olim tolerandum.

2. Anno 1704. exierat quæsitum populos Puraxes, sed ne unum quidem ex iis reperit. Omnes enim in montibus, & sylvis se abdiderant, ut impios plagiarios Europæos declinarent, qui eodem tempore advenerant vi abducturi hos Indos. Unus horum negotiatorum Patrem duris verbis adorsus: *Non est*, inquit, *modò tempus Missiones instituendi. Proin sine mora se hinc auferret, nisi vellet vi adactus maturare reditum.* Poterant hæ minæ meticulosum perterrefacere, non item nostrum magnanimum Apostolum, qui inhumani hominis audaciam verbis ita retudit, ut actutum aliò abscederet.

3. Pater autem tamdiu Puraxes est insecutus, donec unum tandem offenderet, qui in fastigio arboris hærens, explorabat motum Hispanorum. Hic P. Lucam in spelæa, & tuguria suorum deduxit, ubi collectos Puraxes sanctam fidem docuit, infantes baptismo abluit. Et quoniam id temporis inopiâ imbrium tellus exaruerat cum detrimento frugum, & segetum, populus extrema pauperie pressus Patris genibus advolutus est, rogans magìs lacrymis, quàm verbis opem, à magno Deo, quem prædicârat, obtinendam. Motus precantium lacrymis Pater jubet, ut genua flecterent ad Christum, Cruce pendulum, ut manus ad cœlum protenderent, & magna cum fiducia à à Deo, bonorum omnium largitore, aquas pluvias exposcerent. Et hem! benignum cœlum, calidis Neophytorum precibus emollitum copiosam terræ pluviam indulsit.

Cap. XI. §. 4.

1. Calumnia Patri Cavallero impacta ab Europæo non invenit fidem apud Puraxes. 2. Expostulatio, & minæ scelerati Europæi spernuntur à Patre.

1. CApi alis animarum hostis, indignans possessos hactenus populos sibi eripi, Apostolum ingenti procella involvit. Primò quidem tempestas ingruit per illum ipsum malè consultum, & sceleratum Christianum, de quo superiùs mentio facta. Dein verò cùm

cùm hic ipsissimus animadverteret, iniquam suam negotiationem in posterum non processuram, statuit cum sui similibus uno labore duplex procurare emolumentum, scil. non modicum numerum mancipiorum secum abstrahere, & unà P. Lucam apud gentem illam exosum facere, ut ne comparere porrò præsumat. Hac cogitatione fixus adiit homo perversus Indos Puraxes, ut persuaderet, ne Patri fidem haberent, utpote solo habitu tenus Jesuitæ, & Missionario, revera doloso Mamaluco. At Puraxes verbis ejus non eam fidem tribuerunt, qualem sperabat, atque optabat impius homo. Exorti tamen sunt diversi animorum motus, metu, ne quid sequius rei subesset. At quia Patrem valde amabant, oppidò tristes esse cœperunt. Vir Dei ubi intellexit sibi positas ad ruinam pedicas, stygii hostis technas detexit, suisque Neophytis omnem metum, & tristitiam abstersit.

Quo facto scelestus homo immodicâ irâ accensus, vindictæ impetum cavillis, sannis, & variis probrosis dicteriis prodidit: quin parùm abfuit à violentis manibus, viro inferendis. Denique minitans edicit Patri, & quidem nomine Catholicæ Majestatis (ut nempe id genus versipelles balatrones solent, qui sui proventûs causâ impudenter crepant regia decreta, & Majestatis supremam authoritatem) ut illico regione hac relicta ad urbem S. Crucis itaret, causam dicturus coram regio tribunali. At verò P. Lucas nihil omnino pro bonitate conscientiæ sibi metuens, imperterritus insolenti respondit: sciret, Patrem Cavallero omnem daturum operam, ut pro meritis huic populo vivis depingatur coloribus, quid hominis nempe sit, nullum ut deinceps accessum in hasce terras sit habiturus, multo minùs fidem apud incolas meriturus. Viribus suis nequaquam fideret, memor, potentem Dei vindicis ac Catholicæ Majestatis manum sat longam, atque porrectam esse, quæ vel in remotissimis his terris tantam, tam enormem injustitiam debitis castigaret suppliciis: nullam proinde spem sibi faceret, quòd crassis suis mendaciis justissimo & sapientissimo Regimini ad S. Crucem sit impositurus. Hæc verba impii cor ita perculerunt, ut inde discederet. Novo proinde fervore P. Lucas in id incubuit, ut non modò omne malum ab his Neophytis averteret, sed etiam emolumenta eorum magìs & magìs promoveret. Circa id tempus Neophyti Puraxes Indum aliquem ex gente Manacicorum adduxerunt, qui fugâ servituti memorati impii plagiarii se subduxerat.

Cal-

Callebat ille nonnihil Chiquiticæ linguæ: erat præterea, quantum in Barbarum cadere poteſt, boni ingenii, quod patuit ex eo, quòd ſacras Chriſtianorum ceremonias imitari, & varias pias preces, quas audierat, recitare ſciret. Hoc ſæpiùs animadverſo P. Lucas conjecturam fecit, fortè repertum iri in tota reliqua Manacicorum gente, quod in hoc uno Manacico deprehenderat. Igitur confeſtim ſtatuit arripere negotium illos ad Chriſtum transferendi.

CAPUT XII.

P. Cavallero proficiſcitur ad Manacicos. Indi, necem Patris meditantes, puniuntur.

§. I.

1. *Tres populi ad fidem proni: infantes baptizantur: P. Cavallero morbo ſternitur: voto facto convaleſcit.* 2. *Fruſtra terretur, ne Manacicos adiret.* 3. *Patris magnanimitas animat Puraxes.*

1. PUraxes admodum læti, quòd ſceleratus ille Europæus Apoſtolici Viri animoſitate perculſus aufugiſſet, in ſylvæ interiora ampliùs receſſerunt. Zuriquius autem hujus ipſius gentis Caciquius rogabat Patrem, ut, & populos Aruporès ſibi conciliaret: *Nos verò*, inquiebat Turiquius, *illos priùs amicis verbis conveniemus, ut benevolè te ſuſcipiant, & audiant. Nos Puraxes, & Tubaces cum illis conjungemur, confecturi ſimul unam coloniam, cui tu doctrinam & baptismum conferre poteris.* Pater, cui nihil magìs erat in votis, ingenti ardore actus, mox iter arripuit, & intra paucos dies eò delatus, reperit gentem tam pronam ad recipiendam Chriſti legem, ut uno die octoginta infantes ſacro fonte ablueret. Parem baptiſmi gratiam non obtinuêre adultiores, cùm experientia ſatìs docuerit, cautiùs cum iſtis eſſe agendum.

dum. Inde iter suum prosecutus est versùs alium vicum: sed tot laboribus fractus, gravi morbo succubuit sub obvia arbore, omni humana ope, & solatio desertus. Itaque mortem propinquam ratus, ad eam ritè excipiendam se jam comparabat. Indi præsentes nihil dolebant magìs, quàm quòd nihil levaminis illis suppeteret ad refocillandum ægrum. Tandem inventam Gallinam obtulêre, quam tamen renuens æger, jussit dari alteri ægroto Neophyto. His in angustiis Pater videbatur sibi audire internam vocem, DEUM scil. velle, ut sese offerret ad prædicandum Manacicis S. Evangelium, atque eo pacto sanitatem redituram. Obsecutus divinæ inspirationi, votum fecit non tantùm Evangelium prædicandi apud dictos populos, sed etiam ad salutem eorundem, si ita placitum DEO, vitam cum sanguine profundendi. Hoc peracto, priores vires cum sanitate in vestigio recuperavit. Caciquius ejus loci nomine Pou repentinam sanitatem admiratus vehementer, non omisit tantum beneficium, insperatò obtentum, Patri gratulari. At Pater sui voti memor, mox conferre cum illo cœpit, & simul orare hominem, sibi ut in negotio tanti momenti adesse, quin se viæ Comitem præbere vellet.

Hoc tamen Caciquius nullo modo probabat, asserens, rem nullum progressum habituram. Manacicos enim, ajebat, non modò robusta, & formidanda corporis mole, sed etiam numero admodum valere: esse erga Hispanos animo infensissimo, nova primùm conjuratione facta in vindictam maleficii, suis recèns illati, ut nemini uni propterea essent parcituri. Illuc proin velle proficisci perinde fore, ac se victimam macello offerre: præterea viam esse perdifficilem, multis periculis obnoxiam, in qua Manacici murices copiosos defodissent, uti ipse Pater priori anno expertus fuerit, utpote redire coactus. Hæc elocutus Caciquius aliquamdiu defixis in vultu Patris oculis hæsit, rursúsque dehortari cœpit, ut ab itineris proposito desisteret. *O Pater*, inquiebat, *quid si Manacici, efferatus populus, cum summa truculentia te adoriantur, quomodo solus & unicus resistes? O Pater, victima mortis eris indubitata.* 2.

Ad hæc Apostolicus Vir apprehendens dextrâ Christum in Cruce fixum reposuit: *ecce, inquit, scutum, quod illorum furori objiciam: nihil admodum formido, quòd res sit divinæ voluntatis, ut legem sanctam ibi prædicem: nec pilum capitis mihi auferre possunt, nisi DEO annuente: imò si etiam eorum manibus stratus cadam, numquid hæc mors mihi vita foret? si* 3.

tantus vos metus retinet, agite subsistite tantisper in via, antequam ad barbaros veniamus: ego interim solus, divina ope armatus, illos adire non reformidabo: & si adventus quidem meus non ingratus fuerit, revertar ad vos, mecum adducendos, secus si non rediero, vos fugam capessite. His verbis ardore insolito plenis non solùm Caciquius, sed etiam cæteri præsentes Indi mirè accensi sunt, & in has voces proruperunt: *Absit, O Pater, ut hinc fugiamus: quòd si te trucidaverint, noster erga te amor vindictam capiet, tametsi in frusta dein concideremur.* His dictis Caciquius arma corripiens, fortissimos quosque suorum ad se citat, dein ad Patrem deducit, apud quem omnes, & singuli magno animo promiserunt, se potiùs mori velle, quàm permittere vel minimam Patris læsionem.

Cap. XII. §. 2.

. Inimicitia gentis cum gente impedit petitam pluviam. 2. Renovata pax eandem feliciter impetrat. 3. Metus comitum redire volentium. 4. Confirmantur in itinere prorsùs periculoso.

1. Antètamen, quàm iter aggrederentur, instabant, ut aliquanto plus in Christiana Lege instruerentur, ut parvulis baptismus conferretur, ut pluviam impetraret servandis ab interitu frugibus necessariam. Audiit preces P. Lucas, jussítque præaltam strui, & erigi Crucem. Adsternitur deinde cum universis, Deóque supplicat, misello huic ut populo misericordiæ suæ manum porrigeret, fructúsque demissis cœlo imbribus bearet in desideratam alimoniam: plus non requiri, quàm ut bonus Deus vellet gratificari, quo uno beneficio has omnes animas sibi lucraretur, tam caro Filii sui Sanguine redemptas. Equidem ingens fuit fervor Orationis hujus, in arena tamen præsenti, hac vice quidem, cœlum necdum penetravit. Optimus Pater, sibi persuadens, ingens odium, & vindictæ cupiditatem adversùs Tapacuràs, & Manacicàs, qua flagrare poterant Puraxes, fortassis tacitam esse causam, quo minùs preces exaudirentur, omnem denuo populum convocavit, coram erecta Cruce de genibus auditurum sequentem allocutionem. Christus (Pater intonat) Christus noster justissimus Judex vobis ex merito irascitur: precibus vestris negat propitias

picias aures,& levamen indigentiis vestris. Vultis repulsæ causam? Certè alia non est, præterquam vestrum ulciscendi Studium adversùs Tapacuràs, & Manacicos, quibus nocere pro viribus quæritis usque ad ipsam mortem pro occasione quavis inferendam hostibus. At enim cœlum ea de causa talionem vobis modò reddit. Lex Christi JESU præcipit, ne quis proximo noceat, sed offendenti nos ex animo veniam demus. Equidem non diffiteor, etiam illos hostilem in modum erga vos fuisse, nec levia intulisse damna, sed propterea non opportuit vos exhibere tam crudeles inimicis vestris. Quare meis monitis paternis obsequentes, de commissis erroribus pœnitentiam agite, ponite tam detrimentosum odium, & animi aversionem, sancite eum vestris hostibus perennem pacem. Hoc ubi primùm feceritis(mihi credite) vestras DEUS preces benignus respiciet.

Neque verò pluribus opus erat, ut hi Indi unà omnes irent ad san- 2.
ciendam cum hostibus novam, verámque amicitiam. Sed vix intervallo unius horæ abscesserant, cùm DEUS sponsionem sui servi implevit, effusâ largâ pluviâ, arescentibus agris fertilitatem, Indis gaudium ex spe messis pariturâ. Postquam igitur ad fluvium Ariubaitù, vel ùt alii vocant, Zuquibuiquì pervenerant, hostis infernus ad evertendum Patris sanctum propositum ingenti formidine omnium corda occupavit.

Jam aliquot dies eo in loco transegerant, cùm Patrem urgerent ad 3.
reditum propter viæ difficultatem, quàm Manacici (ut superiùs dictum) muricibus ex durissimo ligno acuminatis asperâssent, ad præcludendum regionis ingressum. Quanta proin animositas illis antè insederat pro & cum P. Luca moriendi, tanta modò erat pusillanimitas ultrà pergendi, dum tamen periculi nihil in præsens adesset. Fateor (ita scribit ipse P. Lucas ad suum Rev. P. Provincialem) fateor, tametsi Puraxes ex conscientia fortitudinis suæ, & animositatis haud facilè terreantur, & in me singulari amore sint affecti, tamen non me, sed DEUM solum potuisse dejectos animos resuscitare, ut iter inceptum prosequerentur. Nempe ut monstraret, se exilibus, & imbecillis adminiculis uti ad magnum opus, ad deducendas nempe ad se peregrinas gentes.

Quippe dico tantummodo verba, quæ ipsis dixeram, satìs fuêre, 4.
ut omnem metum ponerent. Itaque sine mora Pou Caciquius se viæ continuandæ reddidit, quem tota adeò phalanx subditorum insecuta

 est.

est. In via dum pergunt, ad sepimentum evaserunt, ubi sese ad pugnam expeditis sagittis & arcubus parabant. Ita armati, silenti passu, ne intempestivè proderentur, processerunt. Hoc rerum articulo fatetur enimverò Apostolicus Vir, præ metu sibi crines horruisse, oberrante tam propinquo mortis discrimine. Ut sentiret nimirum apertè, omnes suas vires, & animi robur ab unico Deo descendere. Fateor (pergit in sua narratione) me singulari timore correptum fuisse, dum pensabam, me antesignanum omnibus in discrimen præiturum, me primùm oculis Barbarorum obviàm venturum, & venenatis eorum jaculis ceu metam futurum. Desiderium tamen videndi propediem mei Servatoris in cœlesti gloria me animavit rursus, contra omne periculum. Quamquam altera ex parte non immeritò illud subtimerem, quod magnus Indiarum Apostolus Xaverius præ demissione animi de se pronuntiârat, nimirum ne mea peccata fortissimum scutum essent pro avertenda à me gloriosa morte. Præter ista etiam P. Lucam mirè excitavit factum præclarum unius è suis famulis, qui Jacobus dicebatur. Hic enim porrectis ad cœlum manibus, & piissimo gestu Deo se victimam obtulit ad promovendum inter illos Barbaros Evangelium.

Cap. XII. §. 3.

1. Territi iterum comites, exemplo Patris, crucem præferentis, propinquant Barbaris. 2. Hi ad hospitum conspectum in arma ruunt. 3. P. Cavallero stat cum cruce in manibus imperterritus. 4. Izu interpres suos Manacicos pacat, & ad fidei gratiam permovet in medio impetu necandi omnes.

1. INterea pervenerant ad eorundem mapalia, sed destructa, & exusta tristi spectaculo repererunt. Iterum ergo territi Puraxes reverti cogitant. Verùm ab interprete suo Izù docti, haud procul fertiliorem reperiri terram, & simul præeuntis Patris imperterrito exemplo tracti, iter porrò continuârunt. Paulò pòst conspicati novam communitatem nova formido Puraxes incessit. Nihilominus anteambulo Missionarius perrexit, tacitis ad Deum affectibus imminenti morti se parans. Ne verò vis missilium telorum Christum crucifixum

è ma-

è manu excuteret, illum dextræ suæ alligavit. Interim subsistentibus cæteris Pater processit solo comite interprete, qui aliquot passibus remotior secutus, de instante periculo Patrem denuo monuit. Inclinata jam dies erat, quando cum interprete pago appropinquabat Pater. Vixdum autem sui adventûs indicium illuc subiit, cùm incondita vociferatio subsecuta est.

Fœminis & pueris fugere jussis viri subitò in arma ruerunt, sanguinario prorsus animo accessum Patris hospitis operientes. Inclamabat equidem interpres quanta potuit voce, ut armis parcerent, quandoquidem Pater hospes non ut hostis veniret, sed ut amicorum optimus. Idem repetebat ipse P. Lucas: *sum Missionarius* (clamabat) *huc veniens ad vos æternùm beandos.* Sed Manacici omni dehortatione insuper habita sese in ordinem distribuere, & ad conflictum parare. Eo rerum discrimine ad Patrem Poù Caciquius accurrit, dicens: unà omnes sumus morti devotæ victimæ! hem ab hostibus ita circumcingimur, ut nullus jam fugæ locus pateat ad mortem declinandam. 2.

At P. Lucas hominem animans securum esse jussit, metúque, quem ipse priùs senserat, posito, in meram & miram magnanimitatem insurrexit. De hoc ipse scribit his verbis: Denique dico, mihi in hoc præsentissimo periculo simul & semel omnem metum esse abstersum, & unà vocem mihi intus fuisse allapsam: *Nunc quidem non morieris.* Et quamquam telis & hostibus, in mille partes me concisuris septus eram, in arena tamen perstabam solâ cruce armatus, animo interim tam præsenti, & placido, perinde ac si in aliquo Europæorum templo versarer. 3.

Cæterùm animadvertens Izù interpres extremum discrimen, in medium conterraneorum suorum cuneum se conjecit; quippe qui ipse ex gente Manacicorum erat. Suis deinde potentibus verbis, & multò magìs potenti Dei gratia id effecit apud suos Populares, ut efferata corda penitus expugnaret, vindictæ impetum in benevolentiam, odium in amorem transferret. Et quamquam novellus etiamnum ille Christianus erat, de Deo tamen, & ejus sancta lege tam nervosè dixit, ut universi, alius post alium sensim, prout stabant, cum arcu, & sagitta ad P. Lucam accederent, in genua sese prosternerent, summa cum reverentia vulnera Christi Servatoris osculo venerarentur. Ad hoc operæ non minimum contulit Caciquius Pou, qui elatâ voce omnes advocans, hortabatur: Eja venite, O mei amici! venite, & 4.

JESU Christo Servatori vestro primum fidelitatis tributum pendite! agite! adorate hunc, atque illi vos tanquam subditos devovete! Hoc enimverò esto verum specimen divinæ misericordiæ, quæ vel ex Indis, nuper Ethnicis, eligit ad prædicandum JESU Christi Evangelium: ut integra gens, paulò antè ex insana rabie, & crudelitate quasi conflata, derepente ceu mansueti agni pedibus Christi crucifixi advolverentur. P. Lucas in consideratione tam miræ metamorphosis non potuit non fundere sacri gaudii lacrymas, DEóque optimo millies & millies gratias agere, quòd spem tam exiguam cœlesti suo favore tam largè & auspicatò coronaverit. Posteaquàm igitur omnes incolæ ejus loci dicto modo se Servatori suo dediderunt, in foro congregati, firmam cum aliis populis pacem sanxerunt. In eodem dein foro sua sponte erexére altam crucem, tam ad omne bonum mobiles, ut multis precibus instarent apud Patrem, ne se desereret, ampliùs in Christi fide instruendos. At P. Lucas, licèt nihil ardentiùs optaret ipse, hac quidem vice petitioni annuere non potuit, causatus imminentem hyemem. Spem tamen fecit in proximum ver, quo stabilem apud ipsos mansionem esset habiturus.

CAP. XII. §. 4.

1. Pax firmatur cum manacicis jam Catechumenis. 2. Accedunt pacis fœderi plures populi. 3. Redire cogitur P. Cavallero, invitis Neophytis. 4 Diaboli stropha ad perdendum Patrem Cavallero, sed per abitum Patris elusa, cujus laudes enuntiant vel ipsi Barbari pugnaturi contra Orci satellites. 5. Lue pereunt machinatores necandi Patris Cavallero, rabidorum canum instar: nigra eorum cadavera: alba baptizatorum ex peste morientium. 6. Alii crucem evertentes miserè mortui.

1. POstridie vel ante auroram accurrerunt Matres singulæ cum infantibus per sacri baptismi januam intraturis veram Ecclesiam. Eadem die advenerunt alii Indi, quos vocant Curucarecas,

post-

poſtquam adventum P. Miſſionarii intellexerant, *facturi* ſcil. pacem cum Manacicis. Hos univerſos P. Lucas in foro congregatos in ſuo propoſito ita confirmavit, ut denique *jurejurando* ſpoponderint ſervare inviolatam ac perennem pacem.

Auxit majorem in modum lætitiam adventus Indorum, quos dicunt Zoucas, Sosiacas, Iritucas, & Zaacas, diverſæ nationis omnes, in ejusdem pacis fœdus modò transgreſſos. Quin horum fœderatorum exemplo multi alii illorum tractuum populi, haud procul flumine Maragnone in magna frequentia degentes, ad ſancitæ pacis Societatem acceſſiſſent, ſi Pater diutiùs morari potuiſſet. 2.

Verùm cùm itineris comites vererentur, ne reditum præcluderet conſueta pluviarum exundatio, coactus eſt falcem à matura *jam* meſſe tantiſper retrahere, & viam retrò relegere. Abitus hic Chriſtianis vix ruditer initiatis tam gravis accidit, ut turmatim ſeſe in ſocios viæ obtruderent, & quidem ad non leve intervallum. Mirabatur ſanè factum Pater, cui tanta humanitas apud nullos adhuc Barbaros obtigerat. Solenne eſt Divinæ Providentiæ, ſi ad magna præſtanda nullis vult uti miraculis, ea perficere fortuitis ſolùm adminiculis. Patet hoc ex repentina adeò Puraxesiorum converſione. Certè ſi P. Lucas vel per pauculas horas ibi locorum moras traxiſſet, nec pacem ſanciendam amore pluviæ ſuaſiſſet, bellum inter Puraxes, concitatore diabolo, haud dubiè exarſiſſet. 3.

Quippe damnatus Orci Spiritus, qui à Sibacaſiis vario ſub ſchemate ſpectabilis adoratur, eâdem poſt abitum Patris nocte ſuo ſacrificulo in mandatis dederat, ut Caciquio ſuo nomine ediceret, velle ſe omnem populum colligi, quotquot ferendis armis pares eſſent, armari, & ad pagum Manacicorum deduci; eſſe enim ibidem peregrinum ex Europa Sacerdotem, morte dignum: hunc proin tollerent tanquam infenſiſſimum ſibi hoſtem. Addidit dæmon, ut Patrem in via interciperent, quandoquidem vicum *jam* deſeruerit. Cùm igitur, ut *juſſi* erant, ad locum, nefario facinori deſtinatum, perveniſſent, Caciquius ſacrificulo Mapono ait, ſeſe intraturos omnes vicum, explorandi causâ, unde, & quam ob rem iſte hoſpes eò veniſſet. Præter omnem enim rationem eſſe, dicebat, aliquem velle occidere, qui nec de facie quidem notus eſt. Popa Mapono horum verborum impatiens, omni modo connitebatur Caciquii conſilium diſſuadere, ſed totâ ſuâ ſtygiâ eloquentiâ effecit nihil. Converſus ergo ad Commilitones *juſſit*, ut dato imperio obſecundarent, nec *ja-* 4.

ratum Numinis sui hostem manibus elabi sinerent. Sed & milites Caciquio astipulati sunt, ut popa omnium votis victus, vel invitus sequi necesse habuerit, ringente licèt præ ira animo. Mapale ingressi rescire cupiebant, ubinam Pater hospes versaretur, quem jussu Dei sui trucidarent. Antè tamen se velle doceri, unde homo ille esset? quid rerum ageret? absit: ne hoc tentetis! subdit Chabi, ejusdem loci Caciquius: ad hujusmodi cædem patrandam sat virium mihi soli forent, ne vestris suppetiis indigerem. At verò ingens confidentia erga nos, quam à primo suo adventu præsetulit, & verba merum amorem in nos spirantia mentes nostras ita rapuerunt, ut vereremur virum talem vel in minimo lædere. Mihi quidem hunc cultrum præter alia dono dedit, ut singulariter illi sim obstrictus, & amicus sincerus futurus. Puraxes, aliósque nostros olim hostes nobiscum conciliavit statuta mutua pace. Eò igitur redite, unde venistis. Profectò per me nec unum passum ultrà facietis. Hæc prolocutus, suos ad arma & pugnam vocat.

Tam magnanimum responsum Barbaros Sibecas ita conterruit, ut prælii discrimen refugerent, facilè scil. cladem accepturi. Itaque reduces universi viam suam relegerunt. Mapono popa, cùm Patrem quæsitum non posset iræ suæ immolare, furorem suum in erectam Crucem transtulit, omni vi evertendam. At chabi Caciquius neque hoc fieri permisit, causatus, hoc exaltatum lignum sibi summo in pretio esse, postquam vidisset, tanti illud æstimari à P. Missionario, quin & adorari. Mapono proinde hac quidem vice infectis rebus abscedere coactus est, cum proposito tamen consilium suum vertente anno in opus deducendi. Sed & istud Deus impedivit, & ea quidem ratione, qua Evangelicis Prædicatoribus apud cæteros populos magna existimatio comparata est. Quippe toti illi regioni sævissima incubuit pestilentia, cum tanta hominum strage, ut nemo unus ex iis, qui Missionarium ad necem quæsierant, mortem evaserit. Et hi quidem omnes, quod vel maximè mirum erat, simul ac lue correpti fuerant, mente alienati, percursabant nemora rabidorum canum more, donec præ lassitudine, & fame mortui conciderent, æternùm miseri. Id certè vel cadavera ipsorum palàm fecerunt, quæ stygiis titionibus simillima ad horrorem inspicientium fœdè nigricabant: dum interim corpora extinctorum infantum, qui baptismi lavacro erant abluti, non deformia, sed candida remanserant. Omnium primus,

qui

qui Divinæ Nemesis Decreto tam infelici morte animam efflavit, fuit ille impius Erebi minister Mapoño Concitator factæ in Patrem conjurationis.

Pari supplicio mulctati sunt alii Barbari, qui dejiciendæ S. Cruci 6.
à P. Luca positæ, sacrilegas manus admovere non horruerunt. Nam cùm inter convitia, & blasphemias Crucem eversam in multa frusta concidissent, sacrilegum facinus miserabili morte paulò pòst luerunt. Quin Aruporès Indi, licèt S. Fide necdum imbuti, insolens factum improbarunt: pœnam autem in reos à Divina Justitia inflictam, ratam habuerunt.

CAPUT XIII.

Descriptio Regionis, superstitionum, rituum, & aliarum proprietatum apud populos Manacicos.

Ad præclara gesta, & Apostolicos P. Lucæ Cavallero labores magìs declarandos necessarium omnino visum est, ut cursus historiæ tantisper interrumperetur, quo congrua hîc daretur informatio de indole Manacicorum, de præpostera religione, de superstitiosis ritibus, & moribus modò memoratæ gentis.

§. I.

1. Varii fructus, & feræ Regionis. Famacosio sic dictum animal mirabile, & nocens. Sed dolo sternitur ab Indis: fructus Bainilla, & Tutumas. Pisces, & messis copiosa. 2. Species incolarum, & indoles. 3. Architectura eorum. 4. Labor fœminarum: Ritus conviviorum.

HÆc igitur regio nonnihil vergit ad septentrionem, remota tridui itinere à Reductione magni Indiarum Apostoli 1.
S. Francisci Xaverii. Cingitur tam densis, ac vastis sylvis, ut P. Lucas non dubitaret scribere, quòd ali-

quoties vix pervius solis conspectus ipsi obtigerit. Extenduntur hi saltus ab ortu in solis occasum, & terminantur in amplis, sed sterilibus campis, qui maximam anni partem aquis stagnant. Gignit isthæc regio magnâ copiâ varios fructus, & feras. Una harum est, cui nomen Famacosio dederunt. Refert hoc animal caput tigridi simile, cætero corpore canem, sed sine cauda exhibet. Superat hoc monstrum reliquas bestias celeritate cursûs, ut, si quem persequitur, vix possit aliquis ex unguibus ejus evadere. Quodsi conscensione arboris quis effugere quærat, congregantur quàm plurimi Famacosii, nec cessant terram circa radices arboris eruere, donec integer truncus sternatur humi. Contrà Indi ad sternendam hanc bestiam astu sequenti utuntur. Nimirum complures Indorum sese conjungunt, sepimentum ex altis, crassísque sudibus struunt. Hoc receptaculo clausi isti venatores, magnum edunt strepitum ad has feras illuc pelliciendas. Cùm ergo excitæ bestiæ sepem evertere laborant, occasio Indis nascitur illas telis conficiendi. Reperitur etiam in his terris fructus Bainilla, & Tutumas dictus, nec reipsa alius est, quàm grandior Cocos (ut vocant) non absimilis peponibus, quamquam non sit fructus palmæ, veluti Cocos, sed alterius magnæ arboris, quæ illum profert non quidem in ramis, sed in ipso trunco; neque enim rami pares forent ferendo tam grandis, & ponderosi pomi oneri. Sunt hìc locorum etiam fluvii, regionem irrigantes, qui abundant piscibus. Terram quod spectat, ad modum fœcunda illa fert plerúmque copiosam messem.

2. Cæterùm incolæ regionis sunt bona vultûs, & corporis constitutione, color tamen eorum ad olivæ colorem accedit. Non modica populi hujus pars nativa quasi contagione præfert speciem lepræ cujusdam. Hinc spectares eorum corpora velut piscium squammis obducta, quin tamen aliquid doloris de cætero illis creetur, aut incommodum. In bello sunt perquam audaces, & fortes, quemadmodum Chiquitæ. Imò hi duo populi olim in iisdem terris unà habitabant, demum discordiis exortis invicem sejuncti. Hac divisione venerunt illis superstitiones, Chiquitis inusitatæ. Hoc vitium nempe didicerunt à vicinis sibi populis, sicuti eorundem exemplo carnes humanas vorare cœperunt. Non minùs dicta separatio in causa fuit, ut mutata Chiquitorum lingua prorsus corrumperetur.

3. Pagi ipsorum non absque omni architectonica constructi sunt, calce enim domus ædificatæ, in fora, & plateas distribuuntur. In hujusmodi

modi communitate extant tres vel quatuor majores habitationes, quæ in sua cubilia, & atria sunt divisa. In cubiculis hisce versantur primates cum præcipuis Caciquiis. Serviunt dicta ædificia etiam struendis publicis conviviis: quin veniunt nomine fanorum ad colendos Deos suos. Privatorum ædes sunt & ipsæ ex ordine positæ, ad recipiendos hospites destinatæ. Illud maximè mirum est, quòd ad constituendas suas fabricas nullo alio instrumento utantur, quàm saxeâ asciâ, qua ingentes secant arbores, nec sine magno labore dejiciunt.

Fœminarum multus labor est in texenda tela linea, & conficien- 4.
dis terreis vasis. Eo fine terram per longius tempus macerant, ex qua decora, & apta vascula formant, ita quidem, ut tinnitum edant, perinde ac si essent ex metallo. Vici eorum non longè distant invicem, unde mutuam consuetudinem, & amicitiam impensè fovent, alternis se crebrò invitant ad epulas, quarum plerúmque finis est ebrietas. Quando una communitas cogitat alteram ad convivium invitare, supremus Caciquius per nuntios id exequitur, in cujus ipsius domo commune symposium struitur cum choreis. Ordo publicorum negotiorum & congressuum est sequens. Primum, & præcipuum locum occupat supremus Caciquius: huic proximè assident sacrificuli. Tertium locum obtinent eorum medici, quartum autem alii substituti Superiores: post hos omnes denique consident cæteri de sua nobilitate.

Cap. XIII. §. 2.

1. Auctoritas, & potestas Caciquiorum, quibus obeditur in summo rigore. 2. Polygamia. Hæreditarium dominium. 3. Frequentia hujus populi. Regionis descriptio cum populis variis. 4. Paresiceeæ aves parvæ, sed mortiferæ.

SUmmo Caciquio non tantùm hic primi subsellii honor defertur, 1.
sed & in rebus singulis prompta præstatur eidem obedientia. Subditi struunt illi domicilia, agros illius subigunt, cell'æque, & culinæ ipsius prospiciunt omni rerum abundantiâ, quas quidem eorum terra progignit. Solus ille Caciquius pro plena potestate pœnas

à suis extremo cum rigore exigit, plerúmque fustuario tam inclementi, ut non raró corporis costæ, & ossa diffringantur.

2. Grex fœminarum parem præstat obedientiam uxori ejus Caciquii, qui tot alias, quot lubuerit, thori consortes sibi adoptat. Ab hoc quoque sexu decimas accipit ex piscatu & venatione, quam nunquam suscipiunt nisi petitâ priùs licentiâ Caciquii. Atque hoc regimen, & dominatus est hæreditarius, & stata proin lege in primogenitum Caciquii filium recidit. Hic ab ipsa mox pueritia in pueros alios dominatum exercet, despotico propterea & nobiliore quasi more educari solitus. Postquam autem ad id ætatis pervenit, quæ regendis subditis par sit, regimen adit loco sui genitoris, id quod non sine pompa, & multis ceremoniis peragitur. Perseverat nihilominus in subditis pristinus amor & subjectio erga suum præteritum Dominum. Unde si de vita decedat, solennes exequias peragunt multo fletu, ejulatu, & innumeris superstitiosis ritibus. Sepulchrum mortui est sub terra fornicatum, saxis & pilis probè firmatum, ne scil. ossa uligine corrumpantur, aut ab incumbente terra graventur.

3. Jam verò frequentia hujus populi est oppidò magna, in numerosissimos vicos divisa. Regio ipsa Manacicorum triangula est, longior tamen, quàm latior, ut pyramidem repræsentet. Protenditur ab Austro ad boream, in cujus extrema parte hæc gens habitat. In medio hujus regionis alii commorantur populi, qui quàm dissimiles idiomate inter se sunt, tam sunt sibi similes in crudelitate, & immani truculentia. Duæ exteriores partes seu latera pyramidis sunt sequentes. Latus ad orientem incolas habet Quimonecas, latus verò ad occidentem Tapacuràs. Ad septemtrionem regio ambitur duobis vastis fluminibus, quorum uni nomen Potaquissimo, alteri Zumunaca. In ista gemina flumina sese exgurgitant plures minoris molis amnes, qui regionem irrigant. E regione dictorum fluminum duorum degunt populi, quos Puizocas, & Panacas vocant, sejuncti ab hoc Manacicorum tractu sequentem in modum. Ad ortum siti sunt pagi, ubi reperias populos Erinucas, Moposicas, Zibacas, Jurucarecas, Quiriquicas, Zococas, Subarecas, Iboeicas, Ozonimacas, Tunumacas, Zouca, Quitesuca, Osaaca, Matesupincia, Totacia, Quitemuca. Ad occasum solis consident populi diverso nomine, ut sequitur, nempe Zounaaca, Orizebuca, Beruca, Oboriquica, Obobococa, Monocaroca, Quizemaca, Simomu-

momuca, Piquica, Otuquimaca, Ojutunca, Paraca, Quimamaca, Cuzica, Pichazica. Omnes hi pagi, & multo fortaſſis plures, quorum nequedum notitia nobis eſt, in parte inferiore dictæ regionis ſunt. Ab hoc tractu usque ad angulum terræ meridionalem invenies populos, Quimiticas, Zouca, Boviruzacia, Sepeſeca, Otaroſo, Tobaizica, Munaiſica, Zaruraca, Obitiſioca, Baquica, Obobiſioca, Soſiaca, Obtenenema, Obigoca, Barayzibunoca, Zizooca, Tobazica. Proximi his habitationem locarunt Zibacæ, nunquam à Mamalucis hactenus infeſtati: quamvìs hi hoſtes Indorum regionem cæteram usque ad litora Paraquarii ſint fœdè depopulati. Boream inter, & ortum Solis poſt Zabicas reperire eſt incolas, quamvìs multis milliaribus diſſitos, Barabacas, Quiziacas, Naquicas, & Mappaſinas. 4.

Eſt hæc quadruplex gens admodum generoſa, magnam tamen partem perit à certi generis avibus, quas Pereſiucas nominant. Quamvìs enim majores non ſint vulgaribus paſſeribus, tamen pollent tanta virtute nocendi, ut, ſi quem Indum conſpexerint, pernici volatu aggrediantur illum & perimant. E Regione horum ſedes poſuerunt Mnochozucas, Pizocas, qui nudi penitus incedunt, uti & mulieres, quæ præter faſciam, è collo pendulam, nihil tegumenti præferunt, nempe portandis infantibus factam. Inter Aquilonarem, & Orientalem plagam vivit populus, Tapacuràs dictus, pari modo aſſimilandus brutis animantibus, utpote nudus æquè, & præterea Anthropophagus. Huic contermini ſunt Boures, Oyures, Sepes, Carababas, Payzinones, Toros, Omunaiſis, Penaquìs Jovatubes, Zutimus, Oyurica, Sibu, Otezoo, Baraiſi, Canamaſi, Comano, Mochoſi, Teſu, Pochaquiunappi, Mayeo, Omenaſiſopa, Omenoquiſoo, Botaquichoca, Ochiziriſa, Jobaruſica, Zaſuquichoquo, Tepopechoſiſos, Soſoaca, Zumonocococa, hi & quàm plurimi alii Indi, de quibus necdum ſat conſtat, vicini ſunt dictis Tabacuris.

Cap. XIII. §. 3.

1. Superstitiones Manacicorum, mixtæ quasi umbrâ Christianâ, ex S. Apostolo Thoma residuâ, de Christi nativitate ex Virgine, ejus miraculis, & Ascensione. 2. Interim dæmones visibiles colunt.

1. Quod spectat ad Manacicorum religionem, ritus, & mores, quos præferunt, verissimè dici potest, nullam gentem esse in tota India occidentali superstitionibus magìs deditam, quàm istam. Priúsquam tamen has ineptas affanias afferam, paucis perstringam, quid de Christiana & vera fide contineant, quamquam hoc ipsum multis superstitionibus, & ridiculis erroribus sit vitiatum. Habent nonnihil luminis, & cognitionis à S. Apostolo Thoma, qui, ut ex non vanis rationum momentis astrui potest, in his regionibus Evangelium prædicavit. De Christi Servatoris nostri adventu in has terras aliquid, sed perexiguum nôrunt. Credunt ex antiqua traditione, quod præteritis temporibus Virgo longè pulcherrima Pupulum ter amabilem sine viri opera pepererit: quod idem pupus, postquam annis profecerat, tam multa, & magna miracula patrârit, ut totus mundus obstupesceret, scil. quòd ægris sanitatem, mortuis vitam, cæcis visum, claudis gressum, & id genus plura, naturæ vires transgressa, beneficia impertierit. Denique dicunt, atque etiam credunt, quòd die aliqua ad suos sequaces profatus fuerit: cernitis, quòd mea natura à vestra omnino sit diversa. His dictis in conspectu omnium præsentium per aërem in cœlum tetendisse asserunt, ubi in solem hunc est transmutatus, quem hodiedum oculis usurpamus. Popæ ipsorum Mapono vocati (qui, ut dicemus infrà, toties quoties populo collibuerit, in aëra feruntur sublimes) imponunt suis, dum asserunt, solem esse hominem, licèt ex tam magna distantia ejus facies, & corporis habitudo clarè discerni non possit. Atque hoc est, quod de mysterio Incarnationis Domini, sed perperam noverunt.

2. Nihilominus tamen nullum honorem habent illi, quem tam prodigiosa præter & supra naturæ ordinem perpetrâsse narrant, sed damnatos orci spiritus adorant. Neque hoc fit in idolis ex saxo, ligno

aut

aut metallo factis, sed in portentosis & fœdissimis formis, in quibus se his misellis hominibus spectandos præbent. Et verò hic colendi ritus stygiis spectris usque adeò irridet, & superbos spiritus inflat, ut Neophytis Christianis illudant, exprobrantes illis stolidam simplicitatem, qua inanimas picturas, statuas, & mutos quasi Deos adorare non dubitant. Neque hoc contentus inferorum princeps, ut velut ab his Indis divino honore coli, & adorari, id quod soli supremo, veróque Numini competit, sed insuper in hoc extremo terrarum angulo ad opprobrium & contumeliam veræ Ecclesiæ quasi similem huic Ecclesiam fundavit, simius fraudulentissimus.

CAP. XIII. §. 4.

1. Æmulatur Diabolus veram Ecclesiam, fingens tres DEI personas, & hujus genitricem cum misero gentis istius ludibrio. 2. Ritus adorationis, & salutationis in adventu dæmonum terribili. 3. Responsio satanæ, & adhortatio, dum se rerum creatorem fert cum stygia aula pedissequa. 4. Compotationes, Choreæ, ad quas hortatur diabolus. Cædes ebriorum. 5. Etiam dæmones simulant se sitire Chicham, potionis genus.

TRanstulit enim sanctissima Sacramenta, aliósque sacros Ecclesiæ 1.
ritus in meras superstitiones, & sacrilegos abusus. Et primò quidem effinxit talem Trinitatem præcipuorum Numinum, ad discrimen scil. minorum, ut eorum unus esset Pater, alter Filius, tertius Spiritus, utique non sancti nomine vocandus. Pater vocatur Omequeturiqui, vel Uragorzoriso, Filius Urasana, Spiritus denique Urapo. Habent, & alium diabolum, qui personam Beatissimæ Virginis MARIÆ repræsentet. Hæc ut isti asserunt, Mater est Numinis Urasanæ, & uxor ejus Genitoris Omequeturiqui. Hæc ipsa Dea ficta rutilanti in vultu spectabilem illis se exhibet, dum veterator stygius in Angelum lucis se transfigurat. Cætera Numina visenda se sistunt in deformibus prorsus formis. Vultus quidem, & integrum caput igneis & cruentis coloribus conspersum efferatur: aures bruto-

rum auribus assimilantur: nares latissimè hiant: oculi incondirum in morem grandescunt, emissis flammeis radiis tre nendi: Corporis superficies est ignescentis coloris: venter serpentibus & draconibus amicitur. Ex horum Deorum tribu qui primas loquendi partes habet, est Omequeturiqui, sive Pater, & hic quidem alta voce loquitur. Post hunc sermonem orditur ejus filius Urasana, & quidem per nares: tertius sermonem inferens, est spiritus Urapo tali voce, quæ tonitrui instar cum horrore auditur. Pater est Deus justitiæ, puniens reos modò fustibus, modò aliis instrumentis: Filius, & Spiritus sunt populi intercessores apud Patrem, sed singulariter patrona fit memorata Dea. Templum horum falsorum Numinum est, ut superiùs dictum, palatium Caciquii, in quo conveniunt omnes, si quando solennes exequiæ, vel alii universales populi cœtus instituuntur. Hos festos dies, & ceremonias Caciquius denuntiari jubet subditis suis, quo intellecto ingentem copiam storearum ex stramine plectunt. Istis illa pars aulæ investitur peristromatum loco, quam vocant Sancta Sanctorum. Huc subeunt affectata Deorum monstra, quæ plerúmque nominant Tinimacas.

2. Dum ex Erebo prorepunt, se tamen simulant quasi cœlo descendere. Sub adventum suum tantum concitant tumultum in aëre, ut totum palatium cum peristromatis suis contremiscat. Populus dum interea comessando, & saltando indulget genio, salutat infernos hospites pari tumultu, & insolita vociferatione, & jubent bene venire his verbis: Tattaequize? Pater, jámne advenisti?

3. Ad hæc respondens Pater vocat illos Tanoquites, hoc est filios. Quid rerum agitis? (subdit) voratis, potatis? enimverò heluamini, licet, inebriamini strenuè; Hoc enim pacto mihi singulares delicias facitis, & mirè complacetis, qui providam vestrûm omnium curam gero. Eâ unâ enim de causa amore vestri pisces, feras, & omnia, quæ ad genium faciunt, creavi. Cum his tribus simul adventat integra dæmonum caterva, tanquam aula pedissequa. Unde in subjectionis testationem stare perseverant. Indi sibi persuadent, hos servos esse animas suorum hostium, cum quibus perpetua ipsis sunt bella, vel etiam animas alienigenarum.

4. Cùm Dii loquendi exordium faciunt, summum est populi silentium, ut eò explicatiùs verba suorum numinum percipiant, antè, & primò sua ibi tractaturi, priusquàm chicha, eorum potio per modum

cere-

cerevisiæ, caput petat. Suis enim apud Deos peractis mox redeunt choreæ, mutuæ verberationes, vulnera, & cædes, quibus singulis mirificè delectantur damnata spectra. Quodsi fortè advertant, hos miseros remittere velle ab infandis istis factis, excitare novum furorem satagunt Dii his monitis: *quid facitis O mei filii? ut quid tam remissi, & tristes estis? Eccur bibere, & saltare cessatis?* Ad quæ verba vestigio temporis Mapono popa tristem, & serium vultum indutus, nomine Deorum jubet illos comedere, bibere, & festiva vociferatione plaudere, nequis eorum præ tristitia contabescat.

Quin & ipsi Dei isti non dissimulant, se quoque sitire, ut adeò 5.
potum ab ipsis postulent. Itaque in promptu adest ad obsequium natu maximus Indorum, uti & vetula annosissima, quippe quorum ætas ad populum in maxima veneratione est. Hi proin pocillatores expediunt vasculum, soli huic fini præparatum, floribusque ac cætera elegantia perbelle exornatum. Istud vas dextrâ capiunt, & sitienti Deo suo deferunt, terna vice delibandum: sinistrâ interim siparium nonnihil sublevant. Simul ac hoc fit, exporrigit unus cacodæmonum suam manum, aspectu horrendam, unguibus prominentibus asperam. Hac ipsa prensat poculum, ex quo dein singuli tres ordine bibunt, sed more potiùs bestiarum, quàm hominum, & minore quantitate, ac qualem simulant.

Cap. XIII. §. 5.

1. Post compotationem à Satana fit Musica ad Sancta Sanctorum, quæ patent soli sacrificulo. 2. Nullus pagus sine tali præstigiatore. Oracula orci semper prospera cum reciproco Scommate Barbarorum. Interim ab orco ad bella incitantur. 3. Dona Diabolis oblata, & gustata. Abitus eorum cum ingenti tumultu. Mapono sacrificulus magus abit in cœlum, & redit miris modis.

FInitis istis Dei monstrum Ursana intra suum tabernaculum musicam symphoniam instruit, etiam remotiùs audiendam. Tum verò quotquot illum venerari volunt, ad saltum provolant. 1.

Nemini ulli licitum est præterquam popæ Mapono videre Sancta Sanctorum, ut quidem ipsi vocant. Iste sacrificulus est intritæ ex Orco malitiæ nequam, & ex arte veneficus. Quòd si minoris experientiæ magus inferior præsumeret introspicere siparium, ea curiositas ocyùs interdicitur à Mapono interminante, tantam audaciam repentina morte luendam, nisi oculos suos infrenet. Unus unicus Mapono gratiâ valet apud hos Deos, & miris præstigiis excellit.

2. Non est pagus, cui non provisum sit uno minimùm hujus generis præstigiatore, quin quibusdam vicis duo vel tres sunt tales venefici. Porrò aulam Mapono intrat, ubi Dii sui audientiam ipsi faciunt, vicissim autem ipse confidens affatum petit, sua dubia proponit, responsa accipit, & prædictiones dæmonum. Fit quandoque, ut universus populus audiat hoc alloquium, cùm elatiore voce utuntur. Dum populus totus quantus est in saltando, comessando, vociferando, progreditur popa, atque Deorum oracula communicat. Sunt autem plerúmque non nisi prospera, fortunata, & placentia responsa, puta, de frugiferis pluviis, de opima messe, de auspicata venatione & piscatu, quamvis hæc effata ferè semper sint mendacia, ut vel ipsi Indi hæc Deorum responsa rideant, & cum cachinno reponant: *Dii nostri bene poti sunt.* Hæc verba si inaudierit popa, stygiæ instar furiæ prosilit inexplicabili rabie externatus, minitatur tonitrua, fulgura, fulmina, grandines, pestes, & omne malum, ac tum demum post has minas subitò conticescunt. Accidit non semel, ut diabolus incitet ad infestandos vicinos populos, ad hos pellendos, & expilandos. Unde continua bella, & mutuæ inimicitiæ inter illos exardescunt. Sunt aliqui, sed pauci, licèt alioquin simplices, & barbari homines, qui dolos & fallacias diaboli probè perspiciunt, potior tamen pars credit, hæc omnia oriri ex mero amore, & suorum Numinum solicitudine erga ipsos, tametsi experientiâ doceantur, & vix non manu palpent, extremis in angustiis se deseri, ab hostibus vinci, fugari & spoliari.

3. Postquam igitur nequissimi spiritus finem loquendi fecerunt, incipiunt Indi sua dona offerre, videlicet ex ferarum, & piscium venatione. At spiritus maligni, quo testentur sibi oblata munera grata accidisse, ex iis quiddam ore delibant. Postmodum in auras cum popa Mapono feruntur, quo tempore templum ita contremiscit, ut ruinam minari videatur. Mapono autem diu nulli visus latet, prætexens,

xens, se versari interim cum Diis suis in cœlo. Tandem verò redux portatur in brachiis Deæ Quipoci, in cujus gremio quiescens dormit, dum inter hæc Dea illa cantionem occipit. Auditur quidem cantilena, sed cantrix ex orco conspiciendam se non præbet, cùm de more se retrò absconsam teneat in tabernaculo. Nulli non hanc honorant, præferentes immodicum gaudium ex ejus adventu, quin eandem sui Numinis Matrem esse credunt, perinde ac nos Catholici Beatissimam Dei Matrem veneramur. Adventantem salutant variis nominibus, & blandis laudibus. Vicissim illa Megæra dat bona & suavia verba vocans suos filios, tanquam vera Mater, quæ Deorum iram avertat, alioquì dirè sævituram morborum frequentiâ, annonæ penuriâ, & aliis calamitatibus. Inde est, cur hanc larvatam furiam sæpissime in vota vocent tempore adversitatum. Clientes proin suos convenit, solatur, intercedit pro illis apud Numina, si in horum Societate advenerit. Hic quidem Cacodæmon sub schemate muliebri præsefert meliorem genium præ cæteris, ad ultimum tamen experiuntur, Diabolum Diabolo esse simillimum, paris crudelitatis, nulli alteri cessuræ. Si hæc Dea se in tabernaculo detinet, cantum fingit non inamœnum, sed secundùm artis regulas: Indæ mulieres interim ad melos scil. Divinum saltitant imò, & accinunt, repetentes præviam Deæ putatæ stropham. Thema cantûs est de sui populi bellis, victoriis, ex hostibus reportatis. His præmissis reditur ad compotationes, & offerenda Deæ munera, post quæ in sublimè abit per aërem, non sine magno populi acclamantis plausu. Non tamen secum abducit Dea hæc popam, ut mos est Diis, nihilominus ille Mapono reportatur plerúmque in brachiis scelestæ Deæ. In hoc reditu sunt multifarii circumflexus, & modi. Quandoque redux se demittit in medium templi ad confertum populum, qui territus eo subito illapsu, turbat ordinem ex decumano etiam tumultu, & clamore pessimorum spirituum, magnâ copiâ comitantium reducem popam. Est tamen, cùm hi inauspicati viæ socii peracerbam redeunti ludunt stropham; rectò enim tramite, & casu sinunt non semel hunc truncum labi in terram, ut miserè quassatus vix non animam agat. Hujus rei specimen non à multo tempore petitum habemus in Regione Moposicarum. Cæterùm quando se popa in altum effert, id fieri solet in modum, ac si veris alis suffultus volaret, recto ad cœlum capite, demissis ad terram pedibus: contrarium fit, dum revolat, inverso nempe, & prono ad terras corpore.

Cap. XIII. §. 6.

1. Dii aquarum coluntur fumo tabacæ herbæ, & oblatâ parte piscium. 2. Honor, & tributum sacrificulo Mapononi præstitum. Ejus arcana hausta ex Orco. 3. Popæ domus, ejus aliquando solitudo. Candidati poparum instruuntur rigidè. Jejunium: dein convivium.

1. PRæter memoratos aliud insuper Deorum genus colunt, quos Isitanùs vocitant. Sonat ea vox aquarum dominos, quorum officium est curare fluvios, & piscinas, ad gentis famelicæ necessitates. Hos aquarum præstites, Deos Isitanùs nempe, honore religioso prosequuntur, dum piscatum eunt, ubi accensis Tabacæ herbæ foliis fumi odorem scil. gratissimum illis afflant, quo etiam ipsos pisces stupefaciunt, ut citiùs capiantur. Quòdsi copiosa fuerit captura piscium, gratos se sistunt pro eo beneficio. Templum enim ingressi, partem piscariæ prædæ Diis Aquaticis offerunt, cum iisdem superstitiosis ritibus, quos adhibent ad aliorum Deorum oblata.

2. Cum his egregiis scil. Diis, & eorum religione præpostera examussim concordant ipsi sacrificuli. Primas illorum Mapono suspicitur tanquam rerum Magister: huic pandunt pectoris angustias, & conscientiæ arcana, quibus auditis popa consultat cum suis Diis, postolans salutare consilium. Verùm huic popæ non tantùm sermocinatio est Numinibus in templo, sed & eum honorem illi habent Numina in proprio domicilio. Dum igitur visitant, peramicum, & humanum colloquium ultrò citróque serunt. In eo tamen visitandi officio res malè cadit uxoribus popæ Mapono. Ibi enim tetris diabolorum obtutibus & larvis tantopere terrentur, ut procul se domo auferre cogantur. Inde est, cur popa Mapono non minùs timeatur, quàm honoretur, quandoquidem hostibus non modò nocere, sed vel ipsa morte eos mulctare potest. Ut verò quantis polleat viribus, luculentiùs manifestet, domi alit multos serpentes & viperas. Has peractis in templo sacris domum regrediens, in sinu & brachiis ludibundus secum fert. Ritus instituendi talem popam mirabiles sanè sunt,

nec

nec abludunt in minimo ab impiis Diis, & horum ministro. Nemo est tam honorificæ æstimationis apud populum, quàm est popa Mapono, cui proin decimæ de piscatu, & aliis terræ proventibus æquè ac Caciquio diligenter penduntur.

Incolit popa sat bellè formatam, atque etiam ornatam domum, qualem in effera & barbara gente possis sperare. Ut autem eò commodiùs visentibus se Diis vacare possit, quandoque solitudini se tradit. Qui ad sacrificuli officium aspirant, ante ipsam pubertatem opus habent instrui in ritibus, & qua ratione cum Diis agendum, illos oportet discere. Idcirco discipulum suum Mapono in brachia sua sæpenumero recipit: jubet plenilunii lucem fixo obtutu contemplari: divaricat atque distendit illi digitos, cum mandato, ut ungues longiùs excrescere sinat: deportat eundem in auras sublimes, & in sinu Deæ Quipaci collocat. At verò miser, post raptum ad se rediens, tam debilem & fractum se deprehendit, ut intra plures dies suas vires vix recolligat. Præterea Candidati isti rigido jejunio sese macerant: obfirmatè abstinent à certis feris & fructibus, præsertim à granis, & foliis floris, *Granatili*, quem vulgò vocant *florem Passionis.* Nec dubitandum, id ex instinctu maligni spiritûs fieri, qui maximè cavet, ne quod vestigium vel symbolum patientis Servatoris ac redempti hominis à suis deprehendatur. Verùm superbi inferorum spiritus solâ poparum abstinentiâ, & cætero vitæ rigore necdum contenti, universo insuper populo crebra jejunia imperant. Unum ejus generis jejunium est, quod nostris abstinentiis non absimile. Hoc observant in dedicatione sui fani, per quinque enim dies carnibus sibi interdicunt: tota communitas tristitiæ scenam luctuosam præsefert summo cum silentio. Tempus interea insumitur texendis peristromatis ad ornatum templi. Ultimo abstinentiæ die in medio ejusdem fani commune omnibus convivium struitur, omnibus quæ regio fert, obsoniis lautum. Modus autem, quo peragitur hoc symposium, est sequens. Annosior cæteris vetula, & ut videtur, religiosior ad Caciquium procedit, quem capitis, & corporis profunda inclinatione salutat: Caciquius verò terna vice leniter caput vetulæ percutit lapide mirè & lepidè elaborato. Tum illa genibus repens per totum fanum se circumvolvit inter gemitus & inconditos ejulatus. Quo facto Popa Mapono benedicit singulis templi lateribus, quasi consecraturus, tot quidem ceremoniis, quot recensere longum foret. Finitur deni-

que tota hæc consecrationis solennitas magnifico epulo, musicâ, saltatione, & id genus aliis oblectamentis.

Cap XIII. §. 7.

1. Manacici credunt immortalem animam, ad cœlos recipiendam. Exequiæ eorum. 2. Iter animæ defunctæ. 3. Diabolus in specie Charontis animas transvehere creditur. 4. Aliæ ineptiæ de mortuis. 5. Quale cœlum defunctis in eorum opinione.

1. JAm verò si de fine hominis, & salute animæ quæstio sit, variis hi cæci populi erroribus circa id involuti sunt. Equidem immortalitatem animarum credunt, quas Oquipaù vocant: persuasi adeò sunt, se olim vitâ æternâ in cœlis fruituros, quò popa Mapono illos sit translaturus. Quando quis mortem obiit, justa solvunt majore vel minore pompa, pro conditione hominis, & habita apud suos æstimatione. Absolutis exequiis Mater & Uxor defuncti ad fanum se conferunt, & juxta tabernaculum consident: & ecce adsunt extemplò orci spiritus, quorum unus se mortui animam simulat. Hic viduam solatur amicis, & dulcibus verbis, cum spe fore, ut brevì super astra rursus consocientur. Postea Mapono putatam animam frigidâ conspergit, ea ratione à peccatorum maculis ablururus. Perinde ac nos solemus in funeribus Christianis, quibus consecratam aquam aspergimus. Tum verò lustrata anima abit ex oculis Matris, & Conjugis. Mapono hanc utramque violenter ad latus propellens, in altum avolat. Deserta subin fœmina lugere viduitatem suam non antè desinit, quàm nuntium accipiat de mariti extincti statu. Diu pòst reversus popa fert secum bona nova, jubens facere finem planctui, & mœstitiæ, quandoquidem maritus in cœlis jam cum Diis beatus ageret, opperiens uxorem, secum perpetuò lætaturam.

2. Est etiam operæ pretium, narrare profectionem, quam peragit Mapono cum anima eodem die, & quid tolerandum animæ, donec Paradiso inferatur. Regio, per quam iter habet anima abscedens, sylvis, montibus, vallibus plena est: in via occurrunt rapidi, & periculosi fluvii, profundæ paludes, stagna & laci, quibus superan-

dis

dis multi dies necessarii. Tandem post multos anhelitus, & sudores anima defertur ad bivium (ut illi quidem autumant) quod in diversas alias semitas declinat.

Porrò hunc callem intersecat torrens, ponte junctus. Ibi excubat diu noctúque aliquis Deorum, Tatusiso dictus. Ex hujus officio est, ut præter pontem animas deducens, rectà ad cœlum dirigat. Facies, & habitus hujus Numinis est, qualem affingunt poëtæ antiquato Charonti. Ajunt enim, vultum ejus esse macilentum, & maligni coloris, frontem corrugatam, & trucem, caput penitus calvum, totum corpus sauciatum, & defœdatum, nec aliis vestimentis tectum, quàm vilibus centonibus. Hic DEUS nunquam præsens est templo, excepturus clientum preces, quòd officium ipsi tantum temporis non indulgeat. Perpetuò enim adventant animæ, quas per pontem deducat. Fit autem in hac deductione sæpiùs, ut DEUS hic Tatusiso à Maponone petat moram translationis, maximè si animam pueri secum ferat, quò illum in suo alveo abluere antè possit. Quòd si repulsam ferat à Maponone, irâ exardescit, apprehensámque animam in fluvium præcipitat, scil. suffocaturus. Ex his postea oriuntur in terris (ut fanatici credunt) mille mala. Ut verò miseri Indi in hac stulta persuasione confirmentur, obtrudunt damnati spiritus naturales casus, & eventus, quò mendaciis suis fucum faciant, & speciem veritatis. 3.

Contigit id nuper apud populum Jurucares, ubi tam diuturna, & vehemens pluvia institit, ut omnes agrorum fruges destruerentur. Afflictus populus rogabat Maponοnem, Deos ut conveniret, resciturus, quæ tandem causa esset tantæ calamitatis. Responsum fuit illi à malis Geniis, ipsummet nôsse causam, quia nimirum, cùm elapsis diebus animam infantis cœlum versùs efferret, se satis inhumanum erga DEUM Tatasiso exhibuisset, dum lavationem ejus tergiversaretur, atque ideo iratum Numen infantulum in aquas projecisse. Hoc audito parens infantis ita casui indoluit, ut præ mœstitia propè enecaretur. Præ vita enim sua diligebat filiolum suum, & quoniam ejus præsentiâ in vivis frui jam non poterat, sperabat minimùm sui cum illo in cœlis conjunctionem, interim firmiter credens, filiolum jam natare sempiternis in deliciis. Mapono popa ut solatium afferret, sponsionem facit, se, si phaselo instrueretur commodato, filiolum in alveo vestigaturum, & inde extracturum. Nec mora: in 4.

prom-

promptu adfuit navicula à patre, quam Mapono in humeros sublatam, secum abstulit in aëra, jam non videndam, Interim cœlum iterum serenatur, Mapono lætus cum auspicato nuntio redit, sed non item navicula, nunquam de cætero visa.

5. Cœlum, in quo animæ secundùm eorum sententiam quiescunt, admodum indigens est deliciis beatis. Fingunt, crescere in hoc Paradiso ingentes & crassas arbores, quæ liquorem gummi certi generis destillant, quo ipso animæ sustentantur. Ibi esse ajunt, simios, Æthyopibus similes: esse item mel, & aliquid piscium: circumvolare etiam magnam Aquilam, de qua tam ridicula, & superstitiosa credunt, ut cæcitas eorum sit planè digna lacrymis, & commiseratione. Quot mansiones in cælo, tot fingunt habitare inibi Deos, omnes tamen in deliciis superari à Dea Quipocì. Aquaticorum Numinum est, sive Isitaucorum, prospicere toti cœlo piscibus, psitacis, aliisque rebus, ubi maximè deliciantur, qui in aquis vitam finierunt, dicti ideò asinceràs In sylvis mortuos vocant Yiriticùs, domi defunctos Posipacàs. Neque enim in operibus, quæ patrant, vim & meritum reponunt, sed in conditione loci, ubi moriuntur. Atque hæc satis sint de memoratis hactenus Manacicorum superstitionibus, ut conjectare possimus, quantis laboribus, & molestiis steterit, quamdiu P. Lucas Cavallero insudavit in accendenda his cæcis hominibus veræ Fidei Luce.

CAPUT XIV.

§. I.

R. P. Lucas pergit in Missione modò descriptorum Manacicorum.

CUm Apostolicus iste Vir conspicaretur tam idoneam seminando DEI verbo terram, quà ad meritorum suorum incrementum, quà ad animarum lucrum, ne momento quidem tardandum ratus, manum operi admovere contendit. Tamen cùm probè sciret, sibi quoque incumbere necessariam curam tot Christianorum in Colonia S. Francisci Xav. & satius

esse

esse pauciores, sed bene instructos, quàm multos, sed in rebus fidei, admodum rudes habere Christianos, qui quàm facilè fidem suscipiunt, tam temerè eandem iterum deserunt: cùm, inquam, hoc probè sciret Pater, nihilominus statuit potiorem illius anni partem huic sancto labori consecrare. Igitur eò connisus est totis viribus, ut ex dicta reductione omnia scelera, puta, luxuriam, ebrietatem, & barbaros mores radicitus extirparet: è diverso pudicitiam, temperantiam, aliásque Christianas virtutes plantaret. Nihilo tamen minùs pluries excurrebat ad detectas nuper gentes Barbarorum, in baptismi desiderio non tantùm eos retenturus, sed & magìs confirmaturus. Alter finis erat, ut distinctiùs vicorum constitutionem recognosceret, numerum item incolarum, & linguæ formam. Seriò enim proposuerat, anno sequenti pro viribus tentare eorum Ethnicorum conversionem, & ante pluviarum tempestatem altiùs in regionis interiora penetrare. Sed sanctum hoc propositum intervertit cùm frequens Viri infirmitas, tùm etiam, quòd Communitas S. Francisci Xav. mutationem loci peteret, utpote parùm salubris. Has ob causas non ante medium Octobris, quo pluvia tempestas jam imminebat, itineri se committere potuit. Delectos ergo aliquos sui pagi ferventiores Neophytos Dape divina in viam reficit, & in proposito sancto confirmat. Parati enim erant vel vitæ impendio affines sibi populos in viam salutis reducere. Et tamen (ut homines sumus) hoc iter inierunt nonnihil pusillanimes, & subtristes. Persuasi enim erant. rem successu prospero carituram, tum propter instantes, & more annuo diu duraturos imbres, tum propter murices acutissimos per viam stratos à vafris barbaris, ut Virum Apostolicum cum suis absterrerent, at metus iste posterior brevì evanuit, quando superatis aliquot viæ milliaribus illi muricum aculei defierunt. Neque pluvialis tempestas illis incommodabat, ut potiùs aquæ penuriâ laborarent. Dum enim summo labore per duos dies montem aliquem superare contendunt, siti levandæ nihil aquæ repererunt. Ergo ex madida tellure succum exprimere necesse fuit, qui crasse fœculentus videbatur potiùs in cibum, quàm potum homini servire. Providus tamen Deus, suos nunquam in necessitate deserens, nostrum P. Lucam cum Sociis viæ hoc rerum articulo ope non destituit. Fortè fortuna enim intra cavam arborem tantum sinceræ aquæ se obtulit, quantum sufficeret sedandæ omnium siti.

Cap. XIV. §. 2.

1. Pacem persuadet. Periculum in montibus. 2. Inopia victûs. Herba, qua Dii vescuntur insulsa. 3. Diabolus affligit Patrem variè. 4. Zibicæ populi Patrem habent hostis quin Magi loco. Causa hujus opinionis. 5. Conversio Caciquii, & popæ junioris convertit totum populum.

1. Postremùm cùm ad primum bàrbarorum pagum perveneràt, invenit incolas in S. Fidei desiderio constantes. Difficultas maxima in eo una erat, ut mutuas tolleret inimicitias, & pacem concordiámque fundaret. Ad has nempe tricas præter alia mala nutriendas & fovendas irritator erat damnatus Orci spiritus, non sine suo animarum emolumento. Contraiturus P. Lucas consueto zelo inculcabat pacis & mutuæ concordiæ bona, addito, has simultates ab hoste omnis boni nempe Diabolo ortum trahere, qui aliud nihil intendit, quàm illos scelerum socios habere in hac vita, & postmodum apud inferos in æternis Orci flammis. Barbari tam ponderosis rationibus, & Patris precibus moti, sponsionem fecerunt faciendæ pacis non modò inter se, sed etiam cum remotioribus inimicis. Ea causa fuit, cur duos dies eo in loco P. Lucas duraret. Assumptis dein secum aliquot incolis, suum iter longiùs prosecutus est. Accidit aliquando, cùm totum diem in transcendendo monte laborabat, non sine præsenti vitæ periculo: secus ac Indi, quibus non perinde periculum eo loco fuit, utpote assuetis altissimos montes perrepere.

2. Accessit huic discrimini deficiens commeatus pellendæ fami. Hoc animadverso Neophytus, natione Manacicus, ex Commiseratione cibum Patri parare satagebat ex herbis, quas alioqui solent Dii eorum comedere. Verùm, licèt ad ignem diu appositæ, non lixabantur. Fames tamen coqui optimi vices supplevit, ut Pater cibum malè coctum sumeret, adjuncto lepido dicto. Vestri enimverò Dii, inquit, sint valde famelici, necesse est, & stomachi admodum calidi, quòd has escas esitare, & concoquere valeant.

3. Hostis animarum de tanta Patris constantia indignatus, omnem movobat lapidem, ut propositum ejusdem interverteret. Fecit ergo,

go, ut rectam viam modò perderent, modò ex equo præcipitem Patrem solo affligeret, aut unà cum equo humi sterneret: aliàs nec raró incussis arborum ramis vultum viri infestabat, quin & spinosis vepretis totum ejus corpus discruciabat, ita quidem, ut ex equo deponi debuerit; neque enim præ pedum debilitate poterat consistere. Denique tamen vel ringente Erebo ad populum Zibicarum delatus est. Antequam autem vicum ingrederetur, præmisit unum ex comitibus, nomine Namani, fervidum Neophytum, ut quæreret ex incolis, num animum haberent suscipiendæ Christianæ Fidei.

At parùm amicis verbis internuntium exceperunt. Quippe cùm omnes illi, qui priore anno Patrem morti destinaverant, infelici fato, & brevì periissent, Apostolicum Virum infensissimi hostis loco censebant, quin exquisitum magum. Quare ceu hospitem duntaxat admittere non recusârunt, non item, ut Præconem, qui de rebus fidei multa dissereret, ea nempe cautione, ne illis noceret. P. Lucas proin exiguam spem Evangelicæ sementis ratus hac quidem vice propter sinistram de se persuasionem, tam se, quàm Caciquium loci omnipotenti S. Spiritûs gratiæ commisit. Evocato dein ad se Caciquio omni emphasi falsam eximere opinionem nitebatur. Declarabat adeò causam sui adventûs, & ingentia cœli bona, quæ speraret, si modò animum induceret audire & recipere veræ fidei mysteria. 4.

Sub hoc Patris colloquio barbarus homo derepente radium divinæ lucis tam clarum accepit, ut, priusquam esset Neophytus, jam Apostolus ad suos fieret. Redux enim in vicum tot ac tanta prædicavit pro viribus de vera fide, quanta didicerat ad convertendos suos populares. Cùm igitur præter exemplum hujus præconis Caciquii sui: etiam accessionem sui sacrificuli Mapononis populus adverteret, verbis pluribus opus non erat, quò minùs condicerent omnes ad recipiendam Christi legem. Erat hic Mapono filius illius Barbari, qui juraverat, se manus in sanguine Patris lavaturum. Sed mors prævenit impium propositum. Hic ipse junior Mapono à juniore Christiano, cui Jacobo nomen, ad veram fidem perductus erat, quod facilioris fuit negotii. Neque enim cor hujus Mapononis malitiâ inveteratâ depravatum erat, & non magìs ex perversâ voluntate, quàm ex ignorantia veritati manus dare distulerat. Cùm igitur primo mox vespere duo præcipui ex populo veritati agnitæ adstipularentur, proximo statim die universus populus in easdem veritatis partes concessit. Apostolicus proinde Vir 5.

 post-

postquam pluribus verbis disseruisset de mysteriis nostræ Fidei, & de modo vivendi, qui Christianum decet, jussit crucem prætaltam erigi, cujus pedi adstruxit modicum altare. Super hoc posuit effigiem Servatoris nostri Jesu Christi, & illibatæ Virginis Matris, item S. Arch-Angeli Michaëlis. Coram istis Indi in genua prostrati, piè sunt venerati cum clamore valido: *O JESU Christe, tu es Pater noster, & Servator! O Sanctissima Virgo MARIA, tu es Domina nostra, & Mater!* Nec satis erat, pronuntiâsse semel hæc verba, sed sæpius repetebant cum ingenti lætitia, & plausu, quin & saltu, aliísque gaudii signis: in quibus omnibus quidem plus devotæ mentis erat, quàm decoris. Hoc conspecto Christiani Patris Lucæ Socii in gaudii lacrymas proruperunt, dum in conversione horum Barbarorum ad oculum patebat vis Sanguinis Jesu Christi. Sed solatium multo majus fuit, & exultatio in pectore Servi Dei. Itaque jam non par capiendæ internæ dulcedini, coactus est in conspectu Crucis exclamare: *Millenas, O mi Domine tibi gratias ago, quod laborem meum, & sudorem tanto fœnore solveris; nihil enim mercedis alterius expeto, quàm ut omnes creaturæ Te Dominum suum, & Creatorem agnoscant, & adorent.* Quàm hoc magnanimum desiderium optimo Deo placuerit, pluribus non discutiam, ejus tamen sententiæ sum, Deum voluisse remunerari illud, dum cordibus Indorum tam firmam infudit fidem, ut vel catechumeni isti, necdum salutis fonte loti, jam paratos sese ferrent, potiùs vitam, quàm sanctam fidem perdere. Præ cæteris meretur laudem perennaturam constantia unius Mapononis seu popæ, quâ persecutiones orci fortiter pertulit, & superavit. Hoc licèt uno vel altero pòst anno contigerit, tamen breviter potest huc apponi.

Cap. XIV. §. 3.

1. Ringitur orcus ob conversionem populi. 2. Exagitat popam conversum: querelæ ejusdem diaboli & minæ. 3. Quas popa constans in fide ridet. Ideo cæditur à dæmonibus usque ad Sanguinem, & vitæ discrimen. Tantæ constantiæ præmium est subita sanitas à cœlo data Mapononi popæ.

Ringebatur scilicet stygius hostis, se tam contumeliosè ejici ex illa communitate, in qua per tot centenos annos cultus, & adoratus fuerat. Itaque omnes Erebi technas, & furores exeruit, ut has animas per violentiam sibi recuperaret. Quapropter visibili specie præsens adoritur illum Maponon em, nuper fidelem sibi servum, hodie Christianum non exigui fervoris. 1.

Huic igitur exprobravit, quòd usque adeò, quæ sui officii fuerant, negligeret. Causam exquirebat, ob quam à se Numine defecisset, adjecto monito, ut quantocyus ad ipsum reverteretur, munus consuetum obiturus, templo & religiosis oblatis serviturus. *An enim non vides*, ajebat, *quod Caciquius Pagaisa meam aram profanet, sacra vasa comminuat, detestatus insuper meum tabernaculum? An non advertis, etiam Caciquium Potumani magnificum ædificium, quod meo honori dedicaturus erat, imperfectum destituisse? Hi fanatici homines ultrò sibi voluerunt imponi per ineptas affanias unius proditoris veteratorii, qui vos miseros præstigiis dementat, qui pro veris mysteriis vendit meras fabulas, dolos, & nugamenta. Revertere proin ad meum obsequium, corrige commissos errores, reduc gentem sub meam potestatem, & ipsum Caciquium in viam pristinam. Quodsi hoc præstare abnueris, juratum esto, nos totam gentem populaturos, & perdituros ita quidem, ut tota regio his malis obstupescens, similem porrò defectionem non sit tentatura.* 2.

Has autem minas universas animosus Juvenis solo risu excepit, & quamvìs nequam spiritus omni modo instaret, ut populo intentatas has calamitates promulgaret, nunquam ad hoc junior Mapono induci potuit. Post hanc repulsam dici vix potest, quàm acerbè Satanæ superbia fuerit irritata. In vindictam proinde efferati inferorum Genii optimum juvenem fustibus tam crudeliter exceperunt, ut sanguis 3.

ex ore, & naribus proflueret. Sub hac immani verberatione, licèt vita Juvenis periclitaretur, constantia tamen ejus in fide à periculo longè aberat. Usque adeò profecerat veræ fidei virtus in hoc Neophyto sub directione Religiosi Patris Lucæ, & concurrente S. Spiritûs gratiâ. Erat amicorum unus, qui persuadere satagebat, ut saltem externum haberet honorem, atque adeò cum Caciquio ageret, ut inchoatum profanum templum perficeretur. Sed Juvenis hoc petitum indignè ferens, pessimum Consultorem à se abegit, protestatus, malle se vitam perdere, quàm vel latum unguem cedere à Lege Jesu Christi, quem unum verúmque Deum ac Dominum suum modò agnosceret. Tam egregiam recentis Christiani virtutem prœmio dignam superi censuêre, qui proin hominem subitò integræ sanitati, & pristinis viribus restituerunt. Sed in viam historiæ modò redeamus.

Cap. XIV. §. 4.

1. P. Cavallero adit Quiriquicas ad pacem sanciendam cum inermibus sociis Indis. 2. Charitas horum erga Patrem famis tempore. 3. Adventum Patris dæmon antè prodit inter querelas contra eundem, simul ad arma vocat. 4. Mapono popa ex ipsis querelis diaboli, Patrem timentis, convertitur.

1. Lustratis igitur sacro fonte infantibus, quotquot sive in hoc sive in aliis vicis repererat, statuit Pater adire Quiriquacas Indos. Sed Neophyti, quos in viam sibi Socios volebat, difficultatem itineri prætexuêre, quòd hyems scil. instaret. Apostolicus tamen Vir tanta emphasi illis explicavit dandam à Deo olim in cœlis mercedem ejus laboris, ut singuli se certatim offerrent non modò ad hoc negotium suscipiendum, sed etiam vel Sanguinis sui impendio perficiendum. Sola ergo difficultas restabat, in persuadendo Caciquio Patozi dicto, ut cum suis veniens viam per densas sylvas sterneret, ut pacem quoque cum Quiriquicis iniret. Memoratus enim Caciquius non sine causa capiti suo timebat ab his Quiriquicis, quippe qui adversùs ipsum implacabili odio dudum ardebant. Amor tamen in Patrem evicit, ut ad hoc iter condiceret. Itaque assumpto secum

cum non exiguo militum suorum manipulo Patrem sequebatur. At Pater ad Caciquium versus: *tu verò*, inquit, *his militibus ad tutandam tuam vitam utaris*, *licet*: *ego sanè hoc præsidio non indigeo*, *paratus vitam cum sanguine dare*, *si vergat ad divini honoris*, *& animarum lucrum.* Hoc insigni exemplo animati Neophyti, itineris Socii, arma seposuerunt, ad omne tamen discrimen expediti. Ne verò eorum quis fervorem suum minueret, superiorem constituit ex Indis, quem pietas, & probati mores omnibus amabilem gratúmque fecerant.

His ita dispositis itineri initium datum est, quod primis statim 2. diebus sat operosum accidit propter impeditas sylvas, per quas via fuit complananda. Accessit dein defectus annonæ, quando ad victum suppetebat nihil præter sylvestrem certi generis fructum, non nisi extremæ fami aliàs serviturum. Hæc enimverò occasio dedit experiri P. Lucæ, quanto in amore, & æstimatione esset apud Indos. Cùm enim Patrem viribus fractum viderent, magna solicitudine in sylva modicum mellis reficiendo Patri collegerunt, quia vel ultimam bucellam, proprio ori subtractam, offerebant, modò Patri esset, unde vitam toleraret. Viciniores pago prædicto facti, ex Christianis aliquos præmiserunt, terram & animos incolarum exploraturos. Inobservati ergo parabant subire pagum clanculum, ne Indi terrore perculsi, fortè fugâ abriperentur.

Sed non ex vano Caciquius Patozi his prædixerat, omnem cau- 3. tionem fore supervacuam, cùm certò certiùs proditi jam essent à diabolo sacrificulis, & per hos Caciquiis. Et verò, ut præcaverat, evenit reipsa. Nam cùm populus paucis antè diebus ad litandum Diis de more convenisset, Numen quidem Tartareum in tabernaculo se spectandum dedit, sed vultu perquam tristi. Edixit dein flebili voce, appropinquare suum infensissimum hostem, à quo ex aliis quoque locis fuisset exturbatus. Et hic quidem ipse (addebat) manibus præfert crucem, quæ sibi certo esset exitio. Post has querelas subitò prorupit in lamentabiles ejulatus & ploratus, tanquam sibimet comparetur, ignorans, quò jam abscederet, ubi deinceps securam sedem figeret. Arma proin actutum corriperent, ipsum totis viribus defensuri: sin minùs, fore, ut in vestigio ceu mortuus concideret. Hoc audito, mirum dictu, quàm derepente populus exarserit. Conclamatur ad arma, juratur in perniciem illius, quisquis contra ipsorum religionem aliquid moliri fuerit ausus.

Ali-

4. Aliter sentiebat Mapono popa, qui secum ita reputabat, illum profectò Virum magnum, imò majorem suis Diis esse oportere, quem usque adeò reformidant. Idcirco responsum Numinibus suis hoc dedit. Si hic quidem Vir peregrinus vester est hostis, cur tam libero passu procedere illum sinitis? cur vivum & valentem toleratis? quare non tam procul à vobis abigitis, ut porrò nihil ab ipso timere habeatis? si nostro præsidio & armis opus est vobis, ubi tandem est vestra toties jactata potentia? Vel ergo vos jactatis tales, quales non estis, vel certò estis, quales haberi non vultis. Hæc rationi tam congrua conclusio id effectum dedit, ut Spiritûs sancti gratia apertum in cor hominis aditum inveniret, & ex inferorum mancipio Angelum, & hæredem Cœli constitueret.

Cap. XIV. §. 5.

1. Visis nostris fugiunt Barbari. P. Cavallero insequitur profugos. 2. MARIÆ effigies ostensa barbaros arcus enervat. 3. Delubri aras, & alia Pater evertit, aut comburit. 4. Comites Patrem deserunt paucis exceptis. 5. Breviarium putatur liber magicus: mors Patris designatur, sed metu avertitur.

1. CAciquius interea cum primariis populi contendebat omni nisu, ne nova religio ipsis induceretur. Subverebantur nihilominus, ne hoc suum decretum ipsis fraudi & damno foret, cùm vel ipsos Deos præ metu trepidare viderent. Dum ergo populus armatus in procinctu stabat, appropinquans erat noster Apostolus cum Caciquio Patozi, & duobus aliis ferventissimis in fide Juvenibus, cæteris ex intervallo resistentibus. Vixdum autem exploratores conspecti sunt, cùm incolæ horribilem clamorem sustulerunt in regionis Interiora citatis pedibus abrepti. Fugientes presso vestigio insecutus est P. Lucas in equo, quem admittere coactus est, cùm plura pedum suorum vulnera gressum prohiberent. Postquam pagum ipsum attigerat, residui indigenæ sese redegerunt in ordinem, tum obviàm euntes Patrem circumdederunt, ne fugæ pateret locus.

In

In eo periculi articulo dum hærent noſtri, Neophyto juveni in mentem venit, ut effigiem Beatiſſimæ Virginis MARIæ expromeret, & palàm oſtentaret cum fiducia, ſe à potenti hac mundi Domina in præſentiſſimo eo periculo pro viribus defenſum iri. Et hem! ſacram effigiem ſuſtollere, & Indis monſtrare, aliud non erat, quàm eâdem operâ Barbaros enerves facere, ut nemo unus eorum telum ex intento jam arcu jacere valeret. Id ubi obſervârunt Barbari, ita territi ſunt, ut præcipiti fugâ ſeſe in ſylvam, haud procul diſſitam, reciperent, nemine prorepere auſo. Unus unicus juvenis nomine Sonema DEO ſic ordinante remanſerat, qui poſtmodum ad converſionem ſuorum popularium plurimùm contulit. 2.

Altero mox die Vir DEI, quoniam læſis, & debilibus pedibus inſiſtere non poterat, ad Deorum fanum voluit deportari. Nullo enim pacto tolerandum putabat, infernos hoſtes obtinere tabernaculum, & in loco, qui uni & ſoli DEO competit, divino ritu honorari. Ubi ergo in templum venit, ſtatuas impiorum Numinum humi ſtravit, in fruſta comminuit: vaſa ſacrilegis Deorum officiis deſtinata, aliáque id genus res in forum deferri, & in cineres redigi juſſit, non ſine ſtupore Neophytorum, metuentium, ne à Barbaris irritatis obruerentur, ulturis Deorum injuriam. 3.

Biduum abierat, ex quo tamen nullus Barbarorum è ſylva prodire auſus eſt. Spem igitur pacis cum hac gente firmandæ Caciquius Patozi perdidit, qui ſcopus unicus itineris ſui fuerat. Suadebat proin Patri reditum omni, qua potuit, ratione. Verebatur enim, ne tota hoſtilis tempeſtas in illum incumberet, ſolum iratis Indis victimam futurum. At P. Lucas repoſuit, rediret enimverò cum ſuis domum: ſe autem decreviſſe, ut ne unum quidem paſſum inde recederet, niſi fidem Chriſti huic genti antè prædicâſſet etiam cum diſpendio vitæ. Retrogreſſo dein Caciquio Patozi quinque tantùm, ſed pii, & à fidei fervore commendandi Juvenes reliqui fuerunt Patri, omnia toleraturi, & ipſam mortem, ſi modò ad ſalutem hominum faceret. Cùm ergo Pater omni humana ope deſtitutus, & ſolo DEO nixus ſubſiſteret, recitandis Horis Canonicis ſe applicuit. 4.

Orante illo improviſus adeſt Caciquius pagi illius, vir non indecoræ formæ. Hic ſuſpicatis illo libro contineri incantamenta, quibus ſuſpenſæ nuper fuerant eorum ſagittæ, vi breviarium è manibus extorquere nitebatur. Sed Pater nutibus, & ponderoſis tamen verbis 5.

usus, à proposito Barbarum avertit, unáque sinistram suspicionem tollere conatus, de Christi fide fari cœpit, de inanitate item & fallaciis Deorum Tinimacas. Audiit hæc Barbarus, quin interloqueretur, vel vi divina prohibitus, vel ex indolis suæ constitutione. Audiit, inquam, Patrem, sed obverso tergo, nec oculo dignabatur loquentem. Tandem domum suam discedens post moram rediit cum fasce sagittarum in manibus. Hoc viso Christiani de vita sua jam desperare, spem effugii deponere: Contrà Apostolici Viri cor præ lætitia exsilire ex proxima spe tandem consequendi, quod tam diu, & ardenter concupierat, nempe mortem cruentam ad irrigandas has steriles terras, olim accedentibus novis operariis fructus uberes laturas. Et verò parùm abfuit, ut votis suis non potiretur. Primores enim sub noctem congredientes diu deliberârant, qua tandem ratione res conficeretur. A mactando Patre absterrebat illos duntaxat illud prodigium, quo vires eorum paulò antè erant infractæ ad expedienda sua tela. Ne simile quid ipsis iterum eveniret, id scilicet timebant, siquid maleficii in Patrem statuerent.

Cap. XIV. §. 6.

1. Patris necem meditantes peste pereunt. Hoc ipsum movet ad conversionem, quam jurat Indus Sonema nomine. 2. Se dedunt arbitrio Patris. 3. Mapono popa non tantùm conversus, sed & Apostolus.

1. ULtor tamen Deus nondum placatus, post priorem injuriam servo suo illatam alias insuper pœnas à Barbaris exegit. Immissa enim peste eos, qui magìs rei erant, festinato fato è vivis sustulit. Tum verò decreverunt tandem sese Patri dedere. Ut hoc concluderent, non leve momentum attulit ille Indus Senoma, de quo suprà. Nam dum collecti barbari consultabant, concioni medium se intulit, multa dein locutus honorificè ad laudem Patris, & Christianæ fidei, cujus aliquam notitiam jam acceperat.

2. Constituerunt ergo unanimes repetere sub auroram suum pagum, séque totos potestati Patris & arbitrio permittere. Summo proin manè se P. Lucæ stiterunt, qui venientes more suo excepit vultu, gestúque

que peramico & amabili. Crederes hos Barbaros in facie Patris aliquid humano majus notâsse, quo ad tantum pavorem, & reverentiam erga Patrem deducti erant, ut in genua quisque procideret, quasi veniam rogaturus. Certè nullus eorum, etiam ex audacissimis, vel unum passum recedere præsumpsit citra petitam à Patre licentiam. Omnium ultimus advenientium erat Mapono, qui pariter cum suo comitatu Patris pedibus est advolutus. At Pater virum ambobus brachiis complexus, jacentem erexit, & ad latus suum considere fecit. Post hæc demum initium dedit loquendi de rebus fidei. Monstrabat, neminem mortalium sine veri DEI agnitione, & Fidem in JESUM Christum salutem consequi posse. Majore dein fervore de falsitate suorum Deorum disseruit, prout sancta indignatio dictabat. Stabat universus populus mirè attonitus, & avidissimè exspectabat rei exitum, experturus, an non popa Mapono irâ excandesceret, suósque Deos facto magìs, quàm verbo defenderet.

Secus alii sperabant meliorem hujus congresfsûs finem, nec spe sua frustrati sunt. Sacrificulus enim ex allocutione Patris tantum lucis dante DEO hausit, ut propositas Fidei veritates acri suo ingenio mox caperet, & oretenus publicè confiteretur. Ut autem palàm daret, se omnia ex corde sincero & serio dixisse, coram omni populo professus est, quòd hactenus ipsos deceperit, & ipsusmet fuerit deceptus. Velle se proin, ajebat, omnia seriò revocata, ac tanquam falsa publicè declarata, quæcúnque usque adhuc illis deblaterâsset, atque inculcâsset, nullum adeò alium verum esse DEUM præter JESUM Christum, cujus religio non modò melior suâ Indicâ, sed etiam una unica, vera, & salutis Magistra. Addit se ad corrigendos errores antehac commissos, non tantùm sui authorem fore, ut Christianam Legem acceptent, verùm etiam curaturum, ut aliæ quoque gentes, nominatim Jucucarès, Cozacas, & Quimiticas sua prædicatione ad Christianam veritatem reducerentur. Tam insperatus, auspicatúsque eventus tantam lætitiam creavit Neophytis, & viæ Sociis Patris Lucæ, ut in festivum clamorem prorumpentes, Mapononem collotenus amplexarentur. Sed nulli par gaudium, & solatium æquè fuerat, ac Viro DEI Patri Lucæ, cùm reputaret, unius hujus Viri Maponionis prævio exemplo conversionem pendere totius populi. 3.

Cap. XIV. §. 7.

1. Barbaris mirè conversis crux solenniter erigitur. Litaniæ cantantur attonitis Barbaris. Infantes primò baptizantur ingenti numero. 2. Abitus Patris Barbaris Catechumenis prorsus illetabilis.

1. Quare in vestigio præcepit Pater fabricari crucem, cum qua dein instituto ordine ad forum processerunt omnes, ubi loco aptissimo est defixa, tanquam trophæum victoriæ, à cœlo contra inferos obtentæ, & velut pignus aditæ à Christo possessionis in ista regione. Erecta itaque cruce Christiani litaneuticum cantum geminato choro intonuerunt. Barbari, qui musicum ex arte concentum suâ vitâ non audierant, ita obstupefacti sunt, ut se cœlo jam frui opinantes fixis oculis & auribus starent attoniti, ac velut extra se rapti. His ita peractis jussit Apostolus noster sibi afferri infantes, ut sacro lavacro renascerentur. *Confestim* (verba sunt P. Lucæ in sua Epistola) *apportârunt ad me copiosum adeò parvulorum gregem, ut iis tingendis solidum diem impendere opus habuerim. Lassatum equidem est eo labore corpusculum, at spiritus interim in gaudiorum pelago natabat, cùm pensarem, tot infantium animulas uno die factas esse veros hæredes, & filios DEI: parentes autem eorum in fervidos Christianos migrâsse ex cæcis nuper Ethnicis, & dæmonum cultoribus. Nullus eorum à meo latere volebat cedere, sed omnes avebant circa me esse, ut exactè perdiscerent ad vitam æternam necessaria.* Moratus est Pater aliquot dies in hoc vico, ut incolas in fide magìs confirmaret.

2. Abitum dein paravit, qui cujusmodi fuerit, meliùs ex ipsius Patris verbis discemus. *Cùm recessurus iter aggrederer* (scribit) *universus populus mea vestigia pressit; inter planctus, & lacrymas post me clamabant: O Pater, ut quid nos misellos sic derelinquis? Cur à nobis recedis? ah! miserere nostrûm omnium, & quàm maturrimus potes, te refer ad tuos filiolos. Quin & ad meos itineris Socios accurrebant, rogantes manantibus lacrymis & lamentabili voce, ut celerrimè Patrem reducerent. Mihi quidem qui sensus fuerit eo in articulo, explicando non sum. Indi interea pergebant me insequi & clamare: sed ego præ lacrymis, & interni solatii abundantia nec verbulo ipsis respondere poteram. Equidem me aliquoties inver-*

verteram illos allocuturus, sed verba mihi dulcis fletus suffocabat. Reliquum erat id unum, ut silens in corde DEI O. M. potentiam laudibus extollerem, qui tam facili negotio humana pectora movere, & nigerrimos Orco devotos titiones in nitidas, cœlestésque gemmas transmutare potuit & voluit. Finem non faciebam in deosculando Christo Crucifixo, ejusdémque Sacris vulneribus, ex quibus probè nôram fluxisse tam fortunatum hujus Missionis exitum. Parvulorum plusculi sese obtruserant, mecum ut illos assumerem, futuros ad templi Servitia: sed tres eorum tantùm delegi, ne socios viæ nimiopere onerarem. Huc usque ex epistola P. Lucæ. Post triduum pervenit in pagum sibi tam devoti Caciquii Patozi, à quo cum ingenti lætitia perinde ac redux ex altera vita exceptus est. Sed diuturniorem hîc moram facere non poterat ob imminentem pluviam tempestatem. Itaque ad Coloniam S. Francisci Xav. progressus est summo dolore eorum, quos deserere oportebat.

CAPUT XV.

P. Lucas revertitur ad Manacicos. Visitat singulos eorum pagos, & alia viâ redit ad S. Xaverii Reductionem.

§. I.

1. Forma regionis: anhelat Pater Cavallero ad Chiquitos. Excipitur amicè à Zibacis. 2. Pacem sancire satagit feliciter. 3. Tum verò prædicat Evangelium jam bene paratis. Fidei articuli cantantur. 4. Deipara invocata, & uni quidem Catechumeno etiam spectabilis: ægros sanat plures ad Fidei incrementum

1. PRoposuerat Vir Apostolicus omnes Manacicorum Communitates percursare, & lustrare, perdifficili sanè labore, cùm ubique nihil magìs ageret, quàm ut idololatriam non modo proscriberet, sed & funditus pessumdaret, & deleret. At hoc propositum exequi non poterat ante ver anni 1707. Cùm itaque, ut suprà diximus, regio hæc pyramidi, seu acuminatæ in triangulum columnæ assimilata, extremis duobus cornibus seu lateribus sit contermina terris Chiquitorum, statuit totam Regionem usque ad populos Aruporès, pervadere, aperturus duos aditus, & vias ad Chiquitos. Grave profectò, & heroicum consilium, innumeris molestiis, & ærumnis exantlandis implicatum. Potens tamen Deus, cujus unius augenda gloria ejus negotii cardo fuit, non tantùm Viri desiderio est velificatus cum bono successu, sed & voluit manifestè patere, quàm cordi sibi sit hic labor Apostolicus. Confirmare enim dignatus est Patris zelum multis prodigiis, naturæ vires transcendentibus.

bus. Nempe ut ad ulteriores porrò labores Patrem animaret, & unà Neophytos in fidei proposito confirmaret. Novo igitur accensus zelo, selectis sibi Neophytis aliquot, vel sanguine suo fidem asserturis, denuo iter ingressus est 4. Aug. 1707. Festa Lucæ Assumptæ B. Virginis MARIÆ attigit ripas fluminis Zununacæ, & paulò pòst pagum populi Zibacæ. Exceptus est cum omni amoris & benevolentiæ significatione. Nam loci Caciquius Potumanì non duntaxat providit abunde piscibus, verùm etiam itineris socium se addidit ad suos aliquot dierum profectione dissitos subditos. Ibi imperavit, ut transituro Patri viam pararent, & complanarent. Interim quot diebus subministrabat sufficientem cibum & potum, donec Pater ad propriam Caciquii coloniam evaderet. Hîc obviàm ivit totus populus, juvenes & senes, viri & fœminæ, etiam matres cum pusionibus, brachio sustentis. Et verò Caciquius decóra allocutione hospitem bene venire jussit, ut non modò nihil barbariei sonaret, sed multum etiam urbanitatis. Posteaquam Pater ad forum delatus est, circumdederunt eum indigenæ cum gestibus omnino amicis, & eo vultu, qui doceret, quàm gratus ejus lætúsque adventus ipsis accideret. Oscula figebant manibus, orantes, sibi ut Sacerdos benediceret.

Dum Pater advertit, rem tam bono loco esse, nullam occasionem negligendam ratus, initium mox fecit disjiciendis inimicitiis. Diffidebant enim extremè cum altera gente, Ziritucas dicta, ut adeò inter utramque partem sancire pacem omni modo conaretur. Hostilitas tam enormis erat, ut non nisi cædes, depopulationes, eversiones spiraret. Sevocato igitur ad se solo Caciquio ostendit, quanto odio execraretur Divinum Numen has simultates. Inculcato proin consilio suo auctor eidem fuit, ut cum suis hostibus de pace transigeret, & deinceps amicitiam coleret. Vicissim etiam gens Zirítucarum supervenit, afferens, & multas, & magnas querelas adversùs Zibicas. Quin Patrem adorti poscebant, ut eò permoveret hostes, quò illata damna resarcirent, simul ablata, & adhuc possessa bona redderent. His auditis egit vicissim cum Zibacis, qui loquentem demissis capitibus auscultabant. Neque verò aliud pro causæ defensione prætexebant, nisi præcipitem iram, qua præter æquum egissent. Nunc autem se nihil potiùs velle dicebant, quàm mutuam amicitiam. Illud tamen exceptum volebant, ne restitutio ablatorum reposceretur; quandoquidem hos ipsos suos hostes per novem admodum annos fu-

ßentâssent. Huic autem petito non annuit Pater, ut potiùs bonorum restitutionem urgeret. Nulli tamen, etiam qui summæ alioquin audaciæ, Patri vel unico verbulo refragari præsumpserunt. Vigebat nimirum adhuc metus incussus à supplicio, quo Deus illatam Patri injuriam priori anno ultus est.

5. Postridie collegit in foro populum, & sub exaltata Cruce Christianam legem explicans, docuit Dei præcepta, ad quæ servanda tenerentur. Et verò Indi cum gaudio exceperunt Verbum Divinum, ut altùm clamare non semel inciperent, & execrari sua inania Numina. Non alium jam Deum, ajebant, agnoscimus præter Jesum Christum: nec alia deinceps Mater nostra sit, quàm sola Beatissima Virgo Maria. Ut autem tradita fidei dogmata profundiùs memoriæ imprimerentur, atque hærerent, patriâ eorum linguâ in rhythmum articulos fidei redegit, quos dein à Neophytis publicè decantari voluit, sed enim in hujusmodi cantilenis falsos eorum Deos contemptim suggillavit. Quæ quidem omnia simplici populo ita placuêre, ut præcini sæpiùs cantionem sibi postularent: nec cantoribus antè otium dederunt, quám cantiones has è memoria canere didicissent.

6. Cæterùm hæc gentis facilitas in recipienda fide non tam ortum traxit ex Apostolica Patris prædicatione, quàm ex gratia & misericordia Beatissimæ Virginis Mariæ. Hæc enim insigni miraculo ex durissimis cordibus fœcundam creavit terram, quæ non modò sementem Verbi Divini suscepit, sed uberes etiam fructus tulit. Miraculum autem est ejusmodi. Zumacaze hujus loci incola, & consanguineus Caciquii ibidem, diu & periculosè decumbebat ex hectica febre, ut semianimis jaceret, ab omnibus more Barbarorum tanquam insanabilis desertus. Quare Zumacaze perditâ jam vitæ spe, ne sine baptismo decederet, cariturus æternâ etiam vitâ, reliquam omnem spem in Beatissima Virgine Maria reposuit. Hanc proin sæpiùs in vota vocans: *O mea Mater*, inquit, *& Domina! Credo Te veram esse Matrem, & Dominam populorum omnium: Deam autem Quipozi non nisi damnatum spiritum esse, atque Erebi titionem: Credo in Te, & in Filium tuum JESUM Christum efflictim orans ex toto corde, ne fieri sinas, ut ego etiamnum ethnicus moriar, & æternum peream. Indulge mihi duntaxat tantum virium, & valetudinis, ut sacro fonte ablui, téque postea in cœlis intueri possim.* Mater Misericordiæ non potuit repulsam dare justissimis devoti sibi Servi precibus: quamquam Christianus nondum esset.

esset. Igitur ægro tam piè secum meditanti & loquenti adest derepente spectabilis cœlorum Regina, & quidem de die, circumfusa tanto luminis fulgore, ut totus loci ambitus insolito modo illustraretur. Ægrotum dein his amicis affata verbis: *Ego sum illa*, ait, *cujus opem invocas: confide firmiter in Filio meo, quòd sis sanandus. Fidem habe omnibus his, quæcunque Pater dixerit: sed & cæteris in pago dic, ut per omnia Patri obtemperent.* His dictis Beatissima Virgo videri desiit, & æger eo momento penitus convaluit. Accurrit omnis populus tantum prodigium spectaturus, & ubi causam tam repentinæ sanitatis percepit, dici non potest, quantis desideriis, ut Christiani fierent, anhelârint. At benignus Deus hoc miraculo solo suam bonitatem non circumscripsit. Cùm enim populus tam felicem rei eventum vidisset, omnes ægros ex universo pago obtulerunt cum dicto: quandoquidem Pater tam potentem Deum haberet, impetraret proin, & his sanitatem ab Eodem. Pater Sentiens Superos pronos ad conferendas huic genti gratias, & hos miseros unà cum corporis valetudine etiam sanitatem animæ consecuturos, quærebat ex ipsis simul, & universè sumptis, utrum totò corde in Christum crederent? & sacro baptismo initiari cuperent? Vox omnium una fuit eáque elata: *Credimus ex toto corde, nec ardentiùs quid desideramus, quàm baptismum. Tum verò ego sanctum Evangelium in eorum salutem legi* (ita scribit ipse P. Lucas) *& subitò me internus incessit impetus dicendi: fiat vobis, sicut credidistis. Et hem in vestigio omnes resurgunt sanati. Hoc prodigium extemplo increbuit per omnem latè circumjacentium vicorum viciniam. Atque utinam plures id genus gratias possem à DEO impetrare, quando ea occasione Christiana fidei veritatem vel nolentes essent agnituri, atque adeò discrimen inter falsos Deos suos, & verum DEUM palpaturi.*

Hæc P. Lucas.

Cap. XV. §. 2.

1. Jurucarès idololatras adit: Dæmon ejus adventum inter querelas prædicit: fugiunt Barbari. 2. Persuadentur ad reditum, imò ad fidem. 3. Crux erigitur: adoratur: idololatria dedocetur. Popa primarius præit suos populares. 4. Proteruntur, comburuntur ad idololatriam spectantia.

1. Postquam infantium turbam baptismi undâ purgârat, rogatus est à Caciquio, & primariis è populo, ut P. Lucas ad Jurucarès se conferret, qui multo jam tempore hunc terræ tractum depopulati, plures vicos evertissent. Concessit Pater in vota eorum, haud ignarus, Jurucarès diabolo admodum devotos vivere, & inde spem sibi Martyrii fore. In discessu gaudium populi in luctum maximum transiit; omnes flentibus oculis abeuntem prosequebantur, nec finem faciebant exosculandis manibus, ita quidem, ut ipse Caciquius, hujus abitûs auctor, afflicti populi misereretur. His tamen id solatii Pater reliquit, brevì se reducem fore, & si hoc non posset, se minimùm sui locò alium Socium missurum. Triduum consumpsit in itinere, in quo intensissimos solis calores, & inexplicabilem sitim toleravit. Tertio demum die autumabant quidem se adhuc distare procul à populo Jurucarès, sed insperatò deprehenderunt, se jam pertigisse pagum. Quocirca reputans, suum adventum incolis celari non posse, viæ Sociis præmonstravit evidens vitæ periculum ab hostibus Christi, nisi Deus protexerit. Itaque ad eliciendum de suis peccatis dolorem excitavit, quo facto omnes universè absolvit. Conspicatus hoc unus è paganis, procidit ante pedes Patris, supplicans, ut se Christianæ Communitati assereret. Delectatus hoc casu est Vir Dei eo magìs, quò clariùs videbat, illam esse mutationem dexteræ Excelsi. At non inexspectatus, ut rebatur, incolis pagi adveniebat P. Cavallero. Nam biduò antè ejus adventum ex diabolo didicerant, posteaquam Pater suum huc iter jam ingressus erat. Quando enim congregati erant, Diis suis immolaturi, questus suos eapropter prodidit unus Deorum, Uragozoriso dictus. Manantibus enim oculis ingemiscens: *Nunc nunc*, inquiebat, *è loco hoc mihi migrandum est*, *ubi*

ubi tanto tempore fui adoratus. Pellor hinc ab uno maximorum hostium meorum, qui jamjam appropinquat, manu præferens certum lignum. (S. Crucem nempe innuebat ater spiritus, quam Patres Missionarii solent manibus gestare) *Hoc lignum autem nec oculo tenus ferre possum.* Auditis his querelis populus sexcentis immolationum modis miserrimo Deo suo solatium afferre satagebat. At ille cum Sociis Orci geniis tergum litantibus obvertit. Ejulabant omnes & plorabant cum inconditis lamentis desperantium in morem. Hæc tragica scena universo populo ingentem terrorem incussit eo usque, donec malignus spiritus in grandiorem se avem transformavit, & advolans Caciquium admonuit, ut fugâ se subduceret, quam etiam arripuit cum Mapono, & potiore popularium parte, in abstrusas sylvas, & ferarum antra transgressus. P. Cavallero interea in alio pagi latere instructus manuali Cruce, & Christianis aliquot comitantibus supervenit. Hoc conspecto residui Barbari ad fugam jam parati, se quoque quàm velocissimè abstulerunt. A Patris Sociis tamen aliqui retenti sunt, id quod propemodum unius vitâ stetit. Nonnemo enim Barbarorum eo facto irritatus, saxeam suam asciam expedivit, lethalem ictum Capiti Juvenis Christiani daturus, nisi protegente cœlo plagam decumanam ille declinâsset, multis partibus in capite quassandus. Nitebantur equidem nostri lenibus, & amicis verbis Barbaros delinire, & conceptam de se suspicionem, quam nequam Genius instillârat, illorum animis eximere, sed incassum.

Interim P. Lucas Juvenem serena facie, & liberali forma conspicit. Hunc omni arte Apostolica blandè aggressus, sibi conciliare studuit, datis etiam variis munusculis, quæ huic genti grata, & magni æstimata sciebat. Ita donatum dimittit in sylvam ad suos populares. Vix illuc pervenit, cùm Deus tantam amoris flammam erga Patrem in corde Juvenis accendit, tantámque in ejusdem os eloquentiam dedit, ut primò quidem aliquot eorum, paulò pòst universos in suam sententiam traheret, secum scil. redituros ad Patrem, in eorum pago subsistentem. Principiò quidem, postquam aderant, suspectabant Patrem ceu portentum ex altero orbe. At ubi adverterunt ejus amica verba, & amabilem ejus agendi modum, evanuit omnis eorum terror, cui aliquis sensim amor successit. Recordabantur nempe insani ejulatûs, & planctûs, quem ediderant eorum Dii, sic argumentantes secum, debiles enimverò, miserósque esse 2.

 opor-

oportere ſuos Deos, qui ne uni quidem Viro iſti ſatis reſiſtere valerent. Tandem cum Sociis Patrem amicè acceptum, in ſuum hoſpitale tectum deduxerunt.

3. Poſtero die populum ad Crucem collegit, quam fieri Pater præceperat: explicavit fidei Chriſtianæ arcana, & mandata, obſervanda omnibus: inanitatem, & vanitatem Numinum fictorum, & æquè fallacium Poparum. Ex his popis natu maximus ita illuſtratus, & motus eſt, ut palàm, liberéque ediceret, ſe totam vitam ſuam in ſceleribus exegiſſe: ſe hactenus populum malo dolo dementâſſe ſolius victûs gratiâ. Hæc popæ, & inprimis verba Patris populo ſummopere placuerunt. Omnium gratiſſima tamen fuit narratio de condito orbe, de peſſimorum ſpirituum defectione, quos modò orcus habet, & quos antehac ſingulari cultu, licèt veri Dei hoſtes, tamen ſuperſtitiosè adorâſſent. Pergebat per dies aliquot hanc Chriſti doctrinam promulgare cum guſtu, & emolumento audientium.

4. Et quoniam videbatur Patri adveniſſe jam tempus præcidendi omnem anſam relabendi in avitas ſuperſtitiones, juſſit coacervari conopeum, vaſa, ſiparia, & id genus alia, ſacrificiis profanis nuper adhibita. Hæc ipſa poſtmodo in contemptum pedibus conculcata, luto, & ſordibus injectis inſuper dehoneſtavit, denique flammis dari juſſit. Exemit ab incendio inſtrumentum Mathematicum, ære fabrefactum in uſum aſtronomiæ, quod ipſum repræſentabat Solem, & Lunam cum cæteris Zodiaci ſignis. Et hæc quidem machina Aſtronomica donum erat diaboli, qui aliquot antè ſæculis huc attulerat. Poſt horum combuſtionem ierunt Barbari in lætas choreas, & cantiones, ipſis conſuetas.

CAP. XV. §. 3.

1. Zibacæ Neophyti cum suo Caciquio promovent rem Christianam. 2. Jurucarès ad pacem faciendam permòventur. 3. Quiriquicæ putant, Patrem esse pestis suæ causam. Refutatur stulta opinio inimici in Patrem injurii, morte puniti.

CÆterùm ad conversionem hujus populi non modicum contulit alius pagus, nempe Zibacarum, quorum Caciquius in laudem Christianæ legis tot, & tanta dixit, ut dubitandum non sit, talia verba à Spiritu Sancto in ipsius linguam fluxisse. Ita enim erant constituta, ut ipsimet P. Lucæ admirationem crearent. Non multò minora in eodem laudis genere faciebant subditi, qui ob instantes labores non diutius morari poterant, sed Patri vel inviti valedicere debuerunt. Hanc avulsionem ipse Pater suismet verbis sic narrat: *Explicare non possum, quantis cum singultibus, & lacrymis Zibacæ populi à me fuerint digressi: sed & mihi dolebat intimè hæc discessio. Tamen & illos & me solaturus, spem feci, me proximo anno reversurum ad pleniorem eorum instructionem in fide.* Quàm ferventem populus Zibacàs sese exhibuit, tam ardens vitæ Christianæ desiderium præseferebant Jurucarès, qui tanto insuper in Patrem amore flagrabant, ut nihil non durum, & grave in gratiam ejusdem in se suscipere parati starent. 1.

Admonuerat illos, ut arma ponerent, & cum propinquis gentibus pacem inirent. Neque ullus erat, qui vel mutire contrà auderet. Quin se promptos ostendebant ad conveniendos sua sponte hostes suos Pizocas, & pacem rogandam. Antequam tamen hoc perfecturus cum suis Caciquius abiret, baptismi gratiam petiit à Patre, quoniam jam provectæ, & canæ ætatis vir incertus vitæ suæ esset, interim fidei dogmata sat doctus. Placuit summopere Patri hoc postulatum, quò minùs tamen gratificaretur, obstabant jussa Majorum prohibentium, ne ullus Indus adultus sacro fonte lustraretur, nisi membrum foret unius Christianæ Communitatis. Ut tamen homini solatium affunderet, promisit, se post reditum suum ejus rationem habiturum, modò perseveraret in sancto proposito. Indus bonæ profectò mentis negatô baptismô, expetebat saltem parvulas cruces, è collo suspen- 2.

 den-

dendas in signum sui propositi, utique serii. Altera petendi causa fuit, ut ad similitudinem istarum crucum alias in majori forma fieri curaret à sibi subjectis, ubique locorum appendendas, ut mali spiritus exterriti, procul regione tota aufugerent, nec damnum frugibus afferrent. Pater ablutis ibi infantibus ad Quiriquicas populos transiit, ubi priori anno à Cœlitum Regina manifesto mortis periculo ereptus est, ne telis Barbarorum conficeretur.

3. Indigenæ quidem Patri advenienti magnâ frequentiâ obviàm processerunt, satis etiam humani exceperunt illum, & in sua tecta receperunt, minore tamen benevolentia, quàm speraverat. Ejus rei origo esse potuit, quòd persuasi essent, Patrem unicam pestis causam esse, eodem tempore sævientis. Asseverabant enim, Patrem ob acceptam præcedenti anno injuriam huc pestilentiam aliunde advocâsse, scil. in ultionem. Simul tamen ac pagum subiit, ægros invisum abiit, ubi magno dolore suo offendit fœminam jamjam exspiraturam, quin baptismum conferre posset. Equidem Evangelium, quod Ecclesia super ægros legi vult, & ipse legit. At Deo placuit petitam gratiam tantisper differre, ut postmodum bruta gens majorem ejus æstimationem imbiberet, fidémque sanctam cum Missionario magis suspiceret. Et pestis quidem sævire sensim desierat: At P. Lucas interim ad forum omnes convocavit, coram quibus ex altiori loco protestabatur, se causam pestilentis mali non fuisse, utpote debilem, & impotentem hominem, ut cæteri hominum: Deum solum revera ipsis hanc calamitatem immisisse, qui sui loco ultionem exercuerit. Nemini proin alteri hoc malum queruli imputarent, quàm sibimet ipsis. Interfatus hic Caciquius monebat, auctores contumeliæ ipsi illatæ jam mortem obiisse. Reposuit Pater, non se, sed Jesum Christum pœnas exegisse ab istis, in hoc uno proinde mali remedium fore, cujus adeò unius clementiam implorarent. Dum in eo colloquio est, nuntius adest ferens, Caciquium Sanucarè jam cum morte luctari. Pater abrupto confestim sermone celer avolat ad moribundum, sed frustrà. Nam æger phrenesi correptus, omnem sensum perdiderat, nec ulla Patris industriâ ad mentis stationem revocari poterat.

Cap.

Cap. XV. §. 4.

1. Caciquius phreneticus miraculô ad se redit, instruitur, baptizatur, piè moritur post preces Patris Cavallero. 2. Idem precibus suis pellit pestem. 3. Cosocas adiens Pater telorum nimbo salutatur. 4. Tela prodigiosè retorta salvo Patre, qui scuti loco Deiparæ effigiem extulit adversùs tela.

Quare oppidò afflictus recessit ab ægro, in genua se prostravit, 1.
Deum obtestans per merita Divini Filii, ut huic tam pretioso Sanguine Jesu Christi redemptæ animæ eam tantùm gratiam faceret, qua ad se, usúmque rationis rediret. Et hem rem miram! eodem momento ægrotus mentem recipit, ut Patri sat temporis esset instruendi in rebus fidei, & baptismo expiandi. Hoc finito infirmus inter varios virtutum actus, puta', fidei, spei, charitatis, doloris de peccatis, quos Pater præivit, suaviter animam egit.

Postero die P. Lucas supplex agmen ordinavit, pestem à misero 2.
populo per Dei misericordiam ablaturus. Quid autem tunc acciderit, ex verbis ipsius Patris intelligemus. *Me sequebantur*, inquit, *magno numero Ethnici aquè ac Christiani: ibam per totum mapaliorum tractum, manu gestans effigiem Beatissimæ Virginis*, qua domos peste laborantium tetigi, magnâ fiduciâ Deum sic obsecrans: respice misericordi oculo, O Deus, & Domine mi, hunc miserabilem populum, & è faucibus mortis erue. Ne permittas, quæso, ut hic in fide necdum roboratus populus dicere possit, te valde rigidum, & in pœnis infligendis durum Deum esse. Quòd si ad meammet vitam nuper conservandam miraculo uti non es dedignatus, nunc quoque exere tuam potentiam in sanandis his ægris ad tuam majorem gloriam. Spe subinde plenus adibam peste afflatos Indos: jubebam omnes præsentes genua flectere mecum, & Angelicam salutationem recitare. Tum ex ægro quærebam, an ex toto corde in Christum crederet? num firmam fiduciam poneret in divinam Matrem? Id mihi affirmantes tangebam primò icone S. Francisci Xav. dein effigie Virginis Beatissimæ Mariæ cum supplici voto, ut impetrarent apud Deum, ne mea delicta miserorum sanitati obstarent. Atque hoc pacto pestilens lues intra pau-

paucos dies penitus desiit. Populus hoc grandi beneficio mirè lætus, iter arripuit ad Cozacas, perrecturus inde ad Tapacuràs ante statas per annum pluvias longiores, viam intercludere solitas. Proficiscentibus obviàm factus Patozi ille Caciquius Moposicorum cum magna suorum caterva. Multùm querebatur & diu apud Patrem, quòd suum ad vicum non reveniret, & omni eloquentia conabatur evincere, ut illuc diverteret. At Pater, ut maximè vellet, ejus voto gratificari in præsens non potuit. Institurus ergo suscepto itineri, invitavit potiùs hominem, secum ut itaret ad Cozocas, à quibus non procul aberat. Tum verò P. Lucas comites itineris Neophytos ad animi fortitudinem animavit, vel vitam suam consecraturos illi, qui prior suam pro omnium salute ultrò immolâsset.

3. Cozacæ ut primùm Patris adventum observarunt, Barbarorum more in clamores horrendos ora diduxerunt. Ringebatur scil. stygius hostis, impatiens sibi tot animas ex unguibus eripi. Itaque illos incitans effecit, ut illico integrum telorum nimbum in Patrem evibrarent. Et certè actum fuisset cum Apostolico Viro, nisi scuto Divinæ protectionis mirè fuisset servatus. Ubi Christiani Comites Patris præsentissimum periculum viderunt, fugam circumspexerunt, remanente unico Juvene Neophyto, qui sanè magno flagrabat desiderio, vitam pro fide profundendi. Itaque à Patris latere non recedebat. Quaterni alii quidem sequi videbantur, sed ex longinquo, quorum unus effigiem Divinæ Matris in pertica levatam gestabat. Equidem conabatur Pater hos efferos homines blandis verbis mitigare nonnihil, & cicurare, sed incassum omnia, Barbaris contra legem Christianam extremè exacerbatis. Itaque responsi loco erat iterum jaculorum nubes, qua caput Patris præcipuè impetebatur.

4. Sed o rem profectò miram! Vir Dei tot telis petitus, non tantùm non est vulneratus, sed emissæ sagittæ tanta vi retorquebantur, ac si intento arcu retroactæ fuissent. Una præsertim sagitta, quæ directè & incitatissimè in caput Patris ferebatur, certo certiùs illud trajectura erat, nisi altior è cœlo virtus pro scuto fuisset; sagitta enim in medio impetu subitò enervis atque elumbis ad pedes Patris sine noxa concidit. At Christianum juvenem, eúmque Comitem Patris lethali ictu aliud telum læsit, quo tamen vulnere ille lætus, repsit nonnihil ad latus, ultima vitæ momenta cum Deo transacturus. Hoc conspicatus Pater, amplexu juvenem sanctè, & extremùm strinxit,

non

non sine dolore, & sanctâ invidiâ, quòd non similis mortis particeps, obstantibus scil. peccatis suis fieret. Interea sacrificulus non cessabat suos concitare adversùs Patrem. Integrâ ergo horâ non destiterunt jaculari in eundem tela, sed omninò innoxia, nisi quòd vestem ejus perstrictam modicè lacerârint. Ambo tamen Patris brachia non modicè dolebant, ut vix jam essent usui. Lassitudo inde fuit, quòd effigiem B. V. MARIÆ, tanto tempore in altum elevatam, continuò sustentârit.

CAP. XV. §. 5.

1. Barbari furorem ponunt. 2. Ad verba Patris popa primus omnium fidei lumen accipit. 3. Barbarus in ipso Deorum fano baptizatur. 4. P. Cavallero iterum ad necem quæsitus per Angelum servatur. 5. Sauciorum Neophytorum patientia: sanantur divinitus.

DUm ergo Barbari Servum DEI omnibus viribus crudeliter sternere laborant, ad officium redeuntes Christiani Patrem è mortis faucibus eripere sunt conati. Minati sunt igitur efferatis DEUM sceleris vindicem, ut suo damno jam priùs erant experti. Atque hæ minæ eò valuerunt, ut vel mali intentati metu, vel alio divino fato moti, à furore suo tantisper remitterent, & occasionem darent propiùs accedendi Maponenem Popam. Hunc amicis vocibus allocutus Pater: an non hoc rerum articulo, inquit, Christi potentiam tuismet oculis usurpas, & quasi manu palpas, cùm ex tot hostilibus telis ne unum quidem mihi nocere potuerit, quamdiu id Christus non permiserit? age verò (sic perrexit Pater) ubinam & quando vestris inanibus Diis tanta potestas? sed quid tandem roboris & virtutis haberent, quum nihil profectò sint, nisi æterno igni, & inferno carceri mancipatæ miserabiles creaturæ? 1.

Hæc eloquente Patre, derepente Barbaro homini lux orta est animo, ut momento ex lupo agnus Patrem pacatè alloqueretur, secúmque deducens in suam domum, omni meliorum ciborum genere reficere studeret. 2.

3. Dum in eo res est, improvisus Patri adest Barbarus alius, ex cursu anhelus, projicit se ad genua Patris, & flens flagitat sacri baptismi gratiam. *Sunt mihi*, inquit, *infesti dudum inimici, diu insidiantes vitæ meæ ob certas simultates. Ne igitur cum terrena etiam cœlestem vitam perderem, huc veni, ut sine mora Christianus sim.* Annuit Pater voto, & publico in fano baptismatis undâ expiat, ringente diabolo, & cætera inferorum colluvie. Eo ipso die alius Mapono sive sacrificulus ad proximi populi (Subarezas dicunt) Caciquium submisit nuntium, quo postulabat militum suppetias ad exturbandum Deorum hostem scil. P. Lucam procul à terris suis.

4. Verùm providi DEI Angelus hoc impium propositum intervertit. Hic Cœli Genius Caciquio illi, Abetzaico nomine, nescio an dormienti vel vigilanti se stitit, dehortans, ne quid adversùs Patrem moliretur: potiùs hunc accederet, ad suas terras invitaret, & fidei doctrinam ab ipso quantocyùs reciperet. Caciquius voci cœlesti obsecundans, venit vel inermis ad Patrem. Intellecto dein, quàm crudelem in modum cum Patre egisset populus, vehementer excanduit, maximè contra popam, cui certè manus inimicas injecisset, nisi casus interveniens malum impedivisset.

5. Indus enim curriculò appulsus, nuntiabat, duos saucios Christianos jamjam cum morte luctari. Verùm quid hac occasione contigerit, ex epistola Servi DEI cognoscemus. *Quàm citissimè*, inquit, *accurri ad meos duos juvenes, qui vulnerati in sanguine suo hærebant. Vel saxeum, & maximè barbarum cor movere poterat eorum aspectus ad Commiserationem. Erant enim multis partibus saucii, in nudo solo jacentes & cruentati citra omnem opem humanam. Tota agmina muscarum & culicum illos acerbè infestabant: nequidem cento erat obligandis tot plagis, ut arborum foliis uti necesse habuerint. Dici tamen vix potest, quantâ patientiâ tulerint dolores, quàm pia Colloquia cum B. V. MARIA miscuerint, ut etiam gratias agerent millenas, quòd gratiam ipsis impetrasset moriendi pro Filio ejus, & salute proximi. Unus eorum erat natione Manacicus, unum ante mensem primulùm salutis fonte ablutus, mihique interpretis loco serviebat. Huic brachium fuerat telo perforatum, & quoniam nervi quoque nec modicè læsi erant, deliquium animi unum ex alio patiebatur. Alter ventre tenus usque adeò sauciatus erat, ut intestina propè omnia prominerent. Ambos ad tugurium frondibus tectum deportari jussi, ubi posteriori prostantia viscera in suos sinus reponi volebam, sed necesse fuit, eorum partem rescindi.*

Quo

Quo facto æger invocare cœpit Cœlitum Reginam, & in lenem subin Soporem defluxit. Ubi evigilavit, penitissimè sanum se deprehendit. Sed, & alter breviculo intervallo temporis revaluit, absque ulla hominum medela sed sola virtute divina in brachio ita sanatus, perinde ac si læsum nunquam fuisset. Hæc P. Lucas in suis literis.

Cap. XV. §. 6.

1. Certatim volunt fieri Christiani Cozacæ, uti & Zubarezæ populi. 2. P. Cavallero adit illos. Honor crucibus habitus. 3. Ægros omnes sanat Pater recitato S. Evangelio. Idololatræ subitò adoratores S. Crucis. 4. Ægris Comitibus Pater sanitatem à Cœlo impetrat suis precibus. 5. Angelus apparet uni ex ægris, qui omnes sanantur, iterum alacres ad itinerum molestias.

MOratus dein dies aliquot in hoc loco, omnem abolere idololatriam laborabat. Et quamvis principiò id perdifficile caderet, tamen Dei gratia postmodum tantæ apud istum populum fuit efficaciæ, ut certatim fieri Christiani desiderarent. Ut verò opere verba sua confirmarent, attulerunt illico infantes cum precibus, ut aquâ salutis tingerentur à Patre. At enim alter Caciquius Abetzaico satis stomachabatur ex eo, quòd Pater tantam moram apud hanc gentem faceret, nec ad suos pagos properaret. Itaque majorem in modum questus est, ut Pater cogeretur abscedere ad subditos huic Caciquio populos. 1.

Et verò omni cum honore exceptus est, qui quantus fuerit, & quàm ardens fidei desiderium, vix explicari potest. Potissimùm in veneratione erat signum S. Crucis, in qua fabricanda Caciquius cum suis primoribus sibi primas partes honoris ergo vendicavit. Neque in eadem Cruce erigenda admittebant præter se plebejam manum. Ubi stetit Crux, adgeniculantes circùm, cantabant sua patria cantica. Quin & saltitabant in peripheria Crucis, & alia venerationis & lætitiæ signa edebant, ut mirari posses. Et quidem hanc gaudiorum scenam per plusculos dies continuabant. Sed & bonus Deus se vicissim libe- 2.

liberalem præbuit, cùm confirmaturus in fide populum, & ostensurus, quàm sibi placeret ejus devotio, insignia prorsus præstitit beneficia.

3. Quippe omnes ægri, super quos P. Lucas Cavallero S. Evangelium recitavit, momento sanati sunt, ut DEO gratias pro sanitate æquè, ac pro fidei beneficio rependerent. Quantum autem solatii Patri Lucæ, & quàm dulces inde lacrymæ fuerint, non dixerim, nec ipse P. Lucas se dicere posse scripsit. In consideratione nimirum, quòd, qui paulò antè Diabolos adorârunt, modò S. Cruci tantum honorem haberent, ferventes jam Christiani. Interea tempus aderat, quo Patri Lucæ ex hoc loco fuit migrandum, si terminum quidem itineris consequi vellet. Id ubi rescivit populus, undique planctus & ploratus est ortus. Quoniam autem hac vice res aliter fieri non poterat, robustiores juvenes pro comitatu dederunt, ut asperas vias planarent, & Patri de victu prospicerent. Quod quidem cum lubentia & diligentia præstiterunt, ut alter alterum obsequiis antevenire contenderet.

4. Producto in dies aliquot itinere, undecim ex viæ Sociis Christianis subitaneo morbo correpti sunt cum ingenti Patris dolore. Qua autem ratione sanitatem receperint, intelligemus ex literis, quas P. Lucas ad suum Provinciæ præsidem dedit. *Unus omnia pati videbar* (verba illius sunt) *quæcunque hi infirmi simul patiebantur. Id maximè mihi dolebat, quòd adverterem, comitibus via nondum Christianis scandalum inde enasci. Mirabantur enim solos Christianos decumbere, cùm ne unus quidem ex Ethnicis mali quid pateretur. Nempe hac sua admiratione quasi significabant, Christianam legem non usque adeò sanctam, & præstantem videri, qualem constanter ipsis depingerem: dum Christiani interim ægrotarent, quin semet juvare possent duobus vel tribus verbis, velut ipsis non semel acciderat. Questus sum igitur eam ob causam meo Crucifixo Domino, & ejus pretiosissimæ Matri his verbis: Agnosco equidem, O mi Servator, quòd peccatis meis omnia hæc & his plura meritus sim. Verùm O mi Domine, jam tuus honor agitur: ne permitte, ut hi Barbari dicere audeant, Christianis talem DEUM esse, qui nulla miseratione tangatur erga illos, qui ipsum adorant. Ne dicant gentes*, ubi est DEUS eorum? *Considera O mi DEUS, hos Neophytos Missionum ærumnas deinceps detrectaturos, dum vident se non tantùm à Barbaris persecutiones pati, sed & variis insuper morbis opprimi. Quis in posterum mecum ibit per tam vastas regiones?*

Quis vias volet sternere? Quis mihi interpres erit ad prædicandam Sanctissimam tuam legem? si prodigiosam sanitatis gratiam vel Barbaris indulges, cur parem gratiam non confers quoque servis tuis, rectè credentibus?

Atque his quidem precibus Pater misericordiarum ita motus est, ut in Profesto die SS. Angelorum unus horum visendum se sisteret cuidam ægrotanti, quem alloquens, hæc infirmitas, ait, est vobis in vicem mortis, qua sublati fuissetis à Barbaris. Sed agite modò, confidite DEO, nec dubitate, malum remissum iri. Merces à vobis in cœlo recipienda ob molestias & labores, quos amore DEI & vestrorum popularium toleratis, erit inexplicabilis, Facta hac cœlesti sponsione ægri omnes magnam in DEUM fiduciam conceperunt. Ego quidem aliquid potionis medicæ dedi, ignarus ipse, cujus generis & virtutis esset. Sed malo exinde augescente cùm ægri ferendo calori jam non essent, ad fluvium se deportari voluerunt, ad restinguendum in undis morbi æstum. Et hem! citra aliud remedium pristinam valetudinem recuperârunt. Ita P. Lucas. Opus sanè erat hac infirmitate, & hujus depulsæ miraculo, ut Socii Patris in fidei propagandæ fervore stabilirentur. Post tot enim vitæ pericula, passim occurrentia, inter tot ærumnas, famem insuper, sitim, lassitudinem, morbos religionis ardor haud parùm refrixerat. At post restitutam tam prodigiosè sanitatem ille multo magìs exarsit. Prostrati ad pedes Patris, rogabant veniam sui timoris, & pusillanimitatis, sanctè etiam polliciti, se posthac omnes miserias, & adversitates æquo animo toleraturos ad DEI gloriam, & animarum salutem. 5.

CAP XV. §. 7.

1. Incommoda viarum. Victûs inopia. Pagani comites Patrem deserunt. 2. Uni è Christianis apparens Deipara hortatur, ne deserat Patrem cum aliis viæ Sociis. 3. Venit Pater ad Aruporecas, cum quibus tendit ad Tapacuràs. Parùm gratus ejus adventus. 4. Causa hujus aversionis, nempe Crux eversa à Barbaris, & ideo lue sublatis. Errorem dedocti morem gerunt Patri. 5. Dæmon prænuntians adventum Patris vacuat incolis pagos.

1. INstaurantes ergo iter, brevi sylvam impeditissimam offenderunt, in qua nulla trita erat via. Itaque adeò circumerrârunt, ut ubi locorum essent, per integrum mensem non dignoscerent. Superandi erant alti & prærupti montes, per senticeta penetrandum, quin interim alimenti quid suppeteret, nisi cruda arborum folia, & sylvestres terræ radices. Nec alius erat lectulus, nisi pendulum sub dio rete. His molestis incommodis Pater suapte natura debilis, & morbidus ita fractus est, ut pedibus porrò consistere non valeret: Stomachus præterea nullum cibum retineret, si vel modicissimus sumebatur. Laborabat nihilominùs perinde ac validus & vegetus. Nempe quod viribus corporis deerat, supplebat vigor spiritûs, & animarum zelus. Primus ergo ibat in omnia discrimina, expediebat vias, hortatus suos comites verbo, & opere ad Longanimitatem. Tandem quamvìs acerbis tantùm pasceretur radicibus, aptioribus ad sanum morbo sternendum, quàm ad ægrum sanandum, tamen per DEI bonitatem reparavit priorem valetudinem. At verò Ethnici Comites tantarum miseriarum pertæsi, domum suam relegerunt viam.

2. Horum exemplum secuti fuissent etiam aliqui Christiani, nisi uni maximè pusillanimi B. V. MARIA, cujus honori futura Missio multum allatura erat, apparuisset, & quà promissis, quà verbis aliquantò acrioribus stimulâsset ad cœptum semel opus non deserendum. Postremùm Pater vocato in vota S. Archangelo Raphaële cum cæteris loci Tutelaribus Geniis, ex insperato sylvas eluctatus, ad Aruporecas

cas se delatum deprehendit, quibus ipsis prioribus abhinc annis fidem prædicârat.

Ibi solicitavit Caciquium, ut aliquos subditorum in viam sibi concederet, ad semitam, ubi fortè opus, faciendam. At ille excusabat inimicitias suas cum populo, quem Pater aditurus erat, ob bella invicem & multifariàm gesta: timendum proin putabat, ne in mortem properaret. At verò cùm Pater sincera fide appromitteret, se pro viribus conaturum, ut ipsum inter & hostes pacem & amicitiam conciliaret, Caciquius non modò suorum comitatum condixit, sed & ipse comes ivit. His stipatus Pater paucis pòst diebus propinquabat pago populi Tapacuràs. Antè tamen, quàm subiret, unum ex Sociis illuc dimisit, qui ex illo vico oriundus erat. Nempe ut incolis adventum Patris significaret, quem amicè susciperent, nec ullâ injuriâ vel illum, vel Aruporecas alioqui suos hostes, cum Patre venientes afficerent. Equidem adventus Patris minimè gratus accidit indigenis, dissimulata tamen aversione magna humanitatis specie exceperunt. Inde deducentes in sat commodum tugurium hospiti varios, eósque meliores fructus cum ferina carne apposuerunt. At cùm de rebus fidei verba facere tentaret Pater, tergum obverterunt obturatis auribus. Diversos insuper obices interserebant, quò minùs in alios suorum pagos Apostolus itaret: quin id agebant omnibus modis, ut hinc recedens ille ad suos, scil. Tapacuras hostes potiùs transiret. Ejusdem animi pariter aversi erat alius Caciquius Maymane, dum Patrem salutabat. 3.

Juvat nôsse horum omnium causam. Erexerat Vir Dei in his terris aliquot ante annos S. Crucem, quam publicè stantem aliqui Barbari fortè offenderunt ex gente Cuzicàs, Quimonecas, & Pichasicàs. Hi eruerant crucem, & inter sacrilegas sannas in frusta comminuerant. At vindice cœlo facinus id non impune tulerunt, quippe subitanea lue correpti, omnes illatæ Cruci injuriæ complices morte sublati sunt, uno tantùm vel altero superstite. Itaque simile malum veriti, deprecabantur Patrem, ut aliò migraret, quò vellet, sed enim Vir Apostolicus non ideo fractior animo, sed singulari fervore illis prædicans edixit, potiùs ut timerent ejusmodi calamitates, si promulgationem Evangelii sufflaminarent. Non duntaxat enim cœlum vindex ad pœnas tracturum illos (addebat) qui cruci injuriam fecissent, sed etiam illos, qui ejus venerationi obstitissent. Hæc enimverò 4.

verò verba in cor adeò descenderunt, ut in vestigio Patri obsecundarent, Crucem in foro erigerent, simul juncti adorarent cum promisso deserendi suam regionem, & eò migrandi, quò Patri videretur. Ablutis igitur primò salutis fonte puerulis itineri sese commiserunt. At omnes colonias, in quas venerant, incolis vacuas repererunt.

5. Nempe inferorum spiritus augmentum fidei & divinæ gloriæ pridem exosus, adventurum Patrem jam antè illis prodiderat cum monito, ut fugam caperent, & in loco tutiore laterent. At Pater fugitivis instans, superatâ cum suis sylvâ densissimâ, in vastam planitiem, specie peramœnam, evasit, sed quæ reverâ paludibus & lacubus scatebat. Quid ea profectione tolerârit, nemo rectiùs enarrabit, quàm ipse Pater suismet verbis: Sic scribit.

Cap. XV. §. 8.

1. Summa difficultas itineris. Amicè excipitur Pater. 2. Sed suasu diaboli infantes baptismo subducuntur. 3. Pater in vindictam erigit crucem ad ipsum fanum. Calcat pedibus idola. 4. Bohozas adit benevolè exceptus. 5. Ethnici, Christianos æmulati, crucem ipsi erigunt, se fragris cædunt, qua ratione pestem extinguunt. Confirmantur ab Angelo viso: Coloniam novam conficiunt.

1. INcedebamus genuum tenus, & quod superat, aquis mersi: palustris limus erat tam profundus, & tenax, ut vix alternos pedes expediremus. Animum meis facturus, antesignanus semper præibam, sed identidem in aquas toto corpore sum prolapsus. Accessit imber maximus, in multas horas effusus, qui me magìs madefacere potuisset, nisi jam fuissem tam madidus, ac ipsa unda. Quod tamen maximè acerbum cadebat, erat certum genus spinosi & duri fruticis, cui dentes erant perinde ac serræ ferreæ. Hic proin mihi totos pedes aculeis perforavit adeò, ut nihil sani & integri superesset, nec ea vulnera in hodiernum usque diem penitus sanari potuerint. Duravit hæc via intolerabilis per dimidium milliare, & ampliùs. Eluctatus paludem ad pagum devenit, cujus incolæ conspectis Patris pedibus

usque

usque adeò sauciis mirari satis non poterat, quòd sui causa, & amore salutis suæ tantos perferre dolores non dubitârit. Certè omnem beneficentiam hi boni Indi vulnerato exhibuissent, si per ipsorum egestatem stetisset. Pro viribus tamen præstare conati sunt, ut Patri escarium saltem fomentum conquirerent. At verò Caciquius Paunacarum conspicatus hujus populi inopiam, invitavit Patrem in suum vicum, ubi commodior occasio reparandi vires. Acceptavit Pater oblatam gratiam, non tam ut sanitati suæ consuleret, de qua parùm ille solicitus, quàm ut Ethnicos illos ad Christum perductos crearet Dei Filios. Postridie igitur viæ se commisit cum multis Ethnicis. Verùm tempestas tam turbulenta inter pluvias brevì ingruit, ut Patri de pedibus calcei exciderent, coactúsque fuerit reliquum itineris nudis gradiendo plantis conficere per vastas sylvas, per salebrosos montes, per obstantia viarum senticeta.

Ubi ad populum Paunacarum est perlatus, universum habuit ob- 2.
vium non sine ingentis lætitiæ signis. At Pater aliter respondere nequibat, quàm amabili, & serenato vultu. Neque enim Pater ipsorum, nec illi Patris linguam callebant, neque interpres aderat, cujus ore loqueretur. Nutibus ergo, & manuum gestibus, atque ipso variæ charitatis opere fuit potiùs agendum, quàm locutione. Modis adeò, quibus potuit, sui adventûs causam insinuavit. At verò stygius hostis, ne nihil haberet in præsenti negotio, neve omnia perderet, suasit genti, suos ut infantes aliò transmissos procul haberet, ne Pater Orco ereptos per baptismum cœlo illos assereret. Id verò doluit Patri vehementissimè, cùm videret, sibi ab orco optimum & aliàs tutissimum Missionis fructum esse pessumdatum.

Quare sancta indignatione plenus, vindicandi hostis inferi consi- 3.
lium cœpit. Quapropter imperavit, ut ad ipsum introitum impii fani crux ingens erigeretur: qui quidem conatus multi laboris fuit, repugnantibus obstinatè Barbaris. Quin parùm abfuit res à violentis in Patrem manibus. Sed Dei Servus nullius rei magìs cupidus, quàm martyrii, nullo modo à sancto proposito destitit, quin imò fregit, & calcavit pedibus in conspectu Ethnicorum aliqua diabolorum ectypa, nempe idolorum monstra, exhorrescentibus ad factum barbaris, & timentibus, ne telorum imber aut fulmineus ignis in authorem vindex rueret. Illabente interim hyeme debuit Apostolus inde discedere, atque adeò repetere trajectam nuper paludem, & viarum vepreta, ut

obducta vulnera reficarentur non sine commiseratione aspicientium comitum. Idcircò cùm longum aliquot hebdomadum iter restaret, & commeatu perparum instructi essent, institerunt, ut Pater usque ad proximum ver apud Tapacuràs subsisteret. At ille majorem semper rationem habens animarum, quàm propriæ valetudinis, excitabat comites non tam verbis, quàm exemplo, dum cœptum iter persequitur. Paucis pòst diebus Tapacuræ, qui socios viæ se junxerant, Virum destituerunt, quoniam magni identidem, rapidi, & exundantes fluvii erant superandi. Maximum tamen subierunt periculum Neophyti in trajiciendo ingenti flumine Ziresirio, de quo P. Lucas ita scribit, Tranavimus sine vectore, & viæ ductore naviculis latos fluvios, lacus & paludes, nec aliud quid interim victum nobis præbebat tot inter ærumnas, quàm cruda arborum folia, & insulsæ radices.

4. Recordabar tunc me auditu accepisse, haud procul à populo Bohocas montem reperiri. Jussi ergo meos altissimas arbores conscendere, regionem exploraturos. Et verò hunc montem tandem visu detexerunt, ad quem proin rectà contendimus. Inde post trium hebdomadum iter inter mille miserias & incommoda ad pagum dicti populi Bohocas evasimus. Suscepti sumus cum omni benevolentia & quoad poterant, ad reficiendas vires ab illis provisi sumus. Ita P. Lucas. Restiterunt posteà aliquanto tempore, ut fractas instaurarent vires, & lassa membra continuando itineri aliquatenus confirmarunt. Interim tempus est nactus Pater hunc populum stabiliendi in amore, & desiderio fidei, in adoratione item S. Crucis.

5. Fortè deprehendit Pater in tugurio cujusdam Indi flagellum cum nodulis ceratis, quibus aculei implexi prominebant. Et quia intellexit, etiam id genus flagra alibi reperiri, suspicabatur quid superstitionis. Ea de causa Caciquium *Soriocum* nomine tantisper sevocatum interrogat, quid sibi vellent dicta flagella. Hic enimverò operæ est pretium, ut responsum ex ore ipsius Caciquii percipiatur, quod tale est. Ante tempora, ait, non multa, populus Borillos insolentis & tumidi genii, hìc irruerat, sedem fixurus. At non diu fuit, cùm inciperent nos & nostros ritus cavillari, & nos despectui habere. Hujus indignæ rei impatientes, concubia nocte consilio statuimus nos ab his extraneis liberare. Quapropter mares omnes necavimus reservatis fœminis ad nostra obsequia. At paulò pòst tam dira pestis sævire cœpit inter nos, ut exitium universis imminere crederemus. Persuasi

interim, hanc crudelitatis à nobis editæ pœnam esse, & memores, Christianos iratum DEUM placare cruentis flagris, idem mali remedium prensavimus, & hanc, quam coràm vides, Crucem ereximus. Sub ista nos sæpenumero acceptis flagris acriter excepimus, deprecantes delicti veniam à DEO. Et en, momento temporis pestilentia furere desinit, ut nullus ex peste infectis postea obierit, ex sanis verò nemo unus lue sit deinceps correptus. Quin quod plus, majúsque est, brevì pòst noctu ex populo fortè simul stantes, pulcherrimum, & rutilantem juvenem cœlo descendere conspexerunt. Ille ante Crucem in terram prostratus, eandem adorabat. Ex quo tempore crux ista nobis summæ venerationi est, neque aliud magìs desideramus, quàm primo quoque tempore suscipere legem Christianam. Hæc narrabat dictus Caciquius. Dici vix potest, quantopere Patris zelus hac relatione de novo fuerit inflammatus, ut cœptum opus perficeret, colligendo hunc populum in unam coloniam pro commodiore instructione. Sed tandem retrocessit delatus ad Communitatem S. Francisci Xav. mense Januario Anno 1708. totus quantus viribus fractus ex tot Apostolicis laboribus per quinque omninò menses, quos cum incredibili meritorum cumulo juxta ac cum divinæ gloriæ augmento inter barbaras gentes exegerat. Moratus est eo loci aliquantisper, non tam corporis, cujus minima illi cura, quàm spiritûs vires restauraturus, ut vertente hyeme Missiones repeteret, & populos recèns detectos in communem vivendi formam colligeret.

CAPUT XVI.

Nova Reductio Conceptionis B. V. à P. Luca Cavallero fundata. Ejus gloriosa Mors per manus Ethnicorum, quos Puyzocas vocant.

§. I.

1. Area novæ Reductionis eligitur. 2. Populi nudissimi, & idololatræ, Patrem Cavallero proni audiunt. 3. Potum Chichæ sibi interdici nolunt. Modus conficiendæ Chichæ. 4. Ritus sepeliendi mortuos, præsente dæmone. 5. Fugit adveniente Patre, & popam secum ad Tartara rapit inter ejulatus.

1. P. Joannes Bapt. de Zea, qui visitans Chiquitos populos singula coràm inspexerat, Patri Cavallero in mandatis dedit, ut in medio horum pagorum gentilium planitiem inquireret, in qua circumjectæ gentes congregari pro habitatione, & unà ad ordinatam, & Christianam vitam commodius reduci, & instrui possent. Ad hoc executioni dandum exigua erat optio Patri Lucæ ob vastas, & densissimas sylvas, quibus tota ferè ea regio obsidebatur. Tantùm inter Tapacuras, & Paunacas sese aperiebat pars planæ telluris, sed quæ potissimam partem paludibus, & fossis aquosis scatebar. Ut nihil dicam, quòd tractus ille infinitâ copiâ culicum, & vesparum infestus, nullam partem quietis vel die vel de nocte concedebat. Verùm hæc Patrem absterrere non poterant, quò minùs sibi tugurium ibidem strueret, velut fundamentum novæ Communitati locaturus sub titulo Conceptæ sine macula B. V. Mariæ. Delegit autem locum ad ripam cujusdam lacûs, circa cujus viciniam multi quà idiomate, quà vivendi ritu distincti populi consederant.

Inter

Inter illos numerant Paunapas, Unapes, & Carababas, qui 2.
universi, licèt feritate innata præstent, nulla tamen animi fortitudine eminent. Incedunt viri æquè ac mulieres manu nudiores. Cum Manacicis in eo solo conveniunt, quòd hi perinde ac ipsi Cacodæmonem in ea forma, qua frequenter apparet, adorent, quamvìs de cætero nec linguam, nec superstitiones cum Manacicis communes habeant. Porrò cultum diabolo in tantum duntaxat præstant, in quantum propria ipsorum emolumenta suadent. Itaque permodicum est, quod de divino honore illi deferunt. Pluris æstimant suos agros, & prata, quæ diligenter ab ipsis coluntur. Unde se non conferunt in sylvas ad venationem, vel mellis collectionem, nec à tuguriis suis longiùs recedunt, potionem Chicham secum ferentes, quàm quousque lagena ebibenda se extenderit. Nihil cæteri commeatûs in viam assumunt. Huic igitur genti P. Lucas solido fervore ita fidei veritates inculcavit, ut partim spe præmii æterni, partim metu pœnæ etiam sempiternæ, & gravissimæ unanimes sponderent Patri in omnibus obedientiam, modò usum Chichæ in posterum non interdiceret, quo potu se carere non posse asseverabant, cùm haustus solius aquæ ipsis graves stomachi dolores crearet.

Neque verò in ea concessione difficilis fuit P. Lucas, eò quòd 3.
istud potionis genus non perinde illos inebriare soleat, ac alios populos. Id unum quippe in causa fuerat, nempe ebrietas, cur alibi chichæ potus penitus aboleretur. Cæterùm ad Chicham conficiendam torrent suum triticum tamdiu, donec carbonis instar nigrescat. Postea conterunt in pulverem, & in luteo vase eò usque decoquunt, dum aqua nigrum prorsus colorem induat. Atque hic est ipsis tanti æstimatus potus, cui per magnam diei partem indulgent, quoniam labor illorum ultra meridiem non excurrit. Sed redimus ad id, quod Patri tam liberaliter promiserant, nempe propositum ponendi penitus superstitiones. At non tam facili oblivione illas sepelierunt.

Subiit aliquando Patrem Cavallero suspicio, ceu præter suam 4.
voluntatem mortuorum exequias celebrarent. Clàm ergo subornavit aliquos, qui ritibus sepeliendi intenderent. Et brevì quidem accidit, ut fœmina moreretur, quam ethnico more tumulabant. Erexerunt scilicet tabernaculum, simile idolorum templo. Hoc struebant sedulâ diligentiâ & non ineptâ venustate ex frondosis ramalibus: in medio ejus ligneæ perticæ suffulciebant thronum diaboli, qui ad has cere-

monias spectabilis adesse solet ad oblata dona recipienda, ad supplices audiendos, & approbandos offerentium animos. Istud tabernaculum præterea circumdabant oblongo reti, intra cujus ambitum nemini fas est versari, nisi sacrificulo, & proximis defuncti consanguineis. Hoc idololatriæ genus, ne proderetur, peragebant intempesta nocte. Jámque in flagranti impiæ devotionis actu erant, cùm improvisus P. Cavallero supervenit.

5. Hic cùm honorarium diaboli solium introspiciens notaret, illico vidit stygium spectrum ex scintillantibus malignè oculis, quod duabus surrectis perticis insidebat. Inhorruêre quidem ex monstri aspectu crines piissimo Viro, ut etiam intremisceret, attamen in tabernaculum penetrare laborabat, damnatum spiritum fugaturus. Verùm iste diutiùs hostem suum non exspectaturus, eodem momento temporis ex oculis evanuit, unà cum assidente Popa, quem haud dubiè corpore tenus & anima in orci flammas secum abripuit, cùm nemini posthac sit visus. Porrò ita fugiens nequam spiritus horrendum in modum ejulabat, quòd hoc loco in posterum non ampliùs esset conspiciendus, ex quo tam turpiter esset ejectus. Hoc facto Missionarius his Neophytis, haud dum firmis, errorem suum graviter explicuit, & miserrimi sacrificuli exemplo demonstravit, Inferorum hostem aliud non quærere, quàm interitum corporis & animæ sempiternum.

Cap. XVI. §. 2.

1. Nova colonia augetur aliis Indis. P. Cavallero abit ad novam gentem mitiorem. 2. Salutatur ab hac emissis telis. Tamen adit intrepidus, & munera accipit. Explorat exequias barbaras. 3. Cogitur invitus redire. Plagiarii Europæi crudelitate sua pessumdant omnia, exacerbatis inde contra fidem Barbaris. 4. Reductionem transfert aliò.

1. Huic novæ Coloniæ junxerunt se proximiores M nacicorum populi, remotiores enim ortum versùs curæ P. Francisci Hervàs relicti sunt, ut transferret ad Reductionem S. Xaverii. At Apostolicus Vir iste summo suo cum dolore nihil reperit præter ossa

& ca-

& cadavera, quæ ex immani illius populi lue sola supererant. Interea noster P. Cavallero de alia natione nuntium accepit, quæ perpetuo bello implicabatur cum Manacicis. Ad hos visendos, & traditâ Christi doctrinâ beandos populos animi instinctu movebatur, eóque magìs, quòd intellexerat, illos populos esse tractabiliores, & magìs humanos, quàm cæteros ad Christum jam traductos. Possident hi sat amplos & populosos pagos præter ordinatam vitæ, & regiminis formam. Publicas vias, fora & domicilia ex ordine constituta habent. Sexus fœmineus perpulchras, & secundùm artem floribus intertextas vestes sibi conficit, quin ex plumis versicoloribus nitidissima consarcinant tapetia. Hæc omnia, & singula, uti dictum, incitabant P. Cavallero ad propositum suum maturandum, & peragrandam totam illam regionem, quin aliquid periculi faceret Virum solicitum. Jámque aliquot Neophytos permoverat, ut in eum finem Socii profectionis fierent.

Vix autem ad aliquot milliaria terram intrârant, cùm globum Barbarorum offenderunt, qui emissis magnâ copiâ telis hospites salutârunt, manifesto indicio, se nullo pacto advenam audituros. Sed non ideo concidit animo Pater, imò potiùs hostibus magìs,magísque citra omnem metum imminebat. Admirabantur hanc animi fortitudinem, & cùm vi abigi posse Patrem desperarent, irâ in amicitiæ speciem versâ, terrestres suæ regionis fructus obtulerunt, præter vela aliquot plumis bellè intertexta. Tugurium, quo receperunt Patrem, erat fano sacrilego proximum, quæ ipsa vicinitas occasionem dedit arbitrandi coràm ethnicos eorum ritus, in exequiis mortuorum consuetos. Sub initium igitur noctis cadaver deferebant ad contiguam fano aream, ubi consanguinei, & affines postremo amplexu funus strinxerunt. Accensâ dein lignorum strue pyramidatâ cadaver in cineres fuit redactum. Cineres verò inter innumeros, eósque superstitiosos ritus atque inconditos planctus collecti in vase reservabantur. Hæ Barbarorum ceremoniæ adventantes cum Patre Neophytos mirè consternârunt, præsertim dum Barbarorum plures turmas in foro conglobari cernebant, ultrò citróque ibi deambulantes. Postea autem observabant, has cohortes se sine tumultu reducere ad angulos exitúsque platearum, ex quibus perterriti Christiani conjectabant, hanc pompam funebrem mortis suæ prodromum esse. 2.

Qua-

3. Quapropter Missionarium propè vi adegerunt, ut ante auroram secum tacitè retrocederet invitus. Dolebat sanè hunc casum majorem in modum ardens Vir Dei, quòd spes convertendæ hujus gentis subitò conciderit. Id unum solabatur Apostolum, posse in annum proximum hanc Missionem redintegrari feliciori successu. At enim hæc quoque spes postmodum infracta est ab Europæis plagiariis, qui tres horum populorum pagos improvisò obruerunt, & præcipuis eorum occisis, adultioribus verò in suomet tecto combustis, reliquum debiliorem gregem puerorum, & mulierum in servitutem secum abstraxerunt. Magna tamen eorum pars ex viarum ærumnis, & horum latronum crudelitate perierunt. Hoc immanitatis specimen vicinas gentes contra Europæos, ac Christianos ita exacerbavit, ut Apostolicus Vir nihil fructûs posset sperare. Clarè enim capiebat illorum consilium, quo propter aliquorum maleficia statuerant etiam in cæteros innocentes vindictam exercere. Exspectanda proinde Patri fuerunt commodiora tempora, quorum lapsu injuriæ oblivisscerentur.

4. Interea animo deliberabat, qua ratione damnum hoc resarciret conversione aliarum gentium. Quod ut commodiùs fieret, transtulit suam Coloniam in amœnum, & salubriorem locum, ubi occasio plures Neophytos aggregandi. Tractus enim iste novus spectabat ad ortum populos Puyzocas, ad occasum Cosiricas, ad austrum Cozocas. Hîc immensos tolerabat labores in Barbaris instruendis, quin sui oblitus, & totus in procurando eorum commodo etiam temporario, erat. Nullum non diem illorum utilitati liberaliter impendebat, eo solo lætus solatio, si Dei gloria, & animarum salus suâ operâ promoveretur. Quando fatigatus quiete egebat, in templum se recipiens divinis commendationibus vacabat, ut amore cœlesti succensus, ab amantissimo Deo suo abstrahi non posset, donec corporis debilitate victus, in brevem somnum declinaret, tantis laboribus profectò necessarium.

CAP.

Cap. XVI. §. 3.

1. Cosiricæ populi Christianis volunt annumerari. 2. Terribilis pugna animi in P. Cavallero, an Puyzocas adeat, nec ne. Vincit, & ad illos ire statuit. 3. Ficta benevolentia excipitur. Comites Patris Trucidantur: demum & ipse Pater.

VErùm neque isti loco zelus ipsius acquiescebat, maximè post- 1.
quam Cosiricæ per nuntium rogârunt, ut sese Christianis annumeraret, & novam Coloniam formaret. Eadem propè tempestate, qua Cosiricarum preces intellexit, ferebatur ingenti desiderio Puyzocas in viam salutis deducendi. Pendebat tamen animo, quam in partem se flecteret. Rem igitur provido Deo commissam quò certius cognosceret, surgens de nocte vacabat orationi. Angelos item tutelares utriusque populi in vota vocavit, ut mentem ipsius illustrarent ad cognoscendam Dei voluntatem.

Tandem interno instinctu didicit, acturum se è Divina voluntate, 2.
ut vel vitæ, ultrò oblatæ dispendio, se ad Puyzocas conferret. Præter hanc mentis illustrationem fuit & alia nescio quæ (cùm literæ ex illis Coloniis modum revelationis non explicent) ex qua tamen illi innotuit, quòd tamen cœlum ejus pro Christo moriendi desiderio subscripserit, cum inexplicabili Patris solatio. At enim Deus hoc exuberans solatium nonnihil moderandum duxit, dum perarduam animi pugnàm Viro pugnandam permisit, ad gloriosiorem tamen triumphum. Obversante enim menti cruenta morte, quæ jamjam imminebat, totis artibus contremuit. Impallescenti subin vultui tanta successit pusillanimitas, ut propè dubitaret, num sibi perseverandum in proposito. Quin in tantum sibi imperare non poterat, ut non signa manifesta internæ pugnæ in ipso notarentur. Interiori huic malo accessit etiam externum, enato in pedibus ulcere incertum, an id ex naturali corporis symptomate, an ex vehementi carnem inter, & spiritum conflictu ortum traxerit, quandoquidem exinde etiam cætera corporis membra viribus fracta languebant. Coactus proin aliquamdiu decumbere, naturæ, mortis ceu præsentis intuitu nimiùm consternatæ, tantillum indulsit. Certè circumstantes sine commiseratio-

ne spectare non poterant, dum mœstissima cogitatione mersum edere varia indicia notarent, nunc quidem quasi vicisset, nunc autem ceu victus succubuisset. Tandem placuit Optimo Deo servum suum tantopere probatum benigno respicere oculo, & animam ejus tanto lumine illustrare, ut omnes cordis tenebræ evanescerent. Profectò ita confirmatus est animo, ut eo ipso, quòd tantam in hoc negotio difficultatem sensisset, multò solidius propositum conciperet operis proximè expediendi. Neque dubium illi erat de optato exitu, ut literis sub ipso itinere scriptis ad Patrem, cui conscientiam crediderat, futuri eventûs certiorem eundem redderet, cum precibus, suum ut certamen oratione sua secundaret, quoniam caro infirma, quamvìs spiritus foret promptus.

8. Iter igitur ad Puyzocas ingressus est cum triginta tribus Neophytis Manacicis. Et in primo quidem vico regionis cum magna amoris significatione, etiam fructibus abunde donatus est, qua amicitiæ specie scelesta sua consilia tegebant. Tendens inde ad alium pagum in media via, dum fuit superanda palus, ita fractus est viribus, ut deinceps portari debuerit. Sub adventum pariter in fincera benevolentiæ signa, & præmeditata proditionis verba expertus est. Ut verò scelus truculentum eò commodiùs, & tutiùs perpetrarent Barbari, Caciquii jussu factum, ut Socii cum Missionario huc delati invicem dividerentur, & aliqui eorum in domos reciperentur. At hospites vix mensæ assederant, ignari futurorum, cùm improvisò turba nudissimarum, & in vultu nigris maculis fœdè pictarum mulierum dicam an lamiarum se spectandam dedit. Prodromi hi esse solent truculentæ necis apud istos Barbaros. Dum Neophyti advenæ fœdam hanc scenam exhorrescunt, supervenit alius globus armatorum Indorum, qui ingenti furore acti pleròsque Christianos, nîl reluctantes, in vestigio trucidârunt. Pauculos fors melior lanienæ subduxit, qui extemplò ad Patrem provolârunt. Et hunc quidem offenderunt sub suo tugurio totum quantum in Deo absorptum, dum recitabat horas Canonicas, simul quid contigerit funesti, narraverunt. Unus ex his profugis nullo modo committendum ratus, ut amantissimus Pater Barbarorum lanienæ relinqueretur, sustulit eum festinatò in humeros, fugâ subducturus periculo Virum tam pretiosum, sed irrito conatu. Quippe efferati Barbari nullo pacto ferebant, ut Vir ob prædicatam ipsis usque adeò odiosam legem summè exosus, è manibus suis elaberetur.

Qua-

Quare insecuti bajulum, Patris, emissa in scapulas sagitta lethalem plagam inflixerunt. Hanc sentiens Pater bajulos Christianos rogavit, ut se in vestigio deponerent. Hoc peracto crucem suam, manu gestatam, terræ defigit, cui adgeniculans, defluentem suum cruorem sanguinariorum saluti devovit. Hi ipsi denique Caput Viri clavis impactis omnino conquassârunt, ut invocato sanctissimo nomine JESU, & MARIÆ spiritum suum in manus Creatoris transmitteret 18. Sept. Anno 1711. Participes tam gloriosæ mortis etiam fuerunt viginti sex comites. Adolescentulus tamen, R. P. Lucæ Cavallero minister ad aram, advertens periculum, conscenso maturè equo, in sylvam concitatissimo cursu contendit, ubi inter cæteros in tempore profugos Neophytos invenit tantisper asylum. Subinde multis exantlatis ærumnis, viribus exhausti, ad Reductionem Conceptionis B. V. evaserunt, ubi quinque eorum, graviter saucii, & brevì, & piè obierunt. Atque hac tandem ratione Apostolicus Vir P. Lucas Cavallero suum cursum consummavit inter labores tot & tantos, amore DEI susceptos, ut cæcos ethnicos, in tenebris & umbra mortis sedentes, ad agnitionem sui Creatoris perduceret.

CAP. XVI. §. 4.

1. Puyzocæ post Patris, & aliorum cædem terrore suo dispergunt cæteros Christianos. 2. Præsidium militare contra homicidas emittitur. Flamma conspicitur supra cadaver Patris, quod incorruptum adhuc deprehendunt. 3. Jumenta militum ultrò & prodigiosè adveniunt ad Corpus Martyris deportandum. 4. Auctores necis miserè pereunt.

SEd necdum saturi erant Barbari sua crudelitate. Cùm enim timerent, ne Christiani ex Reductione Conceptionis irruerent, 1.
vindictam sumpturi, exploratores miserunt, qui motibus illorum Christianorum attenderent. Hi verò cùm extra pagum in aliquos Christianos incurrissent, hostiliter illos adorti, unum Indum occiderunt, & duas fœminas secum abstraxerunt. Quo facto tota Christianorum Communitas ita perculsa est, ut omnes incolæ in sylvas

profugerent, ceu hostis staret præ foribus. Neque per Missionarium, Patrem Joannem de Bennavente stetit hoc impedire. Coactus proin est præsidium Gubernatoris S. Crucis implorare ad reprimendam Buyzocarum insolentiam.

2. Et verò preces valuêre, impetrato fortium militum manipulo, qui impiam nationem ad crudelitatis pœnas traheret, & unà Corpus Venerabilis P. Missionarii secum domum referret. Nox jam ingruerat, quando Hispani milites desideratum locum attigerunt. Diem igitur sequentem exspectandum duxerunt, inveniendis pretiosis Patris interempti ossibus magìs serviturum. In medio tenebrosæ prorsus noctis prospiciunt haud procul à se flammam in forma ardentis facis, quæ identidem extincta, & identidem de novo accensa apparuit. Hæc unica lux quid portenderet, experturi primo manè ad locum ostenti accurrerunt, & non sine admiratione deprehenderunt, flammam conspectam supra ipsissimum corpus piissimi Viri eluxisse. Videbant autem illud circa paludosum locum, & in mirabili quidem situ. Sinistro enim genu humi flectebat, extento in scrobem paludis dextro pede: caput quasi quiescens reclinatum erat in sinistram manum: ante ipsum stabat ejusdem Crux, perinde ac si illam aspiceret. Hæc tam religiosa, & mirabilis membrorum repræsentatio apud milites magnam conciliavit reverentiam, præsertim cùm adverterent cadaver adhuc recens & incorruptum citra omnem tetrum odorem, id quod pro re supra naturæ vires interpretati sunt. A morte enim intercesserat & diuturnum, & calidissimum tempus, cum quo etiam humiditas paludosi ibidem soli citiorem afferre potuit corruptionem. Accessit, quòd reliqua cæsorum Comitum corpora penitus putrefacta conspicerentur. Id ergo egerunt milites, ut aliquid reliquiarum de tam prodigioso corpore sibi carperent. Aliqui eorum resectos ungues ex digitis sibi vendicârunt: alius, qui Lusitanus erat, Patris Crucem, & Rosarium Marianum surripuit, quod ipsum pium spolium postea D. Comiti de Toxo, singulari ejus Missionis Patrono, dono dedit. Neque alio æstimationis genere censuit hoc munus Illustris, piùsque Dominus, quàm nomine & honore sacrarum reliquiarum de Apostolo, ut ipsius quidem devotio loqui suadebat. Dum in sacræ rapinæ æstu toti sunt, increbuit repente inter illos suspicio irruentis, quasi agminis hostium Barbarorum. Itaque non modicus illos incessit metus, & solicitudo, præsertim quòd vel vim sustinere, vel cedere sine jumen-

men-

mentis, tunc absentibus non possent. Illa enim post se reliquerant intervallo multarum horarum, ut expeditiùs fruteta, & tesqua sylvestria pervaderent. Eo in discrimine superis supplices facti sunt, ut per intercessionem gloriosi Martyris ipsis auxilio essent. Vixdum preces absolverant, cùm ex improviso ingens strepitus, & clamor exauditur, ex quo aliqui irruentis hostis adventum autumabant. Itaque ad arma concurrentes, irruptionem hostilem opperiebantur.

At cum stupore vident mulos suos repente advenisse, quos arboribus alligatos post se reliquerant. Semet proinde solverant jumenta, & rectâ sed longâ viâ ad Sessores suos sponte accurrerant. Impositum igitur singulari cum reverentia corpus tam religiosi Viri, ad Reductionem Conceptionis Virgineæ transtulerunt. Ibi in laboribus mercedem à R. Patre Benavente aliquid de vestibus Viri Dei sibi donari petierunt, id quod illis denegare noluit. Mira, quæ Deus interventu sui servi patravit, silentiô hîc prætereo, & separatim describenda relinquo. Ultio, quam Hispani adversùs Barbaros intenderant, hac quidem vice intermitti debuit, latronibus in sylvas dilapsis. Illuc nimirum expulerat cùm animi malè conscii stimulus, tum metus pœnæ à Christianis exposcendæ. 3.

Neque tamen Dei vindictam effugerunt. Primarius enim eorum, qui Venerabili Viro violentas manus injicere sunt ausi, paucis pòst diebus miserabili morte periit: cæteri verò potissimam partem peste sublati sunt. Quæ quidem pœna maxima non est mea opinione, multo major est illa, quòd superstites in avita cæcitate à Deo sint relicti. Nam in hunc usque diem non constat, vel unum ex tota natione Puyzocarum ad gratiam veræ fidei pervenisse. 4.

Cap. XVI. §. 5.

1. P. Lucæ Cavallero virtutes. Insolitus zelus animarum. Castitas, eximia obedientia. 2. Animi demissio post tot præclarè acta ad animarum salutem. Desiderium Martyrii, abstinentia, paupertas.

Ex dictis equidem sanctitas nostri Apostolici Missionarii facilè potest colligi, afferam tamen pauca aliqua præter superiùs enarrata, ne præclara Viri merita suo honore, nos verò he- 1.

roicæ virtutis exemplo fraudemur. Fuit enimverò noster Venerab. P. Lucas Cavallero Vir singularis, & non vulgaris zeli in propaganda Christi lege, ut meritò illis sit accensendus, *qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri JESU Christi.* Certè omnes illi, quibus Societas cum illo in Missionibus fuit, eximium æstimationis raræ testimonium de ipso ferunt. Nec aliud vitio magnopere dabant, quàm quòd justo audentior, & inter pericula omnia omnino imperterritus videretur, dum Ethnicis, & efferatissimis populis Divinam Legem prædicabat. Ex ore unius è superioribus ejus habeo, se nunquam satìs admirari potuisse, Virum tam debilem, & morbidum, qualem natura finxerat in Patre Luca, tanta nihilominus exantlare, & omnia ad Dei gloriam suscepta, tam fortiter, & feliciter perficere potuisse. Et hoc eò magìs, quòd in calida admodum, & alienigenis insalubri prorsus regione plerúmque sit versatus. Ut autem aliquid peculiare de ejusdem virtutibus memorem, constat, ipsum Angelica castitate enituisse, licèt inter gentes, libidini deditissimas, ipsi agendum esset. Imò eam gratiam à Cœlo consecutus est, ut illæ carnis affectiones, quibus humanum genus partim in pœnam originalis peccati, partim ex odio communis hominum hostis obnoxium est, in alias prorsus animi concertationes sint commutatæ, citra assultum contra Angelicam virtutem. Obedientiæ virtus eidem fuit in gradu item eminenti, cujus exhibendæ perarduum sanè experimentum non unum capere illi licuit. Profectò arduum est, spectare coràm confertum numerum Barbarorum, salutis aquam sitientium, & tamen amore obedientiæ zelum frenare, & petitum baptismum intermittere: arduum est, sæpiùs invitari ad fundandas novas Christianorum Colonias cum spe innumerabilium animarum, & tamen ex nutu Superiorum de loco se non commovere: arduum est, ex loco cedere, ubi messis animarum jam matura, in vestigio aliò migrare. Hæ, & id genus aliæ occasiones profectò sibi poscunt heroicam obedientiam, & subjectionem non tantùm voluntatis, sed & proprii judicii. Illi quidem, qui ultra superficiem hujus virtutis non penetrant, solis oculis rem metientes, tantæ virtutis specimen tanti non facient, cùm interim vix quidquam sit, quod ferventi Missionario difficilius, & molestius accidere possit. Contigit aliquàndo (in quibus circumstantiis, non memoratur, quamvìs id divinare facilè nobis foret) contigit, inquam,

quam, ut in perficiendo Superiorum mandato tantam ſibi vim inferre cogerur, quanta ſatìs erat ad Virum gravi morbo ſternendum.

Huic tam excellenti obedientiæ ſociaverat parem animi demiſſionem, & ſuiipſius deſpicientiam. Certè nihil in ſe ipſe reperiebat, niſi varias ſui deprimendi cauſas, & ſe, ſuáque erubeſcendi. Tametſi enim ſuas laborioſas Miſſiones ipſusmet præ oculis haberet, nec abſque animi ſolatio, partim ob ſudores bene profuſos, partim ob ingentem Barbarorum numerum, ad fidei lumen deductorum, hæc tamen omnia nimìs exigua, quin nihil reputabat, culpâ in ſuas noxas rejectâ, quæ impedierint, quò minùs ſanguinem amore Dei ſui adhuc profundere potuerit. Quamquam ab hac ſpe ſæpiùs haud procul aberat, niſi divina tutela miris ſupra naturam modis à præſentiſſimo vitæ periculo eruiſſet. Ex hoc ſui ipſius deſpectu enata eſt ſpontanea corporis, & internorum appetituum caſtigatio rigidiſſima. Corpus ſanè proprium perinde reſpectabat ac jumentum. Abſtinentia illius modica oriza, aut malè decocti tritici Indici portione, aut ſylvarum fructibus parcè circumſcribebatur. Tum verò ſibi lautè victitare videri poterat, ſi perperam, hoc eſt, barbarè parato piſce veſceretur. Denique Viri paupertas à terrenis tam procul ſe removerat, ut (quemadmodum unus ſociorum de illo loquitur) humanas inclinationes atque affectus vel non habuiſſe, vel penitus exuiſſe cenſeretur. Itaque ſoli promovendæ divinæ gloriæ, & animarum ſaluti natus videbatur, in quo ipſo totus quantus erat. Mirum proinde non eſt, Deum tantam Servi ſui virtutem tam felici mortis genere ornare voluiſſe, atque coronare.

2.

CA-

CAPUT XVII.

De Conversione populi Morotocos, & Quies. Item de nova per flumen Paraquarium tandem detecta via ad has Missiones.

§. I.

1. Boxi Neophyti mittuntur ad Morotocos. Casus lepidus Indis senis. Amicè suscipiuntur. 2. ArmaMororotocorum. Proles necant: ex quibus paucas reservant. Uxor est Domina domûs, viri, servi vilissimi. 3. Nullum certum illis regimen, nec religio. Infelix eorum regio. Potus ex palma. Nudi non frigent. Ætas longæva.

1. Cùm P. Joannes de Zea Reductionem S. Josephi lustrâsset, negotium dedit, ut pagi gentis Tapuyquias peragrarentur, & ad recipiendam Christi legem excitarentur. In eum finem viæ se accinxerunt aliquot Indi ex natione Boxorum, assumpto secum uno Tapuyquio, quem Boxi, adhucdum Ethnici, captivum abduxerant. Confecto aliquot dierum itinere offenderunt viam, ossibus humanis bene multis constratam. Ex quo Boxi conjectabant, non longo antè tempore aliquos Tapuyquios illac transiisse. Hac via insperatò pervenerunt ad agrum, in quo senex Indus cum suis laborabat. Exhorruit misellus Indus ad Boxorum conspectum, & vel procul in genua procidit, rogans quà nutibus quà clamore vitæ gratiam. Initio hæ preces Boxis risum moverunt, deinde pulso metu in locum hostilitatis hominem cultro donârunt, quo munere mirè lætus senecio præ solatiô saltitare cœpit, deducens postea suos hospites ad suum vicum. Ibi ab universis amicissi-

mè

mè sunt excepti. Hanc benevolentiam remuneraturi, & simul diutius conservaturi, munuscula Europæa impertierunt, quæ ab illis moximi æstimabantur. Illud periniquum cadebat, quòd sese invicem non intelligerent ob idiomatis diversitatem. Hac proin vice nihil aliud effectum dederunt, nisi quòd duos pueros in viam obtinuerint, Chiquitorum linguâ instruendos, futuros postmodum interpretes.

At verò hi Indi non erant Tapuquii, ut crediderant, sed populi Morotoci, vel ut alii vocant, Corvini. Est ista gens sat magnâ corporis staturâ, & lacertosâ. Armantur telis & lanceis, ex præduro ligno confectis, quibus quidem magna dexteritate utuntur. Numerus eorum non est frequens quà ob multiplicem pestem, quà ob continua cum vicinis bella, quà ob id etiam, quòd proles tantùm duas educent; cæteræ enim à matribus necantur, ut ab educandi molestiis se liberent, & unà impudicam vitam commodiùs continuare possint. Solis fœminis datur honorarius titulus Dominæ, quales revera sunt, cùm ipsæ viris imperent, qui ex stulto uxorum arbitratu sæpiùs habitationes suas mutare coguntur. Nihil laboris domestici in se suscipiunt mulieres, sed in abjectissimis quibusque etiam rebus virorum servitia exposcunt. 2.

Præest quidem huic populo Caciquius, sed nullam regiminis speciem nôrunt: neque certæ cujusdam religionis sunt, licèt magos honorent. Regio ex se est sanè una ex infelicissimis, quia tellus penitus infructuosa. Clauditur insuper vastis sylvis & asperis montibus. Ex quo colligas, licet, alimenta ibi locorum esse, & viliora, & rariora præ aliis terris. Cibus eorum potissimùm sunt radices, quibus sylvæ abundant. Sed & potum ex eisdem sylvis petunt. Nam aquæ loco ex dissecta palma crassam, & spongiosam medullam eximunt, ex qua succum exprimunt, & bibendo abliguriunt. Hyemis quidem tempore est acre frigus, quod tamen, etsi nudi incedant, parùm illis incommodat, quoniam cute duos facilè digitos crassa, pridem indurati muniuntur. Unde ipsis robusta, ac sana corporis constitutio, ut inter illos viri æquè ac fœminæ centesimum annum vivendo excedant, donec citra omnem morbum sola senectutis necessitate emoriantur. 3.

CAP. XVII. §. 2.

1. Morotoci bene afficiuntur Christiano modo vivendi. Eorum pagi quinque ad Coloniam S. Josephi transferuntur. 2. Alii Indorum pagi sunt in spe Conversionis. Sed memoria injuriarum cogit Neophytos retrocedere, ablatis duobus pueris, qui dein occasio sunt convertendæ suæ gentis.

1. DUobus adolescentibus ex hac gente, quos Boxi secum abduxerant, Christianus vivendi modus valde placuit, uti etiam cum tempore eorum gentilibus, miro gaudio affectis in consideratione abundantis victûs, & quietæ Neophytorum vitæ. Itaque sine mora concluserunt, vel relicta sterili patriâ sua Christi legem amplecti. Eodem anno, quo hæc fiebant, in procinctu pariter erat P. Philippus Suarez ad invisendos quinque alios pagos Morotocorum, & ad veri DEI cognitionem permovendos. Huic tamen expeditioni moram tantillam fecit mandatum P. Vicarii Provinciæ Antonii Garriga, quo jubebatur post P. Joannem Patricium Fernandez illis Missionibus præesse. Nihilominus ne occasionem negligeret, maturavit iter in messem, eámque tam auspicatam, ut totum populum secum reduceret. Nec nihil difficultatis principiò fuit translatæ genti, ut etiam veterem respiceret patriam. Causabantur enim, hunc terræ situm non facere ad suam valetudinem. At DEUS repensurus servo suo Apostolicum laborem, præcipuè longam sitis patientiam, qua per dies quinque ne quidem aquæ guttam gustavit, zelum Patris ratum habuit. Quippe deliniti tandem Indi, in Christi nomen unanimes condixerunt, & in S. Josephi communitatem transferendos se præbuerunt.

2. His feliciter peractis intellexit insuper de pluribus aliis Indis, in viam salutis pariter deducendis. Erant hi populi, *Quies* dicti, Morotoxis quidem contermini, sed alterius idiomatis: item Cucarates, versus Boream degentes, Careræ, & Zarieni sive Ibriaya, qui ad fossam salinariam habitabant, præterea Zamucí, qui licèt linguâ, & armorum usu cum Morotocis conveniant, tamen in hoc diversi sunt, quòd cum populo Tobas & Mocobies capite tonsi sint, & muliebris

sexus

ſexus honeſtè tectus. De his aliiſque pluribus Nationibus, in plaga Auſtrali versùs ſpatioſiſſimas regionis Chaco provincias ſitis, ubi recognitum eſt, illico cura ſuſcepta eſt docendi in fide Cucurates, & Quies, qui ad flumen, in Paraquarium influens, habitabant. Miſſi ſunt igitur ad illos aliquot Boxi, & Chiquiti, qui quidem poſt dierum aliquot iter ad Quies pervenerunt, ſed ſine deſiderato ſucceſſu. Tametſi enim nemo reſiſteret, nihilominus nullus Barbarorum hoſpitibus fidebat, vel amicis eorum verbis, quibus alliciebant, aurem accomodabat. Quin fuêre aliqui Barbari, qui his advenis non invitatio objiciebant illata per ipſos prioribus annis damna, & ut oſtenderent ſe adhucdum memores eſſe exercitæ hoſtilitatis, vulnerum acceptorum cicatrices exhibebant. Infectis proin rebus recedendum fuit noſtris Neophytis. Id unum commodo fuit, quòd duos pueros ad diſcendam Chiquitorum linguam ſecum in reditu duxerint. Verùm hi ipſi parvuli, antequam in patriam redierant, anſam dederunt, ut paulò pòſt cæteri eorum populares Chriſto nomen dare non jam dubitarent. Quippe cùm parentes dictorum parvulorum quà curioſitate, quà innato amore ducti, reſcire cuperent, quî ſe haberent filii, ad Chriſtianam Communitatem ſe contulerunt. Et verò ſtatim amore capti ſunt, dum videbant, quàm bene non tantùm eorum filii, ſed & ipſimet tractarentur cum omni amoris ſignificatione. Itaque hi primùm, poſtea & cæterus populus in Reductione S. Joſephi Chriſtianæ Legi ſe ſubjecit. Equidem aliquot familiæ amore patriæ remanſerant, cum firmo illam nunquam deſerendi propoſito, ſed zelo denique P. Philippi Suarez victæ ſunt, dum fortè hic Pater Anno 1715. apud illas pertranſierat, obviaturus Guayranis Miſſionariis.

Cap. XVII. §. 3.

1. Variarum nationum notitia accipitur, revera Regionis del Chaco. 2. Liberalitas in Zamucos parit odium inter Cucarates. 3. P. Zea neci proximus: excipitur à robusto Neophyto. Fructus tamen Missionis hujus.

1. PRo Missione ad Cucaratas nolebat P. Zea sibi socios assumere Chiquitos, ne ille populus horum conspectu territus fortassis diffugeret. Quare cum solis Morotocis aliquot iter aggressus est. Postquam primum Cucaratarum pagum attigerat, aliquos ibi Zamucos reperit, qui ad Patrem invisendum accesserunt. Cum his diu sermones miscuit, præcipuè cum aliquo Caciquio, qui satis instructionis de sua patria dedit. Narrabat inter alia, in sua regione sex nationes versari, quarum quælibet magnitudine par Reductioni S. Josephi, quæ ipsa tunc temporis numerabat quingentos Indos. Præter has, ajebat, alias sex inveniri gentes, numero pauciores, proximè sibi invicem conjunctas, apud quas id commodi, quòd unicâ ex natione oriundæ, una eademque linguâ loquantur. Nec paucos præterea populos esse, qui utrumque litus fluminis non exigui, ab ortu in occasum tendentis, obsident. Ab his non procul abesse populos Tobas, Caipioturades, & alios magno sanè numero, cum quibus sibi perpetua propè bella sunt. Ex hac relatione colligere erat, hanc tam populosam regionem non aliam esse, quàm regionem del Chaco, per quam diu, & sedulò, sed incassum aditus quæsitus est ad conjunctionem arctiorem harum Missionum cum cætera Provincia.

2. Quanto magìs igitur P. Zea hujus operis effectum cnostanter optârat, tanto ardentior instabat Zamucis, ut veri Dei cognitionem persuaderet. Donabat igitur illis liberaliter cultros, serras, vomeres, & id genus alia ad opus rusticum instrumenta. At Zambuci verebantur accipere tam larga munera, cùm propterea à Cucaratibus invido oculo aspicerentur. Objectabant enim, Zamucos proprii tantùm lucri studio Patrem adiisse, in suum necessariò præjudicium. Quanto enim liberalior se profunderet in Zamucos, tanto parciorem in Cucarates fore credebant. Non attentâ hac discordi invidiâ, adegit tamen

P. Zea

P. Zea Zamucos ad recipienda oblata à ſe munuſcula; quoniam Deus facilè eſſet proviſurus ut omnibus & ſingulis aliquid poſſet impertiri. Verùm ſive iſta munuſculorum cauſa fuerit, ſive quòd Cucarates non ſerio animo agerent in amplexanda fide, ne quidem tam liberale Patris promiſſum Cucaratum votis ſatisfecit. Quocirca unus Caciquiorum Patrem aggreſſus, ſeorſim abripuit, jamjam mactaturus. Fucum neci prætendebat, quòd non alio fine veniſſet, quàm ut populum ſuum fraudibus circumveniret.

Equidem Vir martyrii cupidus felicem ſe reputabat, quòd occa- 3.
ſionem pro Chriſto moriendi tandem nactus fuiſſet. Interdixit proin Neophytis ſuis, ne quis eorum beatam mortis ſortem interverteret. At enim unus perquam robuſtus ex Monoticis hoc non ferendum ratus, intrepidè accurrit, rapuitque Patrem è Caciquii manibus dicens - *Quare vis Patrem noſtrum occidere, cùm tamen adeò bonus Vir ſit?* Dolebat quidem ardens Miſſionarius, ſibi tam optatam occaſionem fuiſſe ſubitò ereptam, mirabatur tamen facinus Barbari, qui paulò antè truculentæ feræ ſimilior, quàm homini, jam defenderet Chriſtianam legem, ejúſque prædicatorem ſe præberet. Motus eo facto Pater ſacroſancta Chriſti pendentis vulnera pio oſculo eſt veneratus, utpote quorum pretioſo Sanguine corda Barbarorum ita fuerant emollita. Atque hæc erat tam ferventer ſuſcepta ad Cucarates Miſſio, nec abſque omni fructu. Inprimis enim aliquot familiæ ex hac gente in Coloniam S. Joſephi ſeſe emancipârunt, quorum exemplo poſtmodum plures aliæ eò tractæ ſunt.

Cap. XVII. §. 4.

1. Iter difficillimum duorum Patrum inter continuas Barbarorum inſidias. Via tamen ad Chiquitos non reperitur. 2. Munuſculis deliniti Barbari ceſſant infeſtare.

Cogor hìc filum hiſtoriæ tantiſper interſecare, ut referam labo- 1.
rioſum iter, & glorioſam capite ſequenti explicandam mortem duorum Apoſtolicorum Virorum P. Joſephi de Arce, & P. Bartholomæi de Blende. Hi duo ſub finem Januarii Anno 1715. ex urbe, & portu Aſcenſionis B. V. Mariæ profecti ſunt, detecturi

tandem in flumine Paraquario toties, sed frustrà quæsitam viam ad Chiquitos. Abeuntium latus usque ad portum stipabat non tantùm plebs totius urbis, sed etiam ipse D. Gubernator ejus Provinciæ. Sub eundem abitum impetrandi felicis itineris gratiâ in templo Cathedrali expositum est Numen Eucharisticum. Nihilominus præmisso tanto, & tam universali omnium desiderio Deus, cujus judicia nobis sunt inaccessa, permisit, ut optatus scopus non obtineretur. Siquidem omnia itineris offendicula si ex ordine enarrare vellem, finem vix invenirem. Fuerunt certè pericula cùm ex hostibus, tum ex latentibus scopulis & breviis in vasto hoc flumine, tum ex contrariis ventis, & iniquis tempestatibus. Primum, & periculo plenum fuit offendiculum à perfidis Barbaris, quos Payaquas vocant. Hi Patribus obviàm facti præseferebant speciem integræ amicitiæ, ceu nihil magis affectarent, quàm Christianam Fidem, dum interim id unum intendebant, ut totum Comitatum ducerent captivum, naves incenderent, & ferramentis ibi repertis potirentur. Sed enim hoc pium propositum vel ipsis aliquibus Barbaris nimis inhumanum est visum, ut etiam impetum suorum clàm reprimerent, nobis interim de periculo admonitis. Hoc igitur Payaquarum maleficio eum in modum declinato, alterum discrimen adierunt apud Guaycureos, potentes populos, sed Hispanis, & nomini Christiano semper infensissimos. Spectabantur isti de die & de nocte ad litus Paraquarii, inhiantes nostris navibus. Abscondebant se aliqui hostium in alvei lateralis angustiis, quæ non sine periculo prætereundæ erant. In horum proin rapaces manus certò certius devenissent, nisi repentinum Deus misisset ventum, qui navigium aliò abreptum, Barbarorum insidiis subduxit.

2. At Barbari licèt sui propositi fine frustrati, necdum litora fluvii deserebant, donec à nostris naviculariis munuscula acciperent, puta cultellos, & alia ferrea, imò & aliquid telæ lineæ, qualia dona Guaranicæ Reductiones Neophytis Chiquitis eleemosynæ titulo transferenda dederant. Dilapsis hoc pacto hostibus, adversi venti negotium fecerunt, ut continuis remis utendum fuerit. Accidit aliquando, ut impactum in arenas navigium exonerare cogerentur ad cursum repetendum. Cætera cura erat, ut in lingua Chiquitorum se perficerent, interea tamen viam ad Chiquitos quærendam non negligerent. Nec aberat periculum in eo, cùm hostes iterum se palàm ferebant, qui variis, sed falsis in favorem scil. navigantium informationibus,

nobis

nobis imponere, & illudere satagebant. Quin nec DEUS ipse ob incognitas nobis causas voluit, ut depactum ad plagam Borealem à P. Fernandez signum viæ ad Chiquitos ducentis deprehenderet, etiamsi per septem propè menses indagando nulli industriæ pepercissent.

CAP. XVII. §. 5.

1. P. Arce terrestri itinere pergit quærere quæsitam viam cum Comitibus Indis. 2. Fame premuntur. Sylvæ superandæ difficultas. 3. Zelus P. Arce infatigabilis inter perpetuas ærumnas. 4. Morbo corripitur, nec à suis deseritur.

HUnc, simúlque priorum annorum sinistrum exitum secum reputans P. Josephus de Arce, consilium omnium sententiâ temerarium iniit, nisi cognitus zelus & amor Missionum excusaret. Hoc Apostolico ardore accensus, & simul firma in DEUM fiducia animatus, duodecim fortissimos, & in fide insuper ferventissimos Indos sibi delegit. Cum his deserta nave iter terrestre iniit, non destiturus, donec Christianas Chiquitorum Colonias detexisset, etsi id aliter fieri nequiret, quàm cum periculo in hostiles Barbarorum manus incidendi, aut ex fame & siti pereundi. Quanta autem in hoc ærumnoso duorum mensium itinere passus sit, non meis verbis dabo, sed afferam partem narrationis, quam à quinque redeuntibus viæ comitibus accepimus. Relatio est talis. R. P. Josephus de Arce sumpto secum Christo Crucifixo ad Lacum Mamorensem exscendit in continentem. Ibi mox iter ingressus, quatuor nostrûm duntaxat se comitari voluit, reliquis octo subsistere jussis, donec porrò imperium daret. Sed dies pauci intercesserant, cùm missâ brevi epistola monuit, ut ipsum sequeremur. Igitur post aliquot dierum iter ex conspecto procul fumo collegimus, ubinam Pater reperiretur. Delatos ad locum ambobus brachiis nos amantissimè est complexus. 1.

At cùm eo toto die nihil prorsus cibi nobis fuerit, & simul miserias amantissimi Patris diutiùs cernere non possemus, citato passu ad navigium regressi sumus, pro viribus alimenta apportaturi. Reduces Patrem solum offendimus, reliquis ad escam quærendam dispersis. 2.

Accen-

Accenderant hi ignes ad capiendum fortè fortuna cuniculum unum, & alterum. Et Pater quidem tam erat emaciatus, ut præter pellem & ossa nihil in illo conspiceres. Reditu nostro admodum recreatus, solatium suum multis lacrymis, & tenerrimo amplexu nobis est testatus. Sedata igitur tantillùm fame iter prosecuti sumus, & ingenti quidem cum difficultate; nam toto die cum densissima sylva luctandum fuit, ut tandem, ubi essemus, quò declinandum nobis foret, ignoraremus. Et verò nec sibi jam, nec nobis Pater ipse consulere poterat, utpote perditâ etiam âd reditum viâ. Denique nos allocutus: filioli, inquit, qui ex vobis tantis porrò laboribus sese impares sentiunt, mea pace redeant ad naves viâ quacúnque. At nos unanimi voce respondimus, statuisse omnes perseverare apud Patrem, ubi ubi, & quocunque vellet tendere. Hujus decreti nostri firmitatem eodem adhuc die Deus tentandam putavit, quando levandæ siti nihil suppetebat præter malè olentem paludem. Emenso aliquot horarum intervallo bona sors cervum nobis persequentibus in prædam dedit. At cùm denuò potus deficeret, unus nostrorum effossa ad duas orgias terrâ fontem feliciter aperuit, quem provido sanè Numini grati hilarésque adscripsimus. Ad hanc proinde scatebram aquæ totam noctem exegimus, viribus reficiendis intenti ad futuros labores. Altero quippe die occurrit nobis vastissima sylva, per quam semita magno labore asciis fuit complananda, donec in planitiem peramœnam eluctati sumus.

3. Hîc loci P. Arce iterùm ad nos conversus, cùm debiles nos magnopere ex laboribus crederet, admonuit, ut siquis fortè redire cuperet, tempori id faceret, dum licet. Se enim statuisse Dei, & Superiorum suorum voluntatem exequi, quamdiu quidem provivere daretur, etiamsi per unum aut plures annos in his sylvis sibi errandum esset. Quòdsi occurrerent Ethnici populi, in medium eorum, quicunque forent, se illaturum ajebat, ad annuntiandem Dei legem. Usque adeò magna, & in immensum porrecta desideria erant hujus Apostolici Viri, cùm interim vix pedibus consisteret. Quæ quidem Viri oratio nos non tam in admirationem rapuit, quàm ad continuandos labores animavit. Obstabat iterum sylva nobis perrumpenda, in qua dum per senticeta Pater se penetrare cogitur, altera rogæ suæ parte spoliatus est; unam enim vestis partem ignis consumpserat, cui ad se calefaciendum justo propior factus estat. In hac quidem solitudine

de

de novo Pater ita vires fregit, ut ad singulos ferè passus humi concideret, quin semet relevare valeret. Itaque à nobis duci oportuit. Hac ratione ad fluvium aliquem delati sumus, ubi captis pisciculis aliquantisper morati sumus, & eo quidem loco, quo opinione nostra Barbarorum manipulus paulò antè nos consederat. Pergere ulteriùs per diem non sinebat Patris debilitas, quo pacto plusculi dies præteriêre, quin nobis alimenti quid esset, nisi sylvestres fructus. In his duris sanè circumstantiis summæ admirationis fuit ingens patientia, & animi conformitas in nostro dilectissimo Patre. Nunquam ille vel leviter conqueri, sed in Deo absorptus omne tempus transigere. Illud maximè stupebamus, dum quot diebus, priusquam in via pergebamus, longum tempus genibus flexus orationi primo diluculo dabat. Interea aliquid solatii ad breve tempus nobis indulgere visus est bonus Deus, cùm præmissi exploratores nostri procul ascendentem fumum conspexerunt, id quod fausto omini datum. Præterea primo Octobris obvius nobis fuit fluvius, qui pisces, & testudines in victum nobis suppeditavit. Sed inde profectos iterum cibus, & potus defuit, ut præter palmarum fructus nihil Patri nostro offerremus. His ipsis panis loco fruebamur, & nos, sed sinistro eventu. Certè P. Josephus statim stomacho laborare, dein internis caloribus uri cum ardentissima siti.

Hæc infirmitas, quidquid reliquum erat exiguarum virium, ita imminuit, ut opinione nostra de ejus vita esset conclamatum. Nec 4.
æger ipse dissentire videbatur, quandoquidem nos rogavit, ut ipsum deduceremus ad aliquod flumen, ubi jacentem solum illum relinqueremus, ad Paraquarium redituri. Hoc enimverò curas mirum quantum auxit, non tam ob insolitum hoc postulatum, quàm quòd cadaveri magìs quàm viventi homini similis cerneretur. Imò solaturus nos ne quidem verbum exprimere potuit ex linguæ inflammatione. Verùm vel solus aspectus Viri nobis omnis exhortationis loco fuit. Nam de ipsius magìs, quàm de nostra vita soliciti, iterum ipsi confirmavimus, nos paratos cum illo vivere, & mori. Aliquanto tamen pòst tempore se recollegit, etiam spiritu naturæ vires subministrante, ut adeò viam repeteret, quamquam identidem in terram procideret. Quarto subin itineris die modicum mellis sylvestris reperimus, quod ipsum in ardentis sitis levamen Patri porreximus. Interea unus nostrum ex conscensa arbore occasum versùs denuò fumum ascendentem

notavit. Iste, ut postea compertum est, excitatus erat ex igne, quem Indi Christiani sub cura Patris de Zea accenderant, dum ex ora fluminis Paraquarii domum revertebantur. Cùm igitur exploratum fumo locum attigissemus, Patrem in reti pensili deportandum deinceps duximus, veriti, ne brevì mortuus concideret, si diutiùs peditem illum ire sineremus. At nulla ratione id Pater admisit, testatus, se velle nobiscum, quidquid adversitatis foret, perpeti usque ad ultimum vitæ halitum. Sequens dies (erat Feria VI.) nobis in solidum fuit esurialis nempe ex inopia omnis cibi. Proximo autem Sabbato obtigit in escam una testudo, quam Patri nostro obtulimus.

Cap. XVII. §. 6.

1. Viam ad Chiquitos inveniunt cum gaudio. Ad Reductionem S. Raphaëlis deferuntur, ubi Pater Zea. 2. P. Arce iter continuare nititur, sed mora facta disponente DEO per pluvias, ne periret cum aliis.

1. TAndem aliquando post tot exhaustas ærumnas illuxit optatissima tam diu hora, quæ in via tanto studio quæsita versùs Chiquitos nos constituit. Gaudium, quo ea de causa Vir Dei erat delibutus, explicari vix potest. Certè lacrymas solatio plenas illi expressit, nec aliud vel cogitare vel loqui sciebat, quàm debitas cœlo gratias rependere. Ad has agendas nos quoque Socios voluit, id quod decantatis Litaniis Lauretanis etiam præstitimus. Post hæc pertigimus ad locum, ubi pridie sacrum fecerat P. Joan. Bapt. Zea. Hìc loci nobis denuò collectis gratias multiplices lacrymis magìs quàm verbis dixit, quòd sui causâ tot molestias, & ærumnas exantlâssemus, & spopondit simul perennem, quoad viveret, nostrûm omnium memoriam. At hoc solatium, quo hunc universi fruebamur, non nihil minuit casus Patris. Quippe effigiem Christi Crucifixi in via se perdidisse deprehendit. Inquisivimus quidem omni diligentia, sed nuspiam illa reperta est. Hæc jactura amantissimum Dei Servum ita afflixit, ut insomnem duceret noctem in consideratione, quàm potenter inter ærumnas cor suum ea Crux corroborâsset. Postridie nobis obvenêre & potus aquæ & pisces, simul duo Christiani, qui

qui sacratum aræ lapidem cum cætero sacrificii paratu Patri de Zea secum deferebant, nósque rectà ad pagum deduxerunt. Quo gaudio & animi affectu hi duo Apostoli se mutuò salutârint, citiùs cogitaveris, quàm scripseris. Hucusque dicta Indorum relatio se porrigit.

Mora, qua P. Arce in hac Communitate, nempe S. Archangeli Raphaëlis, se detinuit, admodum brevis fuit, festinabat enim Superiorum voluntatem exequi. Itaque denuo iter arripuit, brevius quidem, sed æquè ærumnosum usque ad lacum Mamorensem, ea spe, quòd Patrem Blende, & relictam navem esset reperturus, sed frustrà. Quoniam P. Blende post longam exspectationem ab naviganтibus coactus est solvere atque redire. Dubius igitur, quid consilii caperet, à Vicario Provinciæ Præside literis monitus est, ut se exspectaret, pariter cum illo navigaturum. Respondit P. Arce huic suo Superiori, se diutiùs ad S. Raphaëlem posse morari. Cùm enim naves jam discessissent, in animo sibi esse, naviculis contendere ad Payaguas, quorum mentem & inclinationem ad recipiendum Evangelium in nupero transitu satis exploratam haberet: spem adeò sibi facere, quòd illi ad urbem Assumptionis Mariæ se essent comitaturi, ex qua mense Aprili sequentis anni regrederetur ad deducendum P. Vice-Provincialem. Verùm iste non exspectato hoc responso, mox in viam se dedit cum P. Zea, qui exactis quinque mensibus in illa Missione se Comitem obtulerat. Quin magnanimum insuper promissum addit P. Zea, nimirum si P. Blende cum navigio suo jam abiisset, se naviculas confecturum, & posthabitis periculis, & hostibus Patrem Vice-Provincialem ad urbem Assumptionis deportaturum. Animosum hoc propositum equidem Deo non displicuerit, sed ille in ejusdem executione aliud statuit. Vix enim triginta & aliquot viæ milliaria confecerant, quando tam copiosa pluvia decidit, oppletis ita lacunis, & paludibus, ut citra submersionis periculum in tanta eluvione iter prosequi non potuerint. Imò si etiam Paraquariam attigissent, in Barbarorum manus incidissent, ambo necandi. 2.

CAPUT XVIII.

P. Josephus de Arce, & P. Bartholomæus Blende à Barbaris Payaquis trucidantur. Mentio brevis de utriusque Apostoli virtutibus.

§. I.

1. Apostata cum veneficis evertit spem Missionis.
2. Necatur ab his ipsis P. Blende cum Sociis.

Postquam P. Arce Socium suum Patrem in navi reliquerat, terrestri itinere ad Chiquitorum Missiones penetraturus, Pater Blende duos in ea Ora menses duravit, cum proposito non abscedendi, donec notitiam de Socio Patre Arce prius accepisset. At huic proposito obstitêre duo Hispani, unus navicularius, alter Centurio, qui Patri dudum offensi ob interdictum plagium, longiorem Patris Arce absentiam querebantur. Itaque seu veris seu fictis rationibus id agunt, ut Pater cum illis reverteretur. Iste principiò id præcisè abnuit, cum monito, ut incommoda itineris pro Dei gloria porrò perferre non gravarentur. Sed cùm querelarum non esset finis, & insuper minæ accederent, fore nimirum, ut Patrem solum desererent, Barbarorum lanienæ expositum, coactus est ille obsecundare.

1. Hoc cùm intellexisset Quari Caciquius Payaguarum, cum suis popularibus Patrem abeuntem insecutus est, Legem Christi suscepturus, & uni Christicolarum communitati se cum suis conjuncturus. At quoniam probè nôrat, quòd inter suos aliqui essent, qui Ductore Apostata, nomine Ambrosio, meri præstigiatores, & obstinati magi firmiter statuerant brutam, effrenémque vitam prosequi, consilium iniit se cum suis reliquis separandi. Itaque paratis naviculis, quas Indi Canoas vocant, omnem rem suam familiarem imposuit,

Patrem

Patrem etiam celoribus suis præventurus. Quin omnibus, qui in vicinia urbis ab assumpta in cœlum Virgine dictæ habitabant, persuasit, ut ipsum sequerentur, id quod læti & alacres præstiterunt, mox itineri sese accingentes. Atque in hoc Statu tunc quidem erat spes conversionis hujus misselli populi, ut nemo de prospero rerum exitu dubitaret. Verùm damnatus Erebi hostis omnem eam spem pessumdedit operâ memorati Apostatæ, & veneficæ suæ cohortis.

Vir Dei ex præcepta spe tanti lucri, quod de tot animabus jamjam se fecisse crediderat, sub occidentem solem anchoram jecit proximè ad paludem Tarrè vocatam. Illuc impii proditores venerunt, quasi Patrem visitaturi. Simulabant suam amicitiam, & suæ defectionis & erroris pœnitentiam præseferebant. Optimus Pater, nihil nisi earum animarum lucrum ambiens, omni benevolentia hos advenas excepit, & in sancto proposito modis omnibus confirmavit. Latrones autem hi ad tegendas suas technas rogabant Patrem, ut eorum impedimenta suam in navem reciperet, quò faciliùs cum suis lembis sequerentur. Hoc admisso subitus, & sat vehemens ventus navigium, quo vehebatur Pater, tam concitato cursu abripuit, ut proditorum lembi, alioquin celerrimi, magno pòst intervallo relinquerentur. Mam vix trium dierum impendio majorem navim sunt assecuti, id quod sceleratis valde doluit, veritis nempe, ne meditatum scelus exitu careret. Hunc ut certiùs obtinerent, Patris ipsius navem conscenderunt specie petendi alimenti. Primus intrantium navem fuit Indus juvenis, Cotaga vocatus, filius magi infamis. Amabat hunc Pater, ut adeò assidere lateri suo plerúmque pateretur. Fortè de more iterum latus Patris tenebat, alius verò latus Hispani, qui remigabat. Hic dum jacentem ibi asciam observat, callidus insidendo eandem texit. Tum verò dato utrinque signo latronum primus nautam aggreditur, cui uno asciæ ictu caput demetit. Eodem temporis articulo Cotaga Patrem brachiis validè constringit, ne moram resistendi daret, alter autem lauro immani ictu Patris verticem findit, & cùm residuæ vitæ motum deprehenderet, semel atque iterum plagam repetit. Post hos barbari carnifices invadunt reliquos Christianos, Patris Comites, & unà omnes necant. Indum quidem adolescentem, qui Patri ad aram servire solebat, multis lanceæ vulneribus confoderunt. Peracta hac cæde mirè triumphabant homicidæ truculenti, subsiliebant, sibi plaudebant. Demum ad Lanienam reversi,

singula cadaverum capita resciderunt, & in ripa insulæ, quam fluvius facit, reliquerunt, & corpus quidem Patris Blende in medio cæterorum collocarunt. Navigium verò flammis absumpserunt, ut clavos ferreos, & reliqua ferramenta in prædam acciperent. Cæteram supellectilem cultui divino factam, puta, calicem, & amictum sacrificantis cum aliis in frusta conciderunt, sibíque quisque pro libidine ex iis vendicavit, quidquid poterat rapere.

Cap. XVIII. §. 2.

1. P. Arce reperit cæsa Patris Blende, & Sociotum corpora. 2. Animat suos ad simile Martyrium. 3. P. Arce cum tredecim Christianis & ipse occiditur. 4. Cæleste necis hujus futuræ omen. 5. Interfectores à Caciquio Catechumeno puniuntur.

1. AT enim scelerati hi percussores hoc maleficio, quod diximus, necdum saturi, ut potiùs efferatiores inde & crudeliores porrò furere perexerunt. A malo enim genio, & hujus pedissequis magis instigati, finem tragœdiæ huic statuerunt facere etiam in Rev. Patris de Arce nece. Nempe ut hoc pacto illum tollerent è medio, qui eorum scelera castigare, pessimos mores exprobrare consueverat: ut denique popularium suorum animos à profitenda Christi lege averterent. Itaque summa solicitudine explorabant, quò Patris iter vergeret. Hic autem, cùm alteram speratam navem nusquam inveniret, aliam suopte Marte, quoad poterat, cum suis fabricavit navim. Hanc conscendit cum 12. Indis recentibus Christianis, qui eò usque in tot & tantis periculis fideles Patris Comites fuerant ab ipso initio Decembris.

2. Et verò ipsorum navigatio tam prosperum tenuit cursum, ut pauculos intra dies attigerint illam insulam, in cujus litore cæsa Sociorum corpora jacebant. Et quoniam illa prorsus recentia cernebant, properam exscensionem fecerunt in continentem, inspecturi cominus cadavera. Neque alia, quàm ipsius Patris Blende, & sociorum corpora esse revera deprehenderunt. Quot animi motus, quot dulces lacrymas Patri Arce aspectus horum felicium Christi Martyrum elicuerit:

rit: quantus item dolor ejusdem cor incesserit ex jactura tam pretiosi Socii, faciliùs est cogitare, quàm scribere. Stravit se humi, corpúsque Martyris complexus rigavit suis lacrymis. Interim sanctè invidebat Eidem tam beatam sortem, nihilque magis cupiebat, quàm pretiosum pignus secum auferre, sed tantum spatii navigiolum non dabat. Ignarus nempe tunc erat optimus P. Arce, sibi à Deo parem mortis gloriam reservari ad coronandos tot Apostolicos labores, & sudores. Indi Patris Comites considerata suorum gentilium crudelitate in innocentes, ingenti timore perculsi ajebant: *Pater, matura nobiscum reditum. Payaguæ enim cùm tam infenso in nos animo sint, pari barbarie nos æquè ac alios tractabunt, si comprehenderint.* Pater ad hæc: *non ita*, inquit, *filioli mei, non ita. Longinquam nimiopere viam jam confecimus. Neque DEUS nos destituet, quandoquidem hoc iter non nisi pro ejus majore gloria susceperimus. Saltem ò Pater* (reponunt Neophyti) *liceat nostra arma, fistulas ferreas, & sagittas cum cæteris in procinctu habere.* At Pater nec hoc annuit, palàm confessus, se nihil aliud desiderare, quàm mortem pro Christo. Ipsimet proin ne dubitarent consecrare vitam suam Deo suo. *Quòd si*, inquiebat, *inceptum negotium omni nostro labore & sudore ad exitum perducere nequimus, defectum hunc nostro sanguine suppleamus. Certè nihil acceptius DEO, nobísque utiliùs præstiterimus, quàm si veritatem fidei nostræ cruore nostro obsignemus. Nullo proin pacto dimittamus è manibus illam coronam, nobis à cælo imponendam: coronam*, ajo, *tam ardenter à tot aliis quæsitam, à paucis inventam. Sanè nullo compendio citiore & faciliore vitam æternam mercabimur, quàm si Payaguarum secures & lanceæ è miseris his terris brevì nos sustulerint.* His verbis boni Neophyti ita accensi sunt animo, ut penitus statuerent suum pium Patrem sequi usque ad profusionem sanguinis pro Christi Fide.

Interea, cùm sacro Martyrii ardore pleni navigabant, animadvertunt se in præsentiarum reipsâ dilapsos esse in manus suorum latronum. Hi enim improvisò ex fruticeto prorumpentes, harpagine corripuerunt navem, & ripæ applicuerunt. Primus, qui in navigium insiliit, erat Cotaga sanguinarius ille magi filius, de quo suprà. Hic apprehensum illico Patrem protrahit in continentem, summa vi humi sternit. Quamquam eâ violentiâ minimè opus fuerat, cùm Pater viribus fractus aliàs vix pedibus consisteret, nisi solo Apostolico Spiritu sustentaretur. Arreptâ igitur asciâ latro tam immanem ictum 3.

Patris

Patris capiti inflixit, ut in vestigio mortuus jaceret, prolatis tantùm pauculis his verbis: *Charissimi filii, quare mecum sic agitis?*

4. Res notatione digna est, quæ eàdem ipsâ circiter horâ, dum hæc cædes facta, accidit. Erat in Urbe Assumptionis Reverendus P. M. Josephus de Zerza, Superior Conventûs B. Virginis de Mercede. Iste singularis amicus fuerat hujus Viri Dei, quippe sub cujus Magisterio Philosophica studia absolverat. Dum hic in sua cella versatur, ecce! introeuntem Patrem nostrum conspicit, & voce anhelanti dicentem audit: *Fili mi, ora DEUM pro me; sum enim in magnis angustiis.* Contigit hoc paulò antè necem Patris, ut postea supputato tempore est compertum. Quapropter dictus Superior altero mox die suis indixit, ut legenda sacra ad suam Superioris intentionem offerrent. Et quoniam hic Antistes totus quantus impalluerat, subditi ipsius non quieverunt, donec causam mandati explicaret illis. Postquam igitur Pater vitam suam immolaverat, ad mactandos ejusdem socios versi sunt latrones. Et socii quidem verbo & multò magis exemplo sui amantissimi Patris animati, mitissimarum ovium instar ad lanienam se pertrahi sunt passi, quin ullo modo resisterent. Heroicus certè actus quà Christianæ charitatis quà mansuetudinis iste fuit, quando & sese, & Patrem explosis fistulis, aliisque armis facilè defendere, & morti eripere potuissent. Neque tamen Deus permisit, ut omnes occiderentur, ut cum tempore notitia daretur de felici morte duorum Apostolicorum Patrum. Latrones scilicet aliquibus pepercerunt, ut non mactarent, sed captivos tanquam mancipia abducerent. Jam verò cæsi Patris cadaver raptârunt ad alterum fluminis litus, & Barbaris Guaycuris tradiderunt. Hi utpote complices hujus lanienæ ut primùm corpus exanime ante suos pedes viderunt, furore correpti lanceas, & secures stringere, totum cadaver perfodere, & quoniam animam exturbare jam non poterant, ultimam saltem cruoris guttam exprimere.

5. Simul ac de crudeli hoc facinore inaudiit præcipuus Caciquius, nomine Guatì, simul indoluit adeò, ut propè mentem perderet. Quocirca cum suis subditis mox expeditus in latrones movit, ulturus neces Virorum Apostolicorum; erat enim catechumenus ardentissimè flagitans fidei gratiam. Cùm ergo isti homicidæ nefarii viderent, se tam potentis Caçiquii manus effugere non posse, suppetias petierunt à Guaycuris. Nihilo tamen minus hos fœderatos Caciquius

Guatì

Guatì aggreſſus, primo ſtatim impetu non paucos interemit, reſiduis ex acie in ſylvas profugientibus, nec præ metu prorepere auſis. Minùs tamen reos, & comparere auſos Idem Caciquius acerbis caſtigavit verbis, amarè queſtus, quid tandem cauſæ fuerit, cur hos optimos duos Patres tam diris modis trucidâſſent: qui illis ipſis tot bona præſtiterant, & porrò præſtare parati erant. Irent modò ad Mamalucos, illos adulterinos Luſitanos, experturi, utrum ab iisdem meliorem in modum eſſent tractandi. Sacrata vaſa, à latronibus profugis relicta, ſed jam corrupta, & comminuta collegit perdiligenter Caciquius Guatì, conſtans in Chriſtianæ legis deſiderio. Et tamen ejus ſanctum, & fervens votum Chriſtianæ fidei ad executionem perduci non potuit, quoniam aliqui Caciquii ex conterminis Urbi Aſſumptionis populis bello impliciti erant cum Hiſpanis. Cæterùm mirabilis modus eſt, quo uſa eſt Divina Providentia ad harum rerum omnium cognitionem acquirendam. Biennium jam abierat, quin notitia haberetur de morte duorum Apoſtolorum, ſolicitis eapropter univerſis, & piè afflictis. Aliqui credebant, Patribus interclusam fuiſſe viam ad reditum in Urbem Aſſumptionis, ac proin in regionis interiora penetrâſſe prædicandi Evangelii causâ. Et verò ſat cauſæ erat hoc credendi, cùm gemini hi Viri, ardentiſſimo zelo pleni, nullam propagandæ fidei occaſionem negligere ſolerent. Veriùs divinabant, qui duos Patres à Payaquis interfectos, aut certè captos eſſe autumabant. in ipſa Urbe Aſſumptionis rumor increbuit, Patrem Arce duntaxat eſſe occiſum, Patrem Blende autem captum, Nautam Hiſpanum denique Guacuris venditum fuiſſe. Poſtremò adfuit certior nuntius de felici morte horum Apoſtolorum, & omnibus rei peractæ adjunctis. Quatuor enim Chriſtiani Indi, & Comites Patris, quos in captivitatem abductos ſuprà diximus, clàm aufugientes ad Reductionem S. Archangeli Raphaëlis delati ſunt, ex quorum ore plena & accurata rei notitia hauſta eſt.

Cap. XVIII. §. 3.

1. Vita & virtutes Patris de Arce. 2. Donum Orationis. 3. Humilitas. 4. Paupertas, & abstinentia. 5. Palmaris virtus in sancienda pace. 6. Mors Patris truculenta ex odio fidei.

1. Ut huic historiæ novum conciliemus ornamentum, in compendio aliqua memoranda veniunt de vita, & virtutibus horum Christi Heroum. Natus est P. Josephus de Arce 9. Novemb. Anno 1651. in insula Palma, quæ una est ex Canariis. Parentes ejus genere & virtute nobiles filium in timore Domini, & devotione erga Cœlitum Reginam solicitè educârunt. Brevì enim patuit, quòd egregiam à Deo indolem esset nactus, futuram olim honori, & ornamento gentilitio. Itaque ad altiores scholas Salamaucam maturè miserunt, ut habilis fieret ad sacram vel profanam olim dignitatem capessendam. Verùm alia prorsùs erant Dei consilia, qui vocabat eum ad sua unicè servitia. Et verò vocanti Deo obsecundare perfacilè fuit nostro Josepho, qui propria inclinatione ad virtutem pronissimus, rerum terrenarum vanitatem clarè perspiciebat. Sentiebat certè magnum stimulum serviendi Deo in Societate Jesu. Voti proin sui damnatus est Salamancæ 3. Julii Anno 1669. Inde ad primæ probationis annos transiit Villagaricam. Ibi in virtute ita profecit, ut, quamvìs juvenis 18. annorum esset, sanguineæ insuper & vehementis naturæ, hanc tamen adeò domuerit brevi tempore, nihil ut præposteri motûs proderet. Nullam prorsus Societatis regulam violâsse unquam est deprehensus. Absoluto Tirocinio Societatis ad sublimiores scientias exhauriendas est missus, ubi nihil de ardore virtutis perdidit, ut etiam animum caperet proficiscendi in Indias, ad imitationem scil. S. Xaverii, quem valde colebat. Huic Apostolico desiderio brevì se obtulit occasio opportuna. Appulerat in Europam P. Christophorus Altamirano, Procurator Provinciæ Paraquariæ, abducturus secum novos vineæ Dominicæ Operarios in vastissimam Paraquariam. Consulto igitur diutius Deo, desiderium suum superioribus aperuit. Hi proinde cùm probè nôssent juvenis hujus solidam virtutem, non dubitabant, hunc fervorem à cœlo accendi, atque adeò in Paraquariam dimiserunt. Ap-

pul-

pulſus feliciter eſt in portu boni aëris Anno 1664. Toto navigationis tempore reliquis omnibus erat ſolidum virtutis exemplum. In portu dein boni aëris, ubi ſubſiſtendum illi tantiſper fuit, paria ſanctitatis ſpecimina præbuit, ita ut univerſi mirarentur ejus modeſtiam, devotionis ardorem, & amabilem converſandi modum, omni laude ſuperiorem. Narravit mihi aliquis, modò Societatis JESU membrum, tunc temporis autem in ſæculo adhucdum conſtitutus, quòd ſæpiùs Collegium inviſerit ea ſola de cauſa, *ut pium hunc juvenem videre poſſet.* Quadraginta duo plùs minùs anni, quos in Apoſtolica vita transegit, nihil exhibebant niſi meram ſanctimoniam in continuo virtutum ſtudio, & maximè in zelo animarum. Unde in tota Provincia illud elogium ſenſu plenum eſt promeritus, quo S. Auguſtinus S. Paulinum ornavit; nam & ipſe ab omnibus dictus eſt *copioſiſſimè Sanctus*, nempe compendium virtutum omnium, & ipſius perfectionis. Non memorabo hîc, quantum laboris & moleſtiæ exhauſerit in terris Chiriquanorum, Chiquitorum, & Guaranorum: item in explorando flumine Paraquario. Non narrabo, quot animas ad DEUM adduxerit, quot ædes ſacras erexerit, quàm frequentia necis, à Barbaris inferendæ, pericula adierit: quanta contentione, & infatigabili ſtudio opus fuerit ad perdiſcendas diverſiſſimas, & difficillimas Barbarorum linguas, puta, Chiquiticam, Guichacanam, Guaranicam, Chiriquanam, & Payaguanam. Has ut perfectè calluit, ita ſingulas diſertè loquebatur. Nihil dicam, quantum totâ vitâ ſuâ impenderit Indis non tantùm ad animarum, ſed etiam corporum emolumenta: quantas interim perſecutiones vel in rectè factis continuò exantlârit, quando publicè quoque verbis increpitus eſt ceu Vir parùm ſanus, Vir intempeſtivi, & inconſulti zeli.

His ita transmiſſis pauca tantùm de aliis ejus virtutibus afferam. 2.
Inprimìs dici vix poteſt, quàm bello conſortio Martham, & Magdalenam, nimirum vitam contemplativam & activam conjunxerit. Vetus Miſſionariorum querela in hiſce regionibus eſt, quòd tam modicum ipſis tempus agendi cum DEO ſuppetat, ita quidem, ut toto die cum Indis in labore & ſudore transacto, ſub noctem vix nanciſcantur temporis particulam ad preces fundendas. At Pater de Arce, finitis diurnis negotiis, ſimul ac orationi vacare cœperat, ſimul in DEO ita abſorbebatur, quaſi nihil externæ diſtractionis habuiſſet. Ante Eucharisticum in ara DEUM flectebat genua tam immotus, ut exanimem

crederes. Certè in eo situ Virum aspicientes ad orationis fervorem incendebantur. Dici adeò potest, omnem ejus vitam aliud non fuisse, quàm continuam orationem. Quippe dum membra ipsius foris occupabantur, mens ejus in DEUM erat defixa, id quod clarè elucebat ex vultu, ex quo ipso vera sanctitas promicabat. Nihil in orbem terrarum illi tanquam pulchrum arridebat præter DEUM, quo uno velut summo Bono penitus absorbebatur.

3. Honoratas Cathedras seu Templi, seu Academiæ, & id genus splendida, à profanis, quin & ab imperfectis religiosis æstimari solita, ipse ceu onera intolerabilia reputabat. Unde, cùm Superiores ad docendas sublimiores scientias illum Cordubam in Tucumania mittere statuissent, non destitit inter copiosas lacrymas deprecari id officii, donec eâ curâ liberatus est. Ut verò Viri demissio magìs patescat, referam eventum ab oculatis testibus mihi significatum. Cùm P. Josephus magnâ concionandi gratiâ, & dexteritate polleret, pro Festo S. Francisci Xaverii dicendus illi Panegyricus est oblatus. Equidem videbat, hoc ad eximiam sui æstimationem, & honorem vergere ob ingentem populi, atque etiam Nobilitatis accursum: at humillimus Vir honoris loco potiùs sui despicientiam affectabat. Conscenso itaque suggestu ad præsentem D. Episcopum Nicolaum de Ulloa se convertit, publicè confessus, sibi nullam coram tanto, tam nobili auditorio dicendi dotem esse, posse proin nihil præter modicum quid de doctrina Christiana afferre in medium. Et verò nihil aliud, nisi unum, & alterum vitæ Christianæ documentum explicuit, & hoc quidem non duntaxat citra omnem ornatum, sed etiam cum sat indecoro gestu. Juvenis quidam, olim in Philosophia hujus ipsius Patris discipulus, aliquot post dies publicum ascendit theatrum ridiculo habitu personatus. Ibi Patris concionantis verba, & gestus tam lepidè est imitatus, ut cunctis præsentibus ansam effusè ridendi, Patri verò optatam sui deprimendi occasionem daret. Quo quidem despectu Vir humilis ita delectatus est, ut Juvenem præ amore stringeret, actis insuper illi mille gratiis. Hoc tam Heroo viri actu ille ipse Juvenis ita piè est affectus, ut deinceps nullum faceret finem prædicandi virtutem Patris.

4. Vestimentum hujus tam vile erat, & tot centonibus consutum, ut vel egentissimus Mendicus in eo erubescere potuisset. Victus illi tam paupertinus, & miser, ut vel Barbari, qui in sylvis ferarum in mo-

rem

rem vitam tolerant, illum nauseâssent. Excavata cucurbita serviebat illi loco ollæ, Lancis, orbis, & poculi: triticum Turcicum, solâ aquâ decoctum ordinariam absolvebat mensam. Frustulum carnis perperam coctæ admittebat solùm tempore infirmitatis.

Claudam Viri laudes uno facinore, quod vel solum astruere potest, & debet nomen præstantissimi Viri in Paraquariensi Provincia. 5.
Opus est autem, altiùs petere rei seriem. Incaluerat implacabilis hostilitas inter populos Guaranos, & Guanoas. Causa tricarum erat, quòd gens Guanoa prohiberet, ne Christiani flumen Uraquayum trajicerent, solitam annonam ex bobus, & vitulis, & vaccis provisuri: id quod alioquin singulis annis factitatum, abactis viginti, quin, & triginta millibus id genus pecorum, ex campis mari Atlantico adjectis. Ob has ergo simultates ingens orta est annonæ inopia, caritas, & fames, ac subsequens pestis terribilis in Christianorum communitatibus, ita ut fatalis ruina totius Paraquariensis Ecclesiæ timeretur. Equidem Missionarii nostri nullum non lapidem moverunt, ut pacem conciliarent, ulterioribus malis consulturi. Sed actum egerunt. Crescebant indies inimicitiæ. Laboratum est, ut hostiles Guanoæ ad fidem adducerentur, sed nullo pacto veritati assensêre, causati, Christianorum DEUM ubique esse præsentem: scire eundem, & videre omnia & singula: nolle autem se DEUM, qui ad singulos eorum passus attenderet: miseram vivendi rationem esse, semper arbitrum habere ad latus: servarent proinde Christiani suum sibi DEUM, quo ipsi sanè non indigerent. Postquam & hoc remedium fructu caruit, amicitia hostium querebatur muneribus, quæ pretiosa sunt his populis, & non nisi à præcipuis emi solita. Sed & hæc ratio conciliationis fructu caruit. Interim quotidiana hostilitatis incrementa: arctior commeatus, & intolerabilis fames: præsentius magìs, & magis periculum evertendæ funditus Missionis per omnem latè Paraquariam. Tandem P. Arce, diviniore spiritu actus, statuit ire vel cum periculo mortis ad stabiliendam pacem cum hostibus. Effatum erat commune omnium, scil. illum esse iturum in certam mortem: amplexabantur adeò abeuntem inter lacrymas, quasi æternum dicturi vale. At enim Vir DEI exultabat gaudio, ut nunquam aliàs, sanctè asseverans, se lubentissimè vitam suam, velut reconciliationis victimam, immolaturum, vel certè quasvis molestias DEI causa toleraturum. Et hem! quam vim habeat virtus vel apud Barbaros. Stupebant Indi venientis ani-

mositatem: pronis auribus eundem audiebant, sancita tandem usque adeò optabili, & necessaria pace. Ita fami hujus Christiani orbis consultum, pax firmata, Christiani in Statu integro conservati.

6. Denique Vir Apostolicus, ut sanè vixerat, ita cum fama sanctitatis, & Martyrii gloria vitam clausit Anno 74. ætatis suæ, 46. initæ Societatis, & 29. solennis Professionis, quam edidit Anno 1686. Tarixæ, ubi Collegio præfuit Rector, disciplinæ Religiosæ non modò Conservator, sed & ejusdem Auctor.

Cap. XVIII. §. 4.

1. Vita & virtutes Patris Blende. 2. Ab Hollandis intercipitur cum Sociis. Hæreticorum insolentia. 3. In Hollandiam cum capto Archi-Episcopo abducitur, Catholicos ibi juvat. 4. Liberatus cum Sociis repetit navigationem in Indiam. Ab Anglis invaduntur.

1. JAm de Socio R. Patris de Arce, nempe Apostolico Viro P. Blende aliqua delibemus. Natus in hanc lucem est Brugis in Flandria Austriaca à Nobilibus Parentibus 24. Augusti Anno 1675. Nactus non tantùm bonam, sed & perspicacem animam. Post literas politiores ad Philosophiam animum appulit. Sed enim hac nondum ad finem perducta, Deus ad suum Servitium vocavit in Societate JESU. Cùm ergo adhucdum in sæculo religiosam prorsus, puta, probatissimam vitam vixisset, Sanctus omnino erat in sacro Religionis Ordine. Transactis ita pie 15. Annis in sua Provincia, post repetitas preces à Superioribus obtinuit licentiam transeundi in Indiam. Madritum igitur delatus, aliquanto tempore in Collegio Imperiali, ut vocant, commorari necesse habuit. Nec diu fuit, cum virtutum radii in illo emicuerunt adeò, ut universorum sententiâ P. Blende verus sanctus censeretur, & Vir omnibus Apostolicis dotibus instructus. Unde etiam post profectionem in dicto Collegio diu fuit virtutis odor relictus, & dulcis viri memoria. Madrito Gades abiit, ubi 2. Martii Anno 1710. navem conscendit ad portum boni aëris transvehendus, cum 89. Sociis è Societate Jesu. Hi erant diversæ quidem Nationis, sed

ſed in uno ſpiritu collecti, ejusdem omnes voluntatis eundi ſcil. ad laborioſas, & ærumnoſas Miſſiones in Paraquaria & Chile.

Sed altero mox die, dum ſecundis ventis navigant, denſa eos nebula involvit, cujus beneficio tres naves Hollandicæ propiùs advolârunt. Nec mora: exploſo in navim noſtrorum tormento bellico res cruentam velitationem ſpectabat, dum una pars ſuarum facultatum defenſioni, altera captandæ prædæ ſeſe accingit. Verùm quia navis mercibus ita fuerat onerata, ut difficilis noſtrarum machinarum uſus eſſet, deditionem faciendam cenſuerunt: præſertim quòd ſpes foret authoritate Reginæ Anglicanæ, a qua navigium noſtrum literas liberi commeatûs obtinuerat, ſalvos omnes Servatum iri. Explicari ſatis non poteſt, quanta immanitate, furore, & impetu Hollandi in navigium interceptum tranſilierint, quàm truculenter cum omnibus, quotquot in navi, egerint. Singulorum, ne navis quidem Præfecto exempto, excuſſerunt non modò veſtes, ſed ferreo etiam, eóque acuminato inſtrumento reconditas corporis partes pertentâre & perſcrutari non erubuerunt, nempe aurum, aut aliud quid pretioſi eruturi. Quæ quidem omnia quàm non Chriſtiana, quin prorſus non humana fuerint, vel ex eo colligitur, quòd ipſe Magiſtratus Hollandiæ hoc impudens, inſoléńsque facinus minimè probârit, navis verò ſuæ præfectum Amſtelodamum citârit, officio privârit. Quid autem actum cum noſtris Miſſionariis, facile eſt divinare. Satis eſt, victores fuiſſe hæreticós, & juratos adeò veræ Eccleſiæ hoſtes. Profectò nemo in navi inclementiùs tractatus eſt, quàm hi ipſi Socii JESU. Non ſolùm enim illos penitus exſpoliârunt, ſed compegerunt ſimul in viliſſimum & ſordiſſimum navigii angulum, quò vix tantillum leviſſimi victûs projecerunt, quantum arcendæ morti ſufficeret. Interea illi efferati piratæ comeſſari, & ita heluari, ut temulenti omnes rationem ſepelirent, ut mera perturbatio, mera debacchantium inſolentia, rabiésque in navigio conſpiceretur. Ea certè occaſione victis non defuêre & multa & acerba dicteria, ſannæ, ſcommata ab his ingeſta, & tacitè devoranda præcipuè à Jeſuitis. Nam cùm in explorandis corporum partibus, etiam tectiſſimis, auri & argenti loco nihil deprehendiſſent apud hos præter cilicia, cinctúsque ex filo ferreo, nova rabie efferati, illa pœnitentiæ inſtrumenta à corporibus diripuerunt, & iisdem ceu ſcuticis uſi, noſtros verberabant. Alia vice cùm viderent Miſſionarios pallidi, ac morbidi coloris eſſe, commiſeratio-

ne

ne ducti, capacia offerebant pocula, vario potu oppleta. Nostris autem bibere recusantibus vel præ modestia, vel alia de causa, vim faciebant, admoto eorum pectoribus sclopo manuali, jamjam exonerando. Inter omnes has adversitates, à 26. Martii usque ad 6. Aprilis continuatas, solus P. Blende erat reliquis consolationi. Nam iste suo amabili modo agendi sibi devinxit ipsum efferum cor Hollandici Præfecti, donec Lusitanum in portum Olysiponensem inveherentur. Ibi, cùm fama jam prævolâsset, quid actum esset nostris, in procinctu stabant lembi ad deportandos reduces Missionarios in urbem. Nostri, quà par erat, & fieri amat, omne charitatis genus experti sunt, quamdiù morari illos ibi locorum contigit. At Patri Blende eo commodo diu frui non licuit.

3. Quippe petente Domino Petro de Levanto (qui cum charactere Archi-Episcopi Limensis in Americam pariter ire intendebat, sed ab iisdem Hollandis quoque captus erat) cum hoc à nostris Superioribus missus est in Hollandiam. Nimirum Hollandi non tam facilè concedendum putârunt, ut tantus Prælatus, suus nobilis captivus, diutius Olyssipone hæreret. Sepositis ergo religiosis tantisper vestibus profanum induit habitum. Constat enim, nullum in religioso schemate ibi tolerari. Et quamdiu quidem Amstelodami, & in reliqua Hollandia est versatus, se verum Apostolum probavit. Hollandi enim ipsi, clàm Catholici, ad ipsum confluebant, sacra confessione, & divina synaxi sese reficiebant, verbum salutis avidè hauriebant, in Catholica Fide oppidò confirmati. Restituto in libertatem Archi-Episcopo, Seviliam cum Eodem rediit. Ibi 15. Aug. 1711. quatuor vota est professus. Antè tamen, quàm Gades inde adiret, offerebat eidem Patri Archi-Episcopus multa & pretiosa munera in animi grati testificationem ob præstita multiplicia obsequia; liberati enim Prælati gratia magnam partem debebatur ipsi P. Blende. Ex omnibus tamen donis admisit nihil præter unum & alterum libellum, Indis serviturum.

4. Gadibus tandem cum suis Sociis iterum vela fecit 27. Decembris Anno 1711. sed, & altera hac navigatione aggressionem Anglorum perpessi sunt. Soluta igitur pyriâ machinâ Hispanos, ut se dederent, monuerunt. Et parùm certè abfuit, ut non ad ipsum P. Blende scil. sternendum globus pertineret. Perculsis omnibus insolito terrore, solus P. Blende nesciebat metuere, sed læto, serenóque vultu impertiebat

impri-

inprimis generalem omnibus absolutionem, dein verò pro temporum angustiis confitentes de noxiis excipiebat. Interea tamen, dum hostibus securitatis diploma est exhibitum, liberum itineris cursum prosequi licuit. Cætero navigationis tempore nutu P. Procuratoris Indici Novitiis nostris instruendis præfectus est. Et verò maternum illis animum exhibuit, cedendo suam ipsius cameram, dum sibi abjectissimum, & incommodum maximè navis locum reservaret. Ex hoc angulo rariùs prodibat hauriendæ salubrioris auræ gratiâ. Nempe DEO, & cœlestibus semper absorptus, nullam commodorum temporalium curam sibi sumebant. Dolebant summopere ipsius Tirones, cùm ad portum Boni aëris, quo 8. Aprilis Anno 1712. devenerunt, separatio fuit facienda. Nam amissio tanti Magistri illis accidit perdifficilis, qui non tantùm verbo, sed & ipso opere docuerat omnes eas virtutes, quæ in tam arduis barbararum regionum Missionibus Apostolico Viro sunt necessariæ. Quanta alacritate postmodum, & fructu ipse P. Blende in hac Domini vinea laborârit, ex eo colligere est, quòd superiores illum unum præ tot aliis Apostolicis Viris aptum judicârint ad difficillima negotia conficienda. Ex his erat via tandem detegenda facilior & brevior ad Chiquitos, ubi & traductio ad fidem eorundem & plurium populorum, in quo ipso opere, ut narratum, vitam suam cœlo consecravit felici Martyrum morte. Erat sanè Vir insignis sapientiæ, & aliarum dotum, de quibus Paraquarica Provincia multò majora sperare poterat. Verùm inaccessa DEI consilia longè aliò tendebant, dum brevi tempore Virum, huic Provinciæ indultum, sibi in cœlum rapuerunt. Contigit hoc sub finem Novembris Anno 1715. Ætatis 40. Religionis initæ 21.

CAPUT XIX.

Erectio novæ Coloniæ. Initium Missionis apud Zamucos per P. Joannom Bapt. de Zea cum brevi vitæ ejusdem descriptione.

§. I.

1. Reductio S. Joannis Bapt. cum alia perit. 2. Reductio S. Josephi in duas dividitur. 3. Nova Reductio S. Joan. Bapt. sub P. Joanne Bapt. Xandra. 4. Iter Patris Zea perdifficile.

1\. ANte aliquod tempus penuria Missionariorum tanto detrimento fuit Christianæ rei apud Chiquitos, ut duæ recèns erectæ Neophytorum communitates penitus interciderint. Una harum fuerat à S. Joanne Bapt. dicta. Huic damno reparando offerebat modò ansam Colonia S. Josephi, plùs satìs populosa. Numerosa enim Conversio Morotocorum, & Quiesiorum incolas ita auxerat, ut pro eorum numero terra illa, aliàs parùm frugifera, vix satìs alimentorum præberet.

2\. Quocirca consultum videbatur, si ista communitas in duas divideretur, adeóque cum una populi parte nova Reductio fundaretur. Tredecim milliaribus ortum versùs distabat à Communitate S. Josephi ingens campus Naranial vocatus, qui quidem sterilis tunc jacebat, non defectu naturalis fœcunditatis, sed debitæ culturæ. Hæc proin planities electa est unanimi consensu in novorum habitatorum sedem. Illuc ergo congregârunt se Neophyti diversæ nationis, & linguæ, videlicet populi, quos Boros, Penotos, Taus, & Morotocos vocant.

3\. Huic novæ Communitati nomen accitum ex vetere eversa Reductione S. Joannis Bapt. Labor in ordinando hìc loci populo fuit sanè ingens, præsertim, quòd potior pars incolarum in Fide suscepta recens

cens adhuc magnâ etiam morum curâ indigebat. In plurium enim Communitate, ubi Novitii cum cæteris simul degunt, inveteratas à pueritia usque consuetudines pessimas eradicare, contrà exactum sanctæ legis tenorem rudibus inserere res profectò est eximii zeli, & majoris etiam patientiæ. Hoc operæ tam laboriosæ obvenit P. Joanni Bapt. Xandra, natione Sardo. Iste tamen indefesso suo labore id effecit, ut populus translatus tam in erigendis tectis, quàm in colendis agris sedulam operam præstaret. Atque hoc ipsum est, quod mirabatur P. Zea, cùm à Zamucis veniens illuc deferretur, summo solatio propterea superfusus. Quin hoc felici accensus successu, suam haud satìs felicem Missionem ad Zamucos repetere statuit. Quoniam ergo opus hujus Missionis, & junctus eidem zelus Apostolici Viri pleniorem meretur mentionem, de utroque hìc nonnihil fusiùs agam. Ut sol sub occasum ex nostro hemisphærio recessurus, multò amabiliorem se oculis nostris exhibet: ita noster quoque Apostolicus Sol P. Joannes Bapt. de Zea suam lucem, & amoris ardorem erga proximos multò jucundiùs exeruit, quò propinquior erat finiendæ vitæ. Licèt enim Vir iste non tantùm provectæ ætatis, sed etiam multitudine laborum satìs fractæ esset, vires tamen collegit tantas, quantæ sufficerent ad erigendum & defigendum triumphale Christi vexillum in ea regione, quam non tam barbaries incolarum, quàm naturalis terræ situs quaquaversùm occluserat, ut penetrari, & adiri non posse videretur. Antè tamen, quàm hoc arduum opus aggrederetur, spiritum suum ardentis orationis assiduitate acuit, DEUM suppliciter obtestatus, sua ut benedictione propositum secundaret.

His præmissis profectus est mense Julio 1716. comitantibus centum 4.
Neophytis. Sed post paucas horas aëreæ orci potestates hoc iter infestârunt tam continenter, ut intra novendecim dies vix quatuordecim milliaria emetirentur. Quippe horrendæ tempestates præter modum debacchari, turbulenti venti constanter furere, fluvii ex nimbis intumescere, ripásque transgressi, omnia longè latéque exundatione sepelire: ut nihil dicam de cæteris millenis molestiis. Unicus fructus & solarium inter tot viarum, & tempestatum ærumnas erat Viro Apostolico, quòd in lustrandis aliquot desertis Tapiquiarum pagis triginta animas reliquas offenderit, adhuc Ethnicis immersas tenebris. Has Christo feliciter conciliatas, ad Reductionem S. Josephi deduci jussit. Post hæc perlatus est ad novam viam, & unà ad novos labores; nam

 obvia

obvia sylva, tametsi decem horas longitudine non excederet, nihilominus erat usque adeò densa, & penetratu difficilis, ut Pater absque eo, quòd occasione multiplicium Missionum cum sylvis impeditis illi crebrò pugnandum fuerit, tamen fateretur, tantam, aut huic similem difficultatem, sibi nunquam occurrisse. Quid hac in re passus sit, & exantlârit, propriis Patris verbis, ad Vice-Præsidem Provinciæ perscriptis, hîc depingam. Sic autem scribit. Indi mei, quàmvis initio statim omnem abjecerant spem superandi insolitam sylvæ densitatem, tamen manum admovere cœperunt in exscindendis fruticetis, & senticetis. At ubi in medium saltûs ventum est, tùm verò laborantes animum omnino despondere, ab infructuoso labore velle desistere, ídque tam seriò, ut prodigio simile mihi videretur, quod ad resumendos cœptos labores permovere potuerim. Hoc autem effeci meo exemplo, quo præivi, modò asciam aut ligonem, aliáque instrumenta præferens operi flagranti necessaria: modò conquisitum aquæ haustum subministrans, quo intolerabiles calores nonnihil refrigerarent. Atque hæc mea industria secundantibus superis tam auspicatò cecidit, ut tandem post novendecim dierum labores finientis sylvæ terminum assequeremur. Quod verò labores ex se difficiles, multò intolerabiliores nobis reddiderat, erat innumerabilis, variáque copia culicum, muscarum, fucorum, & œstrorum, diu, noctúque infestissima. Certè nos punctionibus suis ita deformârunt, ut longo tempore cruentas in vultu cicatrices circumferremus. Dedi huic sylvæ propè inextricabili nomen *Purgatorii*, ut superventuri post me sequentibus annis ad animarum venationem, ex ipso statim nomine colligerent, quanto labore & sudore ea expeditio olim sit statura.

CAP. XIX. §. 2.

1. P. Zea post exsectam in sylva Purgatorii viam iter continuat. 2. A Neophytis aliquibus fraude diaboli invia deseritur. 3. Cum solis duodenis per novam sylvam aperire semitam molitur, seq frustrà.

1. EXciso in dictum modum saltu in planitiem emerserunt denique, sed nihil alimenti sedandæ fami ibi sors obtulit. Fractis adeò viribus reparandis solæ radices servierunt, profectò crudæ, & fel-

felle amariores, nec hæ in abundantia. Aquarum quidem erat affatim, ſed ex ſtagnantibus paludibus. Ea de cauſa ſubiit dubitare vel ipſum Patrem, an iter ſúum eſſet deducturus ad finem, cùm multi Neophytorum poſt tot labores ægrotarent, cæteri verò penuriâ annonæ vacillarent. Nihilominus iter non interrupit. Aberat fortè bidui intervallo ab ultimo pago Cucaratum; cùm aliquot Orerobates, & Morotoci, Socii itineris rogârunt, uti à præſtituta via nonnihil declinaret, viſurus tres popularium ſuorum vicos, quos Chriſtiana fide imbueret. Probavit Pater eorum petitionem, juſsítque, ut potior comitantium pars ipſum exſpectaret apud Cucarates. Ipſe aſſumptis paucis comitibus reliquis quæſitos vicos bidui impendio invenit, ſed incolis vacuos. Communis enim annonæ penuria coëgit illos, ut diſperſi in ſylvas victum ſibi quisque conquirerent. Chriſtiani quidem non cunctabantur ſparſos inſequi, & per ſaltum vagantes undique indagare. At Barbari cùm crederent hoſtilem inſtare impreſſionem, aut vim Chiquitorum, quos maximè timent, arreptâ mox fugâ ſe ſubduxerunt, donec gentiles ſuos recognoſcerent, atque adeò à fuga deſiſterent. At enim mentionem de ſuſcipienda Chriſti lege ægris auribus exceperunt, quòd ſedes ſuas deſerere nollent, absque hoc autem in fidei præceptis inſtrui non poſſent. Itaque Pater, cùm terram hanc ad faciendam animarum meſſem necdum maturam experiretur, redire cum ſuis conſtituit. Ne verò labori ſuo prœmium à cœlo deeſſet, in reditu occaſionem, ſolatio plenam, Deus obtulit. Nam dum alios deſertos pagos luſtrabat, reperit in illis ferè ſeptuaginta Indos, quos omnes non magno negotio Chriſti partibus adſcripſit, ad Reductionem S. Joſephi deinde abductos.

Hoc ſolatio delibutus pervenit ad extremum pagum Cucaratium, 2.
quò præmiſſi Chriſtiani erant, ut Patrem operirentur. At verò hi Patris gaudium brevì corrupêre, cùm adverteret, eorum animos à diabolo in deſperationem eſſe conjectos. Nulla enim arte jam permovere poterat, ut ſecum iter reſumerent. Quid ageret hoc rerum articulo Apoſtolus? ſine Sociis in novam, & inviam ſimiliter impeditam ſylvam, ut prior erat, ſe intromittere, temerarium: in iſthoc autem loco ſolum & unicum morari, & ſibimet ope Barbarorum ſylveſtrem viam aperire velle, conſilium erat ſine ulla effectûs ſpe, ſi rem humano penſemus modulo: præſertim quòd plerique omnes ejus tractûs Indi, audito Chiquitorum adventu, fugam in conſilio habuerint.

Dolebat proinde, cogi se ad propositum suum intermittendum, & in futurum annum differendum. Verùm eximius Viri zelus non acquievit tam coacto consilio, sed effecit, ut statueret, se nuperis difficultatibus, & periculis rursus exponere, etsi ea tempestate ex consuetis pluviis regio nataret. Qua constantia hoc arduum negotium denuo aggressus sit, satiùs ex ipsius verbis intelligemus. *Hanc Missionem in se suscipere*, inquit, *perinde erat, ac bellum Orco indicere, & ad resistendum totis viribus nequam spiritus irritare. Quod quidem reipsa, nec oscitanter fecerunt, quà per horribiles tempestates viam intercludere conati. quà irritatos adversùm me homines subornare ausi, Erant enim, qui mihi penitus persuadere satagebant, ut à proposito meo absisterem, causati, quòd humanas vires id omnino transcenderet, adeóque citra temeritatis notam suscipi non posset. Alii id ipsum urgebant aliis verborum phaleris, nimirum me tempus & operam perdere in reducendis tam paucis, cùm tamen aliæ, & multò fertiliores regiones sese offerant, ibi gloria Divina feliciùs ampliari posset.* His sanè verbis Apostolicus Vir compendio dat difficultates, sibi & suo proposito obversantes. At nihil his movebatur Vir pluribus & majoribus obstaculis par. Vocante enim ad opus Deo, nullâ humanâ eloquentiâ, nullo formidoloso periculorum obtentu, nullis aliis exaggeratis impedimentis à sententia dimoveri poterat.

3. Quapropter die quodam duodenos ad se vocat ex ferventioribus, & inter pericula animosioribus Christianis. His ut itineris Socii esse vellent, multis rationum momentis persuadere studuit. Deum enim, ajebat, illos copiosè remuneraturum, quidquid ejus amore toleraturi essent; etiam ipsis perinde ac sibi causam esse promovendi salutem animarum: immisericordes proin fore, si nulla commiseratione tangerentur erga tot millia animarum, quæ adhucdum sub diabolica tyrannide versantur, ex qua tamen exemptas voluit Divina Misericordia: occursuras molestias & pericula ne reformidarent, quoniam illi aquè per tot pericula in admirabile fidei lumen deducti essent: cæterùm semet semper primum fore in omni casu, & periculo: nihil adeò curandum aliud ipsis, nisi ut præeuntis exemplum sequerentur: se enim antesignanum fore ad exploranda fluviorum vada pro transitu: primum se paludibus audacter crediturum: quin si Barbari hostilem in eos vim intentarent, se scuti loco in fronte constiturum ad eorum defensionem. Hæc, & similia, zelo ardentia verba sanè in rem erant ad vacillantes Indos erigendos, & ad novum laboris onus animandos.

Et

Et profectò felix orator Pater fuit, quando ita persuasi, ad votum suum initio anni sequentis, etsi iniqua tempestate, iter cum Patre non gravatè inierunt. Primum viæ obstaculum fuit denuo intricata sylva, quæ viam ad Zamucos præcludebat. Hac explorata mox in opus ventum est. Ipse Pater primam complanandæ viæ manum admovit, de quo sic ipse scribit. *Per decem omnino dies*, inquit, *à manè usque ad vesperam laboravi, ut partem semitæ per saltum, ascii expeditam redderem.* Qui in labore mersus aquis umbilico tenus potissimùm stabam nudis pedibus, insuper habitis aculeatis veprium molestiis. Accessit præterea rapidi violentia fluvii, quæ sæpenumero semitam factam pessumdabat. Hoc omni tamen conatu ultra dimidium saltûs non profecerunt in expedienda via. Hic enimverò sentire cœpit Vir DEI, sibi rem esse non modò difficilem, sed etiam supra vires. Nam, ut nihil dicam, de periculo submersionis, si aquarum eluvio vel paululum cresceret, nec pusillum terræ solidæ illi erat, ubi post labores tantos quietis modicæ partem caperet. Acerbissimum tamen inter omnia accidebat agmen culicum, aquis supervolans, copiâ, & molestia intolerabili. Iterum ergo pedem retrahere ab incœpto itinere debuit, & retrogredi. Reservabatur nempe hoc negotium opportuniori tempori, donec viæ Comites suas instaurâssent vires. Nam ipsum Patrem quod attinet, nihildum incommodi sentiebat, perinde ac homo, qui per ardua continua omnem sensum amisisset. Hoc operabantur in illo partim incensus animarum zelus, partim abundantia cœlestium consolationum, quæ laboribus ejus aspergebantur. Postremùm salvi omnes & incolumes devenerunt ad Coloniam S. Joannis Bapt. die Parasceves, consumptis in laborioso itinere plus 40. diebus.

CAP.

CAP. XIX. §. 3.

1. Careràs populi Anthropophagi. 2. Eorum bella cum Morotocis. 3. Pacem recusant, & fidem: velitatio cruenta cum Christianis Indis. 4. P. Zea tentatam nuper in saltu viam pervincit asciis. 5, A Zamucis amicissimè excipitur. 6. Reductioni S. Ignatii fit initium.

1. SEquente Resurrectionis Dominicæ festo die primas curas P. Zea eò extendit, qua ratione populos Careràs simul pacificaret, simul Christo adjungeret. Nempe eo fine, ut aliquando tandem viis publicis staret sua securitas à tot periculis, quibus hi crudeles anthropophagi omnes iter facientes involvebant, non sine ingenti damno sanctæ Fidei dilatandæ.

2. Isti populi, scil. Careræ, natione quidem, & idiomate non distinquuntur à Morotocis, cum his tamen pacem ante aliquod tempus fregerunt, diris hostilitatibus infesti cum cruenta utriúsque partis strage, donec bellorum saturi, per legatos à Morotocis pacem peterent. At isti præter jus gentium pacis internuntios trucidârunt. Hoc facto magìs exacerbati Careræ in novum fœdus conjurarunt, nimirum Morotocos funditus exscindendi. Igitur omnes ex his, quotquot in manus suas venerant, in frusta conciderunt, structo ex cæsorum corporibus atroci, & simul sibi geniali epulo. Ad hos proinde Barbaros nonnihil cicurandos, & ad fidem permovendos ex Reductione S. Josephi centum sexaginta Indi Christiani sunt missi.

3. Hi in primo Barbarorum pago appulsi de pace tractare cum illis cogitabant. At Careræ pacis mentionem aversati mox correptis armis prima aggressione unum sternunt Indum, duos alios graviter vulnerant. Hoc conspecto, & nostri Neophyti tela sua expediunt, & hostium non paucos mactant, reliquis in fugam conjectis. Sedecim tamen minùs validi Barbari in prædam captivi cesserunt, qui subin ad Communitatem S. Josephi traducti, Christianis accensi sunt. Profugi autem illi non una occasione Patrem Zea ad necem quæsierant, quem tamen Deus singulis vicibus per varios modos illæsum protexit.

Hæc

Hæc poſtquam acta erant cum ceteris, indefeſſus animarum Venator reſumpſit ſuum arduum, nuper intermiſſum propoſitum, ut ad finem deduceret. Ergo iterum Sociorum habuit delectum, quos non minùs robore corporis, quàm virtute & zelo valentiores judicârat. Cum his finiente Majo anni 1717. profectus, ad locum laboris, priori anno inchoati, pervenit. Ibi altero conatu ulteriorem viam exaſciando promovere per Sylvam attentavit. Equidem in vanum fore hic iteratus labor principiò videbatur: ſed nihil inacceſſum, nihil inſuperabile eſt illi, qui DEO cor ſuum totum quantum, proximis verò ſuam vitam ſolo amore ductus ex integro conſecravit. Quippe ſpatio viginti non ampliùs dierum denique pervaſit ad finem hujus intricatiſſimæ ſylvæ, & duodecimo Julii ad primum vicum Zamucorum. 4.

Incolæ de hujus Viri adventu & ſpem, & aliquam notitiam habentes, cum incredibili lætitiæ & honoris ſignificatione obviàm progreſſi ſunt. Circumdederunt Patrem latum ſcribendo circulum, ex quo viri primò procedentes, alius ex alio reverenter accedebant, manum oſculaturi. Æmulari cupiebat & alter ſexus hoc reverentiæ genus, quibus Pater loco ſuæ manûs ad oſculum obtulit effigiem Divinæ Matris, dum interim dulcibus fluebat lacrymis. Sed & Comites viæ Chriſtiani à Barbaris amiciſſimè excepti ſunt, ut hi etiam in amplexus advenarum ruerent, & hoſpites in ſua tuguria deductos, pro facultatibus ſuis recrearent. Poſtridie collecto ad forum omni populo explicavit Pater cauſam ſui adventûs, nempe prædicandæ veræ Legis, & beatos faciendi illos in omnem æternitatem. Sciſcitatus dein, num eum in finem aliquos Miſſionarios ſibi optarent, reſponſum accepit, hoc ipſum eſſe, quod longo jam tempore ferventer deſiderâſſent: nec aliam cauſam niſi defectum Miſſionariorum obſtitiſſe, quò minùs eſſent jam Chriſtiani. Si res ita ſe habeat, repoſuit Pater, opus eſt, ut veſtro DEO ac Creatori ædes ſacra fabricetur, & in uno Coloniæ loco, omnibus communi congregentur univerſi. Et verò Caciquii potiores annutum mox dederunt, ſe Patris ad voluntatem omninò fore. Si tamen Communitas commodiori in loco fundaretur: cui poſtulato etiam mos geſtus eſt. Erectam interim à Patre Zea proceram crucem omnes de genibus procidui adorârunt, poſt quæ Lauretanæ Litaniæ ſunt decantatæ, & noſter S. Fundator Ignatius in Patronum futuræ Coloniæ titulo ſingulari fuit electus. Hoc tam 5.

G feli-

feliter cœptum opus in reductis ad Fidem hisce populis equidem pro voto persequi non potuit, cùm paulò pòst cogeretur locum tam optatum deserere, & reverti. Prima quidem causa fuit, ut Missæ Sacrosanctæ necessaria, quæ tum ad manum non erant, sibi pararet, sed & alia causa fuit, soli Deo cognita, ut posteà memorabimus. In abitu magnum sui desiderium reliquit, & spem accelerati reditûs: quamquam æquale, vel etiam majus ipsi Patri desiderium erat revisendi suos Neophytos, apud quos non delicias eo tempore, sed multas ærumnas exhauserat, aquâ & crudis herbis pasci solitus. Sed & sub ipsum abitum ferventis Viri zelo labor oblatus est; in hoc enim itinere centum propè Indos partim Zinotecas, partim Japoretecas, & Cucurates ad semitam salutis deductos, secum ad Communitatem S. Joannis transtulit. Eodem tempore, quo ibidem sed iterato itineri parat, literas accipit ab Admodùm Rev. P. Generali. In iis jubetur regimen Provinciæ Paraquariæ: quod quidem onus in se suscepit, sed non sine dolore, quòd adeò dilectam sibi Missionem cogeretur deserere. Quoniam ergo huic Apostolico Viro exantlati Missionum labores haud parùm de vitæ annis detraxisse videntur, quam altero pòst anno hujus sui officii piè clausit, compendium hic dabo de meritis, de virtutibus, de cætera ejus vita.

Cap. XIX. §. 4.

Vita & Virtutes Patris Zea.

Natus est P. Joannes de Zea Anno 1654. 18. Martii ad Goazen, veteris Castiliæ locum. Ibi in Grammaticis scholis ita instructus est, ut pro ratione loci, & Magistrorum plùs in morum probitate quàm literis proficeret. Ad severiores disciplinas capessendas, Vallisoletum se contulit, ubi nomen capacis æquè ac perspicacis ingenii adeptus est. At verò laus, à virtute proficiscens, multò major fuit. Elucebat in illo virginea modestia, & amabilis in omni gestu innocentia, cui jungebat contemptum omnium terrenorum: contrà summam rerum divinarum æstimationem. Ita ab omni præpostero carnis & animi effectu liber, nullam difficultatem sensit, quò minùs voluntati Divinæ, ad Societatem Jesu vocanti, morem gere-

gereret. Susceptus est in illam 13. Aug. 1671. à P. Jacobo de La Fuente Hurtado, qui jam tum, DEO illustrante, prospiciebat, ad quàm præclara opera & incrementum Ecclesiæ suæ Superi hunc Servum sibi delegissent. Ex eo certè tempore hominem singulari prosequebatur amore, ut propè sancti nomine illum veneraretur. Cùm ergò sumpto sacri ordinis habitu etiam onus sibi impositum cerneret in virtutis via proficiendi, solicitè observabat Novitiorum æqualium rectè facta, ut æmulatione omnium & singulorum decora sibi adscisceret. Regulis observandis, tam quæ interna, quàm quæ externa spectant, accuratè invigilabat, nequè magno opus erat molimine, ut cor suum penitùs DEO conjungeret, absque alio ad ipsum solum ruminandum, & amandum. Cùm Philosophicis dein studiis vacaret, perexigium illi conclave fuit, ex quo nunquam prodibat, nisi scholæ vel domestica negotia evocarent. Reliquum tempus à studiis vacuum soli DEO consecrabat; neque enim citra necessitatem cum aliis conversabatur.

Dum posteriore tempore Salamanticæ Theologiæ vocabat, intellexit, Gadibus appulisse duos Patres Christophorum de Gryalva, & Thomam Dombidas, Procuratores Provinciæ Paraquariæ. Reputans proinde secum magnum opus animarum, & desertissimas gentes, & inter has maturos Evangelicæ messi agros, modò sat operariorum esset, etiam ipse Apostolico ardore correptus est, ut esset in numero eorum, quibus obtingeret Missio in Paraquaria. Satagebat proin omnibus modis eam gratiam à Superioribus consequi. Dubia diu fuit deliberatio, tum quòd nostri Præsides nollent se privari tam præclaro homine, tum ne vocanti illum DEO se opponerent. Ad ultimum voti damnatus est cum inexplicabili gaudio. Profectus est igitur ex sua semper dilecta Provincia non sine sensu omnium Sociorum ac familiarium condiscipulorum. Antequam navim conscenderet, initiatus est sacro Presbyteratûs Ordine Anno 1681. Vix è portu solverant, quando percommoda se Viro obtulit occasio suas virtutes, maximè charitatis exerendi. Nam cùm in principio statim navigationis consueta cacostomachia etiam suos itineris Socios, quorum 60. erant, propè omnes stravisset, postea autem graves aliæ infirmitates accessissent, Octonis nostrorum defunctis, solus P. Zea omnibus omnia factus est. Non duntaxat enim ægris famuli, sed & coci servitia præstabat, & arte quidem, quam nunquam didicerat, nisi

magisterio charitatis, supplentis experientiam. Nostris revalescentibus, operam charitatis transtulit ad rectores nautas. His adfuit sacris alloquiis, & cohortationibus, excipiendis eorum Confessionibus, & id genus religiosis functionibus, quarum nullam spernebat, etsi vilissimam, & despectissimam. Atque hac ratione trium mensium navigationem transegit cum miro profectu plurimorum, ad saniorem vitam redeuntium. Ad hoc faciliùs efficiendum utebatur furentis maris tempestatibus & naufragiorum periculis, quæ se solis vel obstinatissimas animas ad aliquam salutis curam habendam compellere possunt.

Quid præclari post suum in Indiam adventum ubique egerit, in quibus negotiis totius vitæ tempus exegerit, rescire non potui, partim quòd potiore tempore remotissimus à me vitam degeret, partim quod plerique nostrûm, qui Virum propiùs nôrant, vitâ jam excesserint. Id tamen mihi constat, illum à primò statim ingressu in Provinciam Superioribus magni æstimatum fuisse. Unde illi mox delatum fuit officium Ministri in præcipuo, & maximo totius Provinciæ Collegio Cordubensi, ubi juniores nostri, quà Novitii, quàm Scholastici, educantur. Posteà egit Superiorem Missionum ad flumen Uruquayum. Visitandis subin Chiquiticis Missionibus cum potestate Præfectus est, vices Rectoris in Collegio Cordubensi, dein ipsum officium Rectoris in Collegio Urbis Corrientes dictæ sustinuit. Tandem cursum vitæ absolvit in munere Præsidis Provinciæ pertotam hanc Regionem, quà latè porrigitur.

CAP. XIX. §. 5.

1. Paupertas Patris Zea, 2. Sui abnegandi Studium. 3. Abstinentia. 4. Obedientia. 5. Charitas, zelus animarum, patientia. 6. Ejus obitus.

NUnc animus mihi est, aliqua de Patris Zea virtutibus commemorare, sed pauca; nam singula ejus præclara, & heroica acta describenda transmitto fusiori calamo.

1. Initium duco à religiosa paupertate. Hæc ex ejus vestitu elucebat tam evidenter, ut nonnemo Missionariorum joci gratia dicere soleret,

leret, veſtem Patris Zea plus *accidentium* quàm *ſubſtantiæ* habere. Centones enim centonibus aſſutos mirareris, non alterius artifice manu, quàm ipſius Patris, miſerè conſarcinantis. Nunquam alias admiſit veſtes, niſi eſſent veteres, & detritiſſimæ, fruſtillatim deciduæ, quæ cohærere diu jam corpori nullo pacto poterant. Fortè cùm tanquam Præſes Provinciæ ad urbem boni aëris perveniſſet, P. Joannes de Alzola, qui ipſi à ſecretis erat, rogavit, ut ſaltem in Urbe honeſtiorem togam indueret, quando vetus penitus lacera, albicantem potiùs quàm nigrum colorem præſeferret. Secus enim, ſi ſuam exuere abnueret, ſe quoque coactum iri, ad deponendam ſuam togam, & viliorem aſſumendam, nempe ejus togæ conſimilem. Ad hæc P. Zea repoſuit. Quin jubeo, ut R. V. ſuam ſibi togam retineat, & meam mihi relinquat; in hac enim meæ ſunt deliciæ, eandémque pluris æſtimo, ac omnes pretioſiſſimas Regum ac Cæſarum purpuras. Totus cubiculi apparatus erat rete, ſomno neceſſarium, abſque omni ſtragula aut pulvinari. Præter hoc vidiſſes nihil, niſi aliquot pios libros cum S. Crucis effigie. Breviarium horarum Canonicarum tam obſoletum, & detritum uſurpabat, ut ex eo debitum Sacerdotis penſum præſtare non poſſet, niſi maximam horarum partem è memoriâ recitâſſet.

Potiſſimum ejus theſaurum conſtituebant varii generis inſtrumenta 2.
pœnitentiæ, nempe cilicia, aſperæ ex filo ferreo catellæ, armatæ acutis clavis cruces, & id genus plura armamenta ſacra, quibus corpus ſuum in ſervitutem redigebat, incuſſo etiam illo ſalutari timore, quo ſe contra ſe ipſum vel Gentium Apoſtolus olim obarmârat.

In itineribus famem levabat buccellâ panis cum vilioribus aliis, 3.
quibus non niſi pauperes Indi veſcuntur. Nam cibos, quibus hîc locorum Europæi ſolent veſci, per multos annos ne quidem guſtavit, contentus ſylvarum fructibus. Neque enim per ſaltus & ſolitudines, quas peragrabat, alius facilè ſe cibus offerebat. Et in hac quidem paupertate & abſtinentia tam læto erat animo, ut tempore poſtremi morbi admodùm grave illi accideret, illas quaſi ægrorum cupedias, & commoda admittere, quæ Societas Jesu ſuis ægrotis maternè indulget.

Paupertate & abſtinentia nihil inferior fuit Viri obedientia, cujus 4.
mirifica dedit ſpecimina. Erat ſanè P. Zea, ut poſtea videbimus, Vir extraordinarii zeli in bonum animârum. Nihilo tamen minùs

pluribus opus non fuit, quàm nutu Superioris, ut desertâ Guranicâ Missione, ubi incredibiles fructus colligebat, in solitariam alicujus Collegii cameram se reciperet, citra aliud officium, quàm ut in Scholis inferioribus juventutem instrueret. Alia vice dum totus quantus erat in eo, ut numerosum Barbarorum gregem in gremium Matris Ecclesiæ transferret, facto jam felici Missionis auspicio, ad voluntatem tamen Superiorum tantum opus citra moram interrupit, iturus ad Uruguayenses Missiones. Id quod perinde fuit, ac migrare ex una terraquei globi parte ad alteram ejus partem per mille, ducenta milliaria. è diverso ex eadem obedientia alterum iter ipsi aliàs faciendum erat, quod quidem 24. horas non excedebat, sed per viarum difficultates totidem dierum impendium exposcebat. Postremùm hæc ardua obedientia omnium maximè in Viro resplenduit, quando ingens opus convertendi Zamucos, summo fervore cœptum, subitò intermisit, jussus præesse Provinciæ. Et verò fatebatur ipse, sibi difficillimum accidisse, & nulla alia occasione naturam ita refractariam fuisse, quàm ea vice. Attamen, licèt eo onere officii se liberare haud difficulter potuisset justis ex causis, citra omnem excusationem Majorum imperio acquievit, studio solius obedientiæ.

5. Quod autem in hoc Viro maximè mirandum, ille zelus animarum est in Barbarorum conversione. Nam fidem Christi propagare, sive hoc fieret per instructionem Neophytorum, sive per reductionem Ethnicorum, non tam ipsius virtus, quàm naturalis & congenita inclinatio esse videbatur. Unicum proinde quietis centrum, una vivendi ratio illi erat adductio animarum ad cognitionem, & amorem Dei: cæteris in negotiis nihil admodùm solatii capiebat. Si quis tempore infirmitatis illum recreare intenderet, non erat aptior modus, quàm inferre sermonem de novis expeditionibus ad bonum animarum, de pia quin sancta Neophytorum vita, de novis Ethnicorum Reductionibus. Utinam apponere huc possem aliquot ejus epistolas, ut omnibus constaret, neminem unum ex mundi amasiis sua prava voluptatis desideria ita prodidisse, ut prodidit Evangelicus hic Operarius suos sanctos, & ardentes affectus ad promovendum Dei honorem. In consideratione hujus non adeò mirum jam videtur, quòd invictâ patientiâ omnes persecutiones tulerit, & minima quæque damna rei Christianæ reparare sategerit. Colligere id licet ex ejus epistola, in qua inter alia sic scribit: *Major mihi honor aliundè obvenire*

non

non potest, quàm à persecutionibus, quandoquidem recentem Chiquitorum Christianismum promovere contendo, qui ab ipso sui principio tanto labore meo & sudore stetit. Magnitudinem laborum, de quibus paucis his verbis meminit, facile est credere, si attendatur hinc conditio Barbarorum, qui vultu tenus homines, moribus autem brutis animantibus similes erant: illinc paternus amor, quo Barbaros illos, non secus ac filios suos complectebatur: dies enim noctésque laborabat, ut eorum corporibus æquè ac animabus provideret: nunc famelicis de cibo & potu, nunc ægris de medicina prospiciebat. Aliàs ulcera, & vulnera languentium mundabat, utut natura exhorresceret: aliàs lites & tricas odiosas componebat, id quod cum insigni moderatione & incredibili amore conficere solebat, ideò solummodo, ut necessariam pacem & concordiam inter diffidentes stabiliret. Quod postremum præstare hoc difficilius cadebat, quo major his Neophytis ante fidem susceptam libertas & mos erat, suas simultates committendi arbitrio armorum, & sic finiendi. Hæc & ejus generis plura ipsi vel agenda, vel toleranda fuerunt in gratiam Indorum. Equidem ista tam gravia non omnium viribus commensa sunt, ut etiam aliquibus impossibilia videri possint. At verò noster Apostolus continuavit hæc durissima per tot annos tanto cum fervore, ac si recens semper inchoaret opus Evangelicum. Quòd si totis viribus quandóque exhaustus languebat, velut apud Chiquitos ipsi contigit, mox reparatis viribus pristinis, laborem novo ardore prosequebatur. Accessit his arduis, quod difficillimum esse solet, nempe necessitas discendi tot disparatas, & Barbaras linguas, quas tamen ita feliciter comprehendit, ut vel ipsi indigenæ, linguarum gnari, alienigenam illum vix crederent. Ad has totâ vitâ tam graves molestias devorandas solus impulit animarum zelus. Eò enim adegit iste Virum, ut parem pueris se faceret, & verbum unum post alterum edisceret, ipsorum Barbarorum discipulus spontaneus factus. Ultimum suum, & summum officium in administranda Provincia eodem amore, quo animarum salutem promoverat, erga nos subditos obsignavit. Nam erat in omnes & singulos liberalis, amabilis & comis, nec potestatem suam exerebat, nisi regula obedientiæ juberet. Itaque à nobis vicissim amabatur ob placidum agendi modum, & minimè fucatum, quo cor ejus, & os conspirare cernebantur. Sed quantus amor erat, tanta erat nostra reverentia, ut tanquam Virum sanctum coleremus.

Cor-

6. Correptus denique febri, aliisque ſymptomatis, cùm de periculo vitæ commonitus eſt, nihil horroris præ ſe tulit, ut potiùs heroo animo ſe ultimæ pugnæ pararet. Erat eo in articulo ſumma illi in Deum ſiducia, cujus bonitas indulſerat eidem pro ſingulari gratia 48. annos in Societate Jesu, 38. inter Indicos labores. Equidem incolæ noſtri Collegii Cordubenſis ſtatas precandi horas, & ſpontaneas caſtigationes corporis ſibi ſanxerant, ut Bonitas Divina ſuum ſibi Superiorem dilectiſſimum prolixiùs concederet. At Deus, ut præſumimus de ejus benignitate, ſuo fideli Servo cœleſte meritorum prœmium non diutiùs differendum judicavit. Ergo eundem ipſo feſto SS. Triados è terris ad cœlum evocavit, quas terras inter piiſſima, & intenſa ad Chriſtum Crucifixum ſuſpiria & Colloquia dereliquit, munitus pridie omnibus morientium Sacramentis. Hunc ipſum poſtremum diem tranſegit citra omnem mortis formidinem, quin tam tranquillo animo, ut etiamnum capax fuerit ordinandi aliqua in bonum Provinciæ. Ætas ejus ſe extendit ad 65. Annos; dies mortis fuit quartus Junii Anno 1719. Terræ mandatus eſt eodem adhuc die in præſentia D. Epiſcopi, & multorum Religioſorum: item politici Senatûs, & præcipuorum ex Nobilitate cum populo copioſo. Reliquias Venerabilis Patris, puta, libellos, & pœnitentiæ arma noſtri ſibi partitò vendicârunt, tanquam ſacra lipſana à Viro, Apotheoſi digno, ob tot converſas animas de Catholica Eccleſia optimè merito.

CAPUT XX.

De continuata Missione apud Zamucos per P. Michaëlem de Yegros, & Fratrem Albertum Romero, quorum posterior à Barbaris mactatur.

§. I.

1. Iter Patris Yegros ad Zamucos. 2. Cupidè excipitur ad iisdem. 3. Difficultas novæ Coloniæ ex aquæ, & victûs penuria.

Renuntiatus novus Provinciæ Præses Rev. P. Joannes Bapt. de Zea subornârat sui loco P. Michaëlem de Yegros, ut elapso pluviarum tempore cum Fratre Alberto Romero ad Zamucos se conferret, cœptam recèns Reductionem S. Ignatii constiturus. Itaque P. Yegros signatum sibi tempus prævertendum rebatur, ut maturè de loco idoneo prospiceret, & simul sibi à periculo caveret ex mora, non offendendi scil. in via necessariam sitientibus aquam. In eum finem initio Aprilis 1718. profectus est. Vix autem sylvam Zamucorum attigerat cum Sociis, cùm advertit, se nimis serò iter instituisse; nam aquæ penuria illum cum suis regredi coëgit. Hæc aquarum inopia plùs satìs pensata est, cùm altera vice mense Septembri suum iter aggressus est; tunc enim pluviæ tam copiosæ ruerunt, ut agri, & prata cucuratum superfusis undis stagnarent, Pater verò viæ terminum ægrè consequeretur. Patet id ex ejus literis, quibus memorat, si crebrò inter undas quasi natâsse, non sine continuo interitûs periculo, ex quo tamen Deus ipsum eripuerit. Sed & seipsum in discrimine identidem animabat recordatione immanium laborum, quos Antecessor & primus Apostolus ejus loci P. de Zea exhauserat. Superata difficiliori viarum parte, aliquot Indos Christia- 1.

nos præmisit cum bellè exornato baculo, & vestimento pulchrè colorato, quod donum præcipuo Caciquio deferrent. Cum his muneribus ubi pervenerunt, non sine honore suscepti sunt, & ab ipso Caciquio ad mensam invitati. Totum autem hoc convivium constabat solis certi generis radicibus in Sylva erutis, & uno aquæ vasculo. Defectus enim fontanæ ibi locorum tantus est, ut se felicem quis reputet, si tenui ex scatebrâ tantillum obtineat, quantum suppositâ volâ capere potest.

2. Biduo pòst, quàm advenerant, Christiani cum loci Caciquio, & subditis aliquot P. Missionario obviàm iverunt, exceptúmque de via quinto Octobris die ad illum locum deduxerunt, ubi priore Anno P. Zea Crucem erexerat. Difficile dictu est, quanto gaudio exultârit optimus hic populus, quòd sua in regione aliquis Missionarius modò versaretur. Maximus Caciquiorum, qui alios Indos morum honestate multùm superabat, prolixas egit gratias nomine totius gentis pro auspicato Patris adventu. Addidit Caciquius, se non absterritum premente fame & pauperie, quam hîc locorum inter suos populares pati necesse habuit, attamen inde discedere noluisse, quin nec suis licentiam dedisse aliò in remotiora migrandi: atque hoc ea tantùm de causa, quòd bona spe constanter se sustineret, fore scil. ut brevì Missionarius adventaret: Præterea sæpius aliquos suorum dimisisse, quandoque seipsum excurrisse, nempe exploratum, an non aliquis Patrum se in viis conspiciendum offerret.

3. Quò major igitur populi lætitia, eo majus fuit solatium, quo animus Patris Yegros perfundebatur, præsertim cùm videret, quàm fructuosus Patris Zea impensus labor, & sudor esset, quàm copiosa cœlestis benedictionis pluvia ex eodem enata fuisset. Cæterùm nullâ morâ interpositâ cœpit cum illo Caciquio, & præcipuis ex populo tractare de negotio sui adventûs, nempe de condenda nova Colonia. In hunc finem cum bona eorum venia liberum sibi esse voluit, ut datis cum ductoribus singulos eorum vicos perageret, locum Reductioni aptissimum quæsiturus. Hunc autem sibi obventurum sperabat versùs occasum, haud procul à fossa salinaria. Circa hanc enim dari idoneum Coloniæ tractum audierat ob commodum aquæ, ex adjacentibus montibus scaturientis, præsertim ob res educando pecori servituras. Eodem insuper consilio magnopere intendebat, ut ea ratione cæteris Chiquiticis communitatibus propiùs jungeretur, & via ad il-

lis multò brevior aperiretur. Responsum Caciquii ad ista perscribit Pater his verbis ad P. Joannem Patricium datis: *Cùm Caciquius hoc meum propositum intellexisset, ingemiscere cœpit, & clamare: mi Pater, essem enimverò ingratissimus, & abjectissimus mortalium, si post tantum à te exhibitum amorem præsumerem, in quacunque re tecum mendaciis agere, aut datâ repulsâ te contristari. Itaque, etsi fidem mihi vix dederis, cogor tamen sinceram proferre relationem, quòd nimirum in tota regione nostra illum tot commodorum, ut opinaris, tractum non sis reperturus. Nam quidquid in præsenti hoc locorum situ cernis, hoc & non plus in cœteris provinciis deprehendes. Esto, quòd tempore pluviali per exundationem fossæ aliquot & lacunæ inebrientur, tamen paucis pòst mensibus exarescunt. Ea causa est, cur dispalati vitam agamus, necessariò invicem divisi, unicè, ut cibum & potum conquiramus. Hoc Caciquii responso non absterritus, plura & validiora rationum momenta in medium attuli, prout DEUS ingerebat, ut me cum viæ ducibus sineret proficisci ad occiduos regionis pagos, visitaturum eorum quoque Caciquios. Ad quæ rursum Caciquius: mi Pater inquiebat, quàm vehementer te amo, tam asseveranter tibi edico, te in præstituta profectione cum tuis vel ex sola siti animam exhalaturum.* Usque huc Patris epistola, qui hac instructione accepta, se subduxit, negotium isthoc Superis commissurus.

In ea Patris absentia Caciquius suos ad forum convocat, exprobrans, quod aliqui eorum mendaciis Patri imposuissêt, scil. ingerendo, ceu foret in regione sua commodior occasio erigendæ Communitatis. Querebatur præterea, se ob falsas ejusmodi gerras pudore suffusum iri, quibus Patri ansa opinandi facta esset, quasi dolis agere voluisset, subticendo, quod tam ardenter avebat nescire. Denique severum omnibus dedit mandatum, ut universè, quidquid ab eis Pater requireret, ultronei obedirent. De hoc Caciquii ad suos admonitione intellexit Pater post finitum orandi secessum, qui in priori narratione ita pergit: *Hac instructione accepta statui ipsis proponere, an non placeret extra miseras & siticulosas terras suas in unum locum sese congregare ad conflandam Reductionem: nimirum ubi eorum regio contermina est Campis Japerarum, & Cucaratum. In transitu enim me observâsse dicebam, valdè aptam stationem ad præfixum scopum fore. Quapropter ad me citavi Caciquium, cui meam sententiam declaravi. Sed simul ac mentem meam aliquatenùs intellexerat, interrumpens sermonem, læto ore respondit, esse enimverò bonam electionem, cùm sibi præsenti in eodem loco*

 explo-

explorata essent omnia, & summè approbata: sperare se proin bonum rei successum. Asseverabat prætereà, quòd in vestigio cum suis subditis, & finitimis populis ad destinatum locum fuisset Patrem secuturus, nisi agrorum fruges obstarent, & aliquorum sementis nuperrimè facta. Deinceps se neutiquam permissurum ajebat, ut ab hoc tempore aliquid sereretur, sed facta messe suos populares deducturum ad designatum locum: Intereà velle se dare viæ ductores ex primariis, me comitaturos ad omnia ritè exploranda. Hoc constituto visum est mihi, ut interim post duos dies redirem ob aquæ utilis penuriam; per biduum enim commorationis hìc meæ bibendum erat ex lacuna, plùs horâ hinc distante, ubi plus luti, & cœni, quàm aquæ extabat. Sub nocturnam quietem, cui populus sese jam commiserat, ad me venit Caciquius cum adulterioribus aliquot Indis, solatium allaturus his verbis; Pater mi, ne tristeris; confirmo enim tibi, me post annum in nova habitatione peractum, iter cum meis institutum trium dierum trans montes usque ad Zamucos, olim amicos nostros, in decem Communitates, nostris pares, distributos. Inde intervallo unius diei, ubi montium juga desinunt, initium sumunt patentissimi campi, qui ab innumeris populis inhabitantur, séque extendunt usque ad illos terminos, quos nos Hispanicos *vocamus. Hi perpetua bella gerunt cum una & altera parte nostræ regionis, cujus incolas Ungaranos nominamus. Hâc notitiâ à Caciquio acceptâ me valdè lætari ostendebam, utpotè ad votum meum, maximè cùm adderet, assignatam habitationi stationem universis summopere placere. Ad ultimum cùm alios insuper populos non procul dissitos obiter commemorâsset, valedixit, domum repetiturus.* Hucúsque verba Patris Yegros. Cùm verò Pater postridiè discessum pararet, repentinus clamor & planctus in populo exortus est. Nempe quia magno sancto fidei desiderio flagrabant, durum ingratúmque accidebat, si Missionarios eos desereret. At cùm Pater denique sponderet, se brevì rediturum, acquieverunt. Quin erectis in cœlum manibus Deo supplicabant, ut Patris iter prosperaret, & reditum ejus maturaret. Demùm populo copiosam à cœlo benedictionem precatus iter arripuit cum duobus à Caciquio datis comitibus Zamucis. Cum his 16. Octob. eodem Anno 1718. ad Communitatem S. Joan. Bapt. cum extraordinario incolarum gaudio delatus est. Studebant singulari charitati, quam exhibebant duobus peregrinis, futuris Christianis, ut his obsequiis deliniti, majorem sacrosanctæ fidei æstimationem & desiderium conciperent. Verùm P. Yegros omnium rationem dedit Rev. P. Joanni Fernandez, qui visitandis

dis hisce Missionibus erat cum potestate constitutus. Nec poterat P. Fernandez satìs laudare divinam Bonitatem, quæ tam fortunatum rei successum indulserat. Neque diu cunctatus, illico duos, cum P. Yegros advectos, Zamucos ad suum Caciquium remisit cum monitis, ut Caciquius cum suis intereà circumscriptam propè Cucurates habitationis sedem adiret: quò P. Yegros cum altero Socio sine mora esset secuturus.

CAP. XX. §. 2.

1. Fundanda Reductio S. Ignatii, præter omnem spem intercidit. 2. Violenta à Barbaris mors Fratris Romero Soc. JESU, & duodecim Christianorum.

Quis jam sibi persuaderet, tantùm ad DEI gloriam & tam laboriosè susceptum, tam feliciter (ut videbatur) ad finem deductum opus, de repente potuisse in nihilum redigi? Et quidem tam fatali casu, ut ab eo usque tempore effici potuerit nihil, ut ut in opere instaurando laboratum sit summo fervore. Plerique omnes causam infaustæ adeò vicissitudinis referunt ad innatam Barbaris mutabilitatem. Ego autem, si mentem meam explicem, potiùs sentio, ex altioribus nempe causis ea omnia accidisse. Cùm enim opus hoc aliud non sit, quàm salus animarum, quod primariò in executione pendet à DEO, hujus ipsius providentia sæpè permittit, ut omnis humanus conatus, rei perficiendæ adhibitus, optato successu careat. Atque hoc ob eam potissimùm causam, ut nostrarum tenuitatem virium agnoscamus, ut soli divinæ gratiæ in acceptis referamus, quidquid nostrâ veluti operâ, doctrinâ, industriâ prosperè actum reputare potuissemus. Hæc quocúnque modò se habeant, transimus nos ad infelicem Missionis hujus interitum. 1.

P. Michaël de Yegros, cum Fratre Alberto Romero ex Reductione S. Joannis iterum profectus erat Anno 1719. Mense Augusto. Sumpserat secum, quidquid ad peragendum Divinum Sacrificium, & ordinandam novam Ecclesiam requirebatur. Jámque designatum novæ Communitati S. Ignatii locum attigerat, quando vacuum omni habitatore reperit. Ex Indis subin exploratum missis, intellexit, tuguria eorum in cineres redacta esse, ipsos verò aliquot dierum intervoallo ad

ad piscorum lacum sese congregâsse, impeditis post se viis, nequis facilè sequeretur.

8. At verò Frater noster Albertus ea de causa absterreri non potuit, quò minùs profugos investigaret, inventósque denique sui promissi admoneret. Barbari monitum æquo animo accepisse visi, simulabant, ceu vellent confestim promissis stare. Eo in proposito iter cum Fratre inierunt; cujus amabili conversationi & ipsi blandis verbis & gestibus respondebant, donec tandem 1. Octobris Anno 1719. palliata eorum perfidia se ipsam prodidit. Mactârunt enim principiò duodenos Christianos crudelem in modum: Dein Caciquius ipse Fratrem Albertum, collo apprehensum, impacta ponderosæ satìs clavæ acie stravit, fisso in duas partes vertice. Paupere dein præda potiti, in fugam se Barbari latrones conjecerunt. Et quoniam formidabant à Chiquitis vindictam, tam profundè se abdiderunt, ut longo tempore non repirirentur. P. Michaël de Yegros ubi per duos fugâ elapsos Christianos triste nuntium accepit, indoluit vehementer inauspicatæ Fratris excursioni, quo ipso casu coactus est, vellet, nollet, regredi. Christianæ verò Communitates necem tam pii & religiosi Fratris dignis lachrymis sunt prosecuti. Memores ergo plurium ab illo acceptorum beneficiorum honoratas pro viribus exequias eidem celebrârunt. Quoniam autem ejus religiosa sanè vita præconium meretur, cum hoc ipso caput præsens finiam.

Cap. XX. §. 3.

Vita, & Virtutes F. Alberti Romero, è Societate JESU.

1. Natus est à copiosis Parentibus, Indias petit mercimonii causâ post opes ad inopiam redigitur, sed ad salutem ejusdem. Fit Nostris à familiaribus obsequiis, atque etiam Catechista, & Operarius Manualis, ægrorum insuper curator. 2. Sanctitati interim studet, orationi & mortificationi deditus. A Sathana visi-

visibili infestatur per triennium. 3. Societati adlegitur, pra fide dein occisus, ut dictum.

NAtus est Frater Albertus Romero, Segoviæ in Hispania Parente spectabili, multarum facultatum mercatore. Incessit hunc subin desiderium lustrandi peregrinas terras, suæ fortunæ velificaturus. Eo fine in Societate aliorum mercatorum Regnum Peruanum adiit, tam prospero successu, ut brevì magnas opes colligeret. Usus deinde est ejus operâ tam Regium dicasterium, quam ipse Archi-Episcopus Chuquisacæ in gravibus negotiis pro bono publico. Verùm ut terrena hæc mutari solent cum fortuna, qua nihil instabilius, ita prosperæ Alberti res subitò aliam faciem induerunt. Quippe intra perbreve tempus, (causam nescio, nisi fuerit ipsius Numinis dispositio, ad conjugendam sibi arctiùs hanc Animam,) brevì, inquam, perditis cunctis opibus ad extremam inopiam est redactus, sed non sine alterius generis lucro. Nam hæc perfidi mundi stropha tam altè in cor hominis descendit, ut animum suum paulò diligentius colligeret. Reputans proinde secum, quòd omni suo labore, & industria non tantùm nullas terrestres opes, sed nec meritum cœlo promerendo cumulâsset, indoluit suæ socordiæ, cum proposito deinceps vocandi Deo, & Animæ saluti, hoc est, impendendi reliquum vitæ quærendis duraturus, & cœlestibus divitiis ex meliore jam mercandì arte. Hoc tam liberale propositum Divinæ Bonitati magnopere placuisse eventus docuit. Solet enim liberalitas Dei persæpe Operariis, qui ultimâ horâ in vineæ labores venirent, eadem mercede Divina remunerari, quæ datur à primo manè laborantibus. Ea tempestate solebant aliqui pii Hispani in tractu urbis Tarixæ eleemosynas corrogare, pauperibus Chiquitis annuatim de more mittendas. Cum hac eleemosyna amandârunt Tarixâ Patres nostri dictum Albertum, qui tunc temporis necdum Religiosus ibi versabatur, Patribus oppidò familiaris. Hoc charitatis obsequium, pro bono rei Christianæ susceptum, bonus Deus Alberto abundè rependit. Nam cùm recentium Christianorum piam ac laudabilem vitam, nostrorum simul Missionariorum Apostolicos labores consideraret, vehementer enim stimulum sensit Deo arctiùs se devinciendi, & superstites vitæ dies exigendi in Ecclesiæ Chiquiticæ obsequiis & ejusdem bono promovendo. Nec instinctui huic obsecundare distulit, dum in vestigio cœpit Indos instruere in variis opificio-

ficiorum genere, cum iisdem Sylvas exſcindere, terram aratro, & aliis modis vertere pro ſemente, domi verò ægros, aut ætate fractos ſenes paterna amore curare. Verbo, Albertus omne id aggreſſus eſt, quidquid amor & neceſſitas Indorum ipſi ſuadebat. Singulari tamen modo amorem erga Neophytos præ ſe tulit, quos tenerè diligebat, ceu pectori ſui incluſos. Unde ab illis ægrè avellebatur, ſine quibus verſari, vel ad breve tempus non poſſe videbatur. Neque abſterrebatur per inconditos Barbarorum mores, cùm in iſtis non tam exteriora, quàm animæ, Chriſto redemptæ, pretium ſpectaret.

2. At enim in medio horum laborum, ſponte ſuſceptorum, profectûs ſui in morum Sanctitate nullatenus eſt oblitus; ſolebat enim frequenter animum ſuum in oratione recolligere, ſub qua profuſa ubertim lachrymæ ſatìs teſtabantur, quanta è cœlo hauriret ſolatia. Indigebat ſanè his ad pugnam conſtanter pugnandam, ab inferno hoſte oblatam. Ringebatur ſcilcet Orcus, quòd illiteratus ſenex in via Chriſtianæ perfectionis tantos progreſſus faceret, & unà tot animas faucibus ejus eriperet. Itaque diu noctúque Alberto infeſtus erat objectis horribilibus ſpectris. Durebat hic conflictus per integrum triennium, ſed ad majorem nimirùm laudem & meritum ſemper vincentis Alberti, qui à Deo, & Angelo ſuo Cuſtode animatus, nunquam ſe ſuperari eſt paſſus.

3. Ego quidem credo, quòd Deus tantam conſtantiam remuneraturus, tam ardens deſiderium ineundi Societatem noſtram in illo accenderit. Sed non conſulto priùs Admodùm R. P. Præpoſito Generali ea gratia homini tam provectæ ætatis conferri non poterat. Ergo cùm id longius ſibi tempus poſceret Romam usque, P. Vice-Provincialis Ludovicus de Roca deſiderio Alberti aliquatenus ſatisfaciendum putavit. In numero proin eorum Fratrum, quibus S. Ordinis Vota edere non niſi in mortuali lectulo licet, (Donatos Hiſpani vocant,) recepit interim, donec Româ licentia adveniret ſuſcipiendi hunc veteranum Candidatum. Sed enim Deus prævertit hoc tempus, dum Albertum glorioſa morte in cœleſtem Societatem tranſtulit.

CA-

CAPUT XXI.

De variis Casibus aliarum Reductionum ad Annum 1717. & 1718.

§. I.

1. Chiquiti Christiani fiunt aliis Indis Apostoli. 2. Reducunt multos ad Fidem, à qua vel solum nomen Mamalucorum absterret alios.

INjuriam facturus essem zelo recentium Christianorum in Chiquitica Ecclesia, si intermitterem debitum illis præconium. Illorum enim operâ DEI Gloria, & numerus rectè Credentium majorem in modum auctus est. Hic igitur apponam, quid hoc in genere apud diversas Reductiones contigerit. Initium facio à Communitate S. Xaverii. Hujus ergo incolæ Christiani in duplici diverso loco Missionem instituerunt. Aliqui eorum, natione Zamali, illos Ethnicos indagârunt, quos jam prioribus Annis repererant, sed defectu interpretis re infecta deserere debuerunt. Erant hi Indi nomine Guarayi, ad quos cùm Christiani altera vice pervenerant, peramicè excepti sunt. Et quamvis Interpres denuo desideraretur, tamen multi Guarayiorum solis signis, ac nutibus blandis persuasi sunt, ut Christianum gregem sequerentur. Alter Christianorum manipulus, qui solos Pinnocas numerabat, expeditionem ad interfectores Ven. P. Lucæ Cavallero, nempe Puyzocas adornârunt, quin tamen finem suum consequerentur. Nam cùm ex itinere in pagum Cozocarum delati essent, incolæ, in agrorum labore tunc occupati, improviso horum adventu ita sunt perterriti, ut præsentem sibi hostem interpretarentur. Itaque omnes præcipiti fuga se subduxerunt. Pauci eorum à fuga retenti sunt, cum quibus nostri vicum quidem subierunt, sed neminem ex incolis ibi invenerunt. In tuguriis tamen cernebant pulchra, plumis exornata scuta, in cubilium suorum lateribus pendentia: Item oculis occurrebat integer cumulus ossium humanorum; Imò & recentia humanæ car- 1.

nis frusta, ex quibus palàm fiebat, hos populos esse Anthropophagos. Cæterùm honestè vestiti incedunt: In modo vivendi quidem, sed non item in idiomate concordant cum Bauresiis, & Corsiricis. Quos ex dictis Anthropophagis Christiani secum abduxerant, erant sex & triginta.

4. Porrò Christiani ex Communitate Intemeratæ Conceptionis visitârunt Cosiricas, sed majore conatu, quàm fructu, equidem Socios viæ secum attulerant duos alios ejus Nationis, quos biennio abhinc, cùm hunc ipsum quoque populum inviserent, secum in suam coloniam abduxerant. At neque hi populares aliquid effectum dederunt, seductis à malo genio Barbaris ea suspicione, ceu comites cæteri suorum duorum popularium essent pessimi Mamaluci, aut certè hostes, in servitutem ipsos abstracturi. Nihilominus nostri ad qualem qualem refectionem sunt invitati, & fructibus pasti. Accidit autem, ut ex alio loco integra Barbarorum caterva collecta irrueret, Christianos jactu telorum pulsura. Nostri, licèt vim vi armati repellere potuissent, ut jussi erant à suomet Caciquio, nihil tamen aliud egerunt, quàm ut intortas sagittas cautè declinarent, executuri eo facto Legem Christi, nolentis, malum malo rependi. Tres Christianorum sub hac irruptione Animam posuêre, cæteris non sine vulneribus domum reversis.

Duplex præterea alia Christianorùm cohors ex Communitate S. Raphaëlis sacram fecit excursionem. Et prima quidem, quæ ex meris Tausiis constabat, prædam reportârunt reductis nimirum quadringentis & octoginta Ethnicis Bacusonibus. Altera autem turma, numerans meros Tabicas, experiundi gratiâ Lurucanes adierunt. Ex hac turma unus Chiquitus, qui cum aliquot Sociis paululùm antecesserat, naviculam in flumine conspexit, quam principiò credebant esse eorum Ethnicorum, quos quæsitu venerant. Idcircò sub frutetum latendi caussa se tantisper reduxerunt, dum propior fieret lembus. Verùm ubi Comitis ductoris Chiquitici deprehenderunt in navigiolo unum nigricantem Brasilum, duósque alios Indos, altùm exclamârunt: *Mamaluci! Mamaluci!* quo dicto fugam accelerârunt. Solus Chiquitus in arena constitit, in quem nigricans ille arcum suum jamjam intendebat. Id cùm lentiùs faceret, inclamavit Chiquitus alta voce: *Ne me occidas velim; æquè enim Christianus sum, ac tu: Nec lædere te cupio.* Ut verò hosti nigello Chiquitus proniorem fidem faceret, ostentavit effigiem Cœlestis Reginæ cum Divino Filio in brachiis hæ-

rente. Tum verò hostis arcum intentum cum telo remisit, ac pronus in genua ante Statuam se eminus demisit. Interea cùm reliqui Neophyti, quorum 150. erant, se collegissent, secundùm ripam fluminis longa serie se stiterunt. Ibi ergo Dux Mamalucus propior factus, unum Chiquitum, Guaranicæ linguæ gnarum ad se vocavit. Ex hoc quærebat, quinam essent? qua de causa hic morarentur? Cui Chiquitus respondit, se esse Filios Patrum Missionariorum (hoc enim nomine se hîc locorum vocant Neophyti,) præterea omnes hos esse Christianos ex Reductione S. Raphaëlis: Excurrisse autem ad investigandos cœcos Indos, quò lumen veræ Fidei aspiciant. Hic ipse scopus noster est, reponit Dux Mamalucus, sed scias velim, universos hujus tractûs Barbaros nobiscum fuisse abstractos. Postea perrexit quærere, quis Patrum illos in Fide instruxisset? quinam cum illis unà venissent? & quos Caciquios haberent? Ad duas primas quæstiones candidè noster respondit, nempe & Philippum Suarez suum Missionarium esse, se tamen sine illo solos huc advenisse. Ad tertium quæsitum plùs quàm Indicâ Astutiâ reposuit, nempe numerum suorum esse ingentem sub ducibus propè 60. hoc est, Caciquiis. Hoc vix audito Mamalucus ad suos conversus, plus non dixit, quàm hoc: *Hi homines sunt valde numerosi.* Hoc dicto mox signum ad abitum suis dedit, quem celerrimè arripuit, metu scilicet, ne tanto Indorum numero, quem credebat, interciperetur. Christiani hoc tam fausto doli successu læti, viam continuârunt usque ad pagum Curuacanum. Ibi in foro in genua procidentes Corollam Marianam texere orando cœperunt, uti nimirum Deus loci incolis conferre dignaretur gratiam agnoscendæ Legis suæ, & amplectandæ. Incolæ interim hoc conspecto, amiratione juxta ac metu siderati stabant, ne hæc in malum omen vergerent. Quapropter omnes se fugâ proripuerunt, decem exceptis, qui finitis precibus à Christianis sunt detenti, & facilè persuasi, ut Christianam susciperent Legem. Hi ipsi decem Viri sequente Anno tam prosperè egerunt, ut ex sua Patria ducentos, & undecim alios secum auferrent. Atque ex istorum narratione compertum est, multas in ea circùm Regione gentes degere, inter quas Merejones, Gurjones, Bacusones, Betaminis, Aripayres, Zipes, Tades, Guaryoes, Subarecas, Paricies, & plures alias.

Cap. XXI. §. 2.

1. Infelix mors Indæ Christianæ, sed impudicæ. 2. Apparet terribilis post mortem, fassa causam damnationis.

1. CÆterùm ad Christianæ Religionis incrementum non parùm contulit funestus casus, qui in Communitate S. Raphaëlis cum juniore Fœmina nomine Isabella contigit. Hæc decimò octavo ætatis Anno sanctam quidem Fidem susceperat, sed secundùm ejus Leges vitam suam minimè instituit. Quamvis enim Christiano ritu esset maritata, tamen stimulante turpi genio brutam suam libidinem satiare non poterat. Itaque seposito omni pudore cum casto timore Domini spurcissimi exempli vitam est professa. Nihilominus ne Missionariis suspicionem moveret, SS. Sacramenta frequentare non est verita, neque id sine coactis pietatis lachrymis. Verùm non permisit Deus, ut recens illa Ecclesia ex pessimis his exemplis damnum acciperet. Ergo impudicam ad pœnam raptat, Misericordiæ tamen suæ non oblitus. Tempus enim & ansam pœnitentiæ indulsit, modò vellet. Fortè in paterna domo noctu dormiebat, cùm repentè cæpit horrendis modis vociferari, ut crederetur mentem perdidisse. Suspectabat fixo obtutu in altum ingenti cum horrore, Parentem suum compellans: *Ecce! ecce! maligni spiritus irruunt, me rapturi in orcum.* Quo dicto prosilit è lecto, fugam captura, nisi parens prohiberet. Interea ab horribilibus spectris ita delassata est, ut diu mentis & sensuum usu careret. Missionarius, qui corporis quidem invaletudinem, non item animi intellexerat, quàm citissimè advolat, salutem Animæ in primis curis habiturus. Dum igitur fatalem horam non longè abesse adverteret, more Christiano ad extremum sacro oleo inunxit. Hoc peracto cœpit Christiana monita pro eo articulo suggerere, quæ tamen ægra audire renuit, oculósque à Sacro Medico aversos, certo in loco constanter fixit. Quin se denudare conata, inter impudicos gestus vocabat suos Amasios, quos præsentes putabat. Ex his Pater facilè collegit illusionem Diaboli, qui sub aliena forma tales tentationes cieret. Quapropter eò ardentiùs institit, ut ægræ accuratam de peccatis Confessionem persuaderet. Verùm infelix Animal latens conscientiæ Virus nullo modo prodere voluit. Hanc tergi-

tergiversationem stygius hostis haud parùm promovit, qui miseræ aliquantam quietis partem indulsit. Inde Patrem incessit opinio, ceu periculum decrevisset, & appensis S. Ignatii lipsanis invisæ Erebi larvæ penitus essent fugatæ. Itaque cùm illum negotia aliò avocarent, ægram deseruit, animo statim redeundi. At enim vix aliquot passus domo recesserat, cùm ægrota sacras Reliquias de collo diripuit. Post ista item cœpit amatoriis verbis complices suos adulteros advocare, & inter impudicos gestus quasi quempiam amplexans, infelicem exhalavit spiritum, attonitâ præsentium Consanguineorum Coronâ.

Eodem subin die terræ mandatum est cadaver, sed sequente mox 2.
nocte adfuit damnatus spiritus ad fores Parentum suorum, & vocans suum Maritum: *Aperi*, inquit, *an me non nôsti? Egò sum tua Isabella.* Summè attonitus Maritus surgit, reserat fores. Verùm simul ac conspexit uxorem, Animo externatus est. Ab hac domo transiit damnatum spectrum ad habitationem P. Missionarii, tam expavescenda in forma, ut Pater eodem temporis momento deliquium patiens, collaberetur, & vix per dies aliquot se recolligeret. Inde discedens spectrum coram habitationis nostræ Peripheriam & Templum circuivit, percussis crebro ictu Campanis, Incolæ quidem totius Reductionis præ horrore contremuêre: Sed nemo unus pedem efferre domo ausus est. Plus terroris dein incussum est inquilinis, quando spectrum obambulando omnes plateas pervadens instar immanis bellua ululare, ejulare, rugire horribiliter cœpit. Neque hoc satis erat, proximo enim die Sorori suæ, & pluribus aliis in specie iterum terribilissima se spectandam obtrusit: Nisi fallor, DEO sic ordinante, qui plures tragicæ hujus Historiæ testes esse volebat, ut illi, qui non nisi metu malorum ad frugem perducuntur, minùs dubitarent de hujus formidolosissimæ Catastrophes veritate.

CAP. XXI. §. 3.

1. Vita & Mors P. Josephi Tolù: mirabilis Visio ejusdem. 2. Mors item Surdastrorum duorum statim post factam Patri Confessionem. 3. Ejusdem Patris fortitudo sub intentata nece. 4. Animabus Purgatorii omnia sua merita transcribit, & posthuma Suffragia.

1. HIs quà tristibus, quà lætis eventis subjungo mentionem de Apostolica Vita fervidi Operarii in memorata superiùs Reductione S. Raphaëlis, ubi diem extremum piissimè clausit 10. Maii Anno 1717. Est autem hic Pater Josephus Tolù, natus Potagi in Sardiniâ 2. Novembris Anno 1643. In Societatem JESU adlectus 2. Maji 1664. Ad hanc Provinciam delatus Anno 1674. Hìc loci igitur absolutis integrè Studiis Litterarum, Sacerdotio initiatus, ad Guaranicam Missionem ire justus est, ubi aliquamdiu utilem operam Indis illis locavit. Ibidem DEUS illi ostendit, quanti labores ipsum exspectarent. Quippe lecto quodem die Sacro cùm in suum cubiculum recederet, orationi vacaturus, vidit subitò velut in ecstasi multitudinem incogniti populi circa se, sibi ipse autem videbatur occupatus in terra colenda usque ad copiosum sudorem, quin ullus ex præsentibus illum tanto labore levaret, vel saltem sociam operam jungeret. Mirum sanè habuit Patrem hoc genus ostenti, cujus sensus adhuc latebat. At brevì claram interpretationem fecit Majorum imperium, quo jussus est in Communitate S. Ignatii Chiriquanorum Conversioni insudare. Hìc enimverò populorum quidem satis supérque circa se reperit, sed apud quos oleum & operam perdidit. Nemo illi ne ad aram quidem servire, multò minùs in domesticis negotiis adesse, quantumcunque rogabat, & invitabat. Ergo coactus est suismet manibus hortulum construere, & in sudore vultûs sui de victu sibi providere. Quin imò necesse fuit, ut ipse Pater ex sylvis ligna comportaret, aquam ex fluvio afferret. Movit quidem hic labor admirationem Barbaris, sed non commiserationem, qua opem ferrent laboranti. Recordatio habiti ostenti hìc eò valuit, ut summa cum patientiâ non tantùm has, sed multas insuper molestias alias toleraret. Neque enim

Barbaris satis erat, carere Patrem omni solatio ex suis obsequiis, sed aliis etiam modis eidem molesti erant. Inter cætera maleficia fuit, quòd equos in Patris hortum pabulatum immiserint; perdito omni laboris fructu. Tandem cùm Superiores resciviſſent, quàm malè impensus esset sudor tam ferventis Viri in terra adeò sterili, inde avocârunt Tarrixam ad officium Operarii. Ibi minus quidem laboris, sed plus fructûs invenit. Inter alia, quæ in hoc loco ipsi obvenerunt, memoratu dignum est, quod subjungo.

Fabricabat fortè parvulum tubum acusticum ea sola de causa, ut ejus usus quandoque esse posset in audiendis pro Confessione Surdastris. Paulò pòst, cùm tubum absolverat, ecce adest ex improviso peregrinus homo, quæritur se ex surditatis vitio non posse, prout vellet, ritè confiteri. Pater hominem solatus, insinuat, sibi instrumentum esse, cujus beneficio citra difficultatem audire intelligenter posset. Confitetur igitur cum incredibili cordis solatio, gratias agit, abiénsque ait: *Nunc ibo ad Sacram Synaxin, dein moriturus.* Nec fundamento caruit assertio; Ita enim factum est, ut prædixit. Fuit & alter, cui paria contigêre, simili auditûs difficultate afflicto. Hic enim sanus & valens ope instrumenti acustici cum Patre omnes conscientiæ suæ rationes ex Sententia composuit, & pari modo post biduum repentè vitam clausit. Utriusque tamen mors solatio non caruit ex præcepta spe æternæ felicitatis, quam haud dubiè adierint. Verùm eò minus solatii, ac spei alius reliquit, qui sæpè admonitus est, ut Animæ suæ statum in tuto collocaret per sacram animi collectionem in Exercitiis, vel saltem ante instituendum iter generali conscientiæ expiatione noxas deponeret. At salutare consilium frivolis rationibus elusit, causatus, se jam non posse. Caro stetit hæc putida negligentia. Nam in itinere gravi morbo correptus, intra paucos dies Animam egit, haud satis feliciter, si humano judicio rem metiamus. Postremùm P. Telù Tarixà ad Chiquitorum Missiones tanquam Superior avocatus est Anno 1698. magno Animi gaudio, quòd voti compos fuerit factus in illa Animarum cura. Poterat equidem excusare inconstantem valetudidem, quò minùs id oneris susciperet. At sancta obedientia illi potior fuit ex eo maximè capite, quòd semel nutum Superiorum neglexisset. Nunc igitur Dei voluntati ultrò obsequens, ad præstitutam se contulit Reductionem. Huic cùm multa deessent, multi laboris occasionem præbuit, sed & meriti non vulgaris. Inter omnes difficultates gravior

illi

illi non accidit, quàm quòd ingentes suorum Subditorum labores, & cum his summam rerum necessariarum penuriam aspiceret quidem, sed levare non posset. Nihilominus per quadriennium, quo Superioris Officio functus est, pro viribus studuit novellam Christianorum Ecclesiam ad statum decentem redigere, quà Ethnicorum conversione, quà pleniore Neophytorum instructione. Præstitit hoc tanto cum fervore, ut non semel vitæ periculum subiret. Unum ex multis afferam casum, ex quo id patebit.

3. Conspexerat fortè Neophytum, qui Barbaro adhuc more vultum suum variis, fœdísque coloribus turpissimè pinxerat, aut veriùs collutulârat. Exprobrat huic factum Pater his verbis: *Profectò* inquit, *pulchellus es tu, dum ad vivum refers ipsissimum Diabolum.* Indus hac ironiâ irritatus, actutum corripit arcum, telo confossurus Patrem. Iste autem nihil territus, diductâ togâ ostentat suum pectus: *En pectus!* clamat, *huc telum dirige, ne aberres, aufer mihi vitam, quam amore tui DEO meo toties obtuli.* At Superis aliter visum, heroico virtutis actu contentis; Nam Indus valde terrefactus, & pudore suffusus conspecta tanta magnanimitate nihil porrò tentare ausus est. Cæterùm magna pars laborum erat P. Josepho frequens instructio selectorum aliquod parvulorum, quos non solùm in Fidei præceptis, sed etiam in aliis Templi functionibus, præsertim sacro in cantu informabat. Hoc molestum & laboriosum studium usque ad vitæ finem continuavit fervore incredibili & amore, quo utroque sanè opus fuit. Tam malè moratam enim pueritiam sensim cicurare ad modestiam, & velut novam instillare naturam, major est labor, ac credi potest. Consequens tamen fructus hanc curam non modò tolerabilem, verùm etiam optabilem & solatio delibutam reddidit.

4. Quantum autem studium, amórque alienæ salutis fuit, tanta etiam propriæ perfectionis cura P. Josephum commendabat. Observâsses valde circumspectum in accurata observantia Legum sui Ordinis. Quot diebus selegit sibi horas ad saginandum quasi spiritum virtutum exercitio, quo ferventiòr exinde rediret ad curam Animarum. Animabus in igne lustrico hærentibus singulari modo erat addictus. His enim non solùm omnia sua bonorum operum merita in vivis transcripsit, sed precum quoque suffragia post obitum suum speranda iisdem dono reliquit, quoniam proprias suas culpas, eásque magnas, ut ajebat, per semetipsum eluere in illo igne cogitabat. At verò in gratiam

tam

tam heroici actûs adhucdum viventi, ignem DEUS Purgatorium submisit, puta, & multos & graves morbos, ut longo tempore consuetas Societati functiones explere non valeret. Tandem DEUS felici morte ad cœlestem mercedem avocavit, post 18. Annos, in Missionibus exactos, post 74. ætatis suæ, & 53. in Societate, in qua se quatuor Solennibus Votis obstrinxit 15. Augusti 1682.

CAPUT XXII.

§. I.

1. Brevis descriptio Regionis Chaco. 2. Ritus & indoles Incolarum, diu resistentium Evangelio, cæsis etiam aliquot Apostolis. 3. Causa tantæ Contumaciæ sunt Hispani. 4. Cæsi duo è Nostris apparent post mortem.

REgio del Chaco vastissimus terrarum tractus est à trecentis milliaribus secundùm longitudinem, à ducentis quoad latitudinem. Jacet autem inter flumen Januarium (Rio de la Plata,) & Paraquarium, & inter Provincias Tucumaniam, & de los Charcas. Circumdatur velut perpetua montium catena, qui proximè urbem Cordubam in Tucumania initium faciunt, & procurrunt ad famosissimas Aurifodinas in jugo Potosino, & Lipensi (de Lipes & Potosì.) Inde flectuntur versùs S. Crucem Serratam, (Santa Cruz de la Sierra,) & desinunt tandem ad spatiosum lacum Mamorensem. Tellus multis locis est admodùm frugifera per frequentes rivos, & multò magìs ob duo ingentia flumina, terras illas irrigantia, quæ post longas ambages denique sese exonerant in Januarium, (de la Plata,) cui potissimum aquarum vectigal pendunt. 1.

Incolarum numerus in hac Regione præteritis temporibus fuit ingens, quando in sola vicinia urbis Guadalcazac, quæ hodie jacet eversa, plùs 400. pagi ex diversis populis & linguis hîc visebantur. Ex his notiores populi sunt sequentes: Calchaquies, Tonocotes, Beletas, Mocobies, Tobas, Mabalaes, Mataquayos, Aquilotes, Chunipies, Amutalaes, Callagaes, Abipones, Payaquàs, Guaycurùs, 2.

Churamates, Ayoyas, & Lules. Sunt hi populi perquàm calidi & vividi temperamenti: Staturâ corporis mediocritatem superant, vultu Europæis nonnihil absimiles. Quòd si hunc colore inficiunt, ut sæpe solent, horrendi aspectûs fiunt, infernis spectris quàm simillimi. Contigit aliquando in urbe sancta Fidei, (de Santa Fe,) ut animosus alioquin belli ductor, jam antè in Europa stipendia meritus, in procinctu ad pugnandum cum hac gente staret, quando harum larvarum aspectu ita intremuit, ut propè viribus defectus, linqueretur. Virorum vestem quod attinet, se cingunt parte Sindonis, ex qua multæ circùm plumæ dependent: cætera nudi incedunt. Alii eorum portant insuper in vertice textum ex plumvis sertum. Sunt rursum alii ex his pagis, qui longiore pallio utuntur, ex ferarum pellibus consuto. Queyapì vocatur hoc operimentum contra aëris injurias factum. A collo ad talos usque demissa zona pendet, ex plumis item contexta. Fœminæ tantillùm se obtegunt, ut ne omninò nudæ compareant.

Nullum hìc Politicum regimen est, nec Civilis vivendi ratio. Caciquium duntaxat sibi quisque pagus vendicat, cui qualem qualem honorem habent. Pauci unà vitam degunt, qui ipsi ex facili dissociantur levi & obvia de causa. Domicilia eorum sunt mera ex stramine coagmentata tuguria, quæ citra ordinem passim in sylvis reperias dispersa. Sed nec hoc commodi curant populi Payaquæ, qui nullo in loco constanter morantes, quòquò venerint Sole cadente, pernoctant. Istorum autem vel tectum vel tegumentum potiùs, non est, nisi modicum stragulum stramineum, quo se miserè defendunt adversùs ventos: cætera nudi sub dio cubant. Potissimum insumunt tempus in apum alveariis per sylvas investigandis, ex quarum melle suum consuetum scilicet vinum, seu potionem conficiunt, qua sæpe inebriantur. Hoc potu ubi incaluére, post mersum eo pacto exiguum, quod habent, rationis lumen, plerumque finem faciunt suæ comessationi tricis, & mutuis cædibus. Nam quidquid reconditi diu odii, iræ, vindictæ fuerat, præ metu vel aliis causis prodere aliàs non ausi, in ea temulentia exerunt adversùs hostes suos ultione ferocissima. Maximè tamen mirum est, Consanguineos cæsorum nihil admodum moveri ab accepta injuria, etiam post serenatam ebrietatis tempestatem, tametsi eorum proles, vel proximi affines mactati fuissent.

3. Ut hi Barbari populi ad Christianam Fidem, & vitam rationi conformem traducerentur, jam olim sub initium prioris Sæculi omni fervore

vore

vore & conatu laborârunt P. Joannes Dario, Italus, & P. Gaspar Osorio, Hispanus. Miserat hos P. Nicolaus Mastrilli Duràn, qui ea tempestate Provinciam Paraquariæ regebat. Erat hic P. Mastrilli cognatus gloriosi Martyris Marcelli Mastrilli. Quoniam verò horum duorum Virorum labori & sudori vix ullus fructus respondebat, inde recesserunt, aliam vineam utiliore operâ colendam, & sudore Apostolico rigandam quæsituri. Tanta hujus gentis contumacia magnam partem fluebat ex malitia aliquorum Hispanorum. Longum foret dicere hac de re, sed quoniam mens Christiana sine lachrymis & maximo dolore isthæc non intelligeret, satius visum est, omnia illa hîc silentio præterire. Siquis tamen notitiam de his maleficiis desideret, adire potest alios Historiographos. Id unum memorabo, quòd primitùs, simul ac Christiana Lex in his plagis prædicari cœpta est, intra perbreve tempus admirandus & incredibilis fructus sit collectus, & quamdiu perversitas Hispanorum se ibi non intruserat, vera Fides virtute, pietate morum, ac Religione floruerit. At ubi primùm insatiabilis avaritia ibi locorum caput extulit, & misselli Indi modo prorsus non Christiano premi cœperunt. Hi velut desperatione transversùm acti, omnes intenderunt vires ad excutiendum Hispanorum jugum. Nostri quidem Patres omni nisu & industriâ laborârunt, frenos avaritiæ & crudelitati injicere, vi & authoritate multorum à Regibus Hispanis decretorum, quæ sæpius iterata sunt. Verùm cùm nostri actum agerent, ipsi Indi in libertatem sese asserere hoc modo sunt conati. Conjuratione enim facta statuerunt omnes Gubernatores è medio tollere, id quod reipsa executioni dederunt. Atque ab eo tempore implacabile adversus Hispanos odium his Indis altùm insedit, ut illos non nisi hostium loco habeant, & vocare soleant.

Nihilominùs P. Petrus Romerus, Hispanus, qui postea Fidei causa occisus, & P. Josephus Origi, Italus, Vir prorsus Apostolicus, Frater Cardinalis D. Augustini Origi, & Cognatus alterius Cardinalis Domini Origi, qui hodiedum vivit: Hi, inquam, duo Patres vitam suam mediis periculis exposuerunt apud Guaycuros. Ibi ergo inter mortis discrimina, & inexplicabiles labores Christi Fidem promulgare instituerunt, sed non alio fructu, quàm quòd infantes aliquot Sacro Fonte tinxerint. Itaque ab opere Evangelico incepto abstinendum fuit. Anno dein 1637. pariter se illuc contulerunt P. Gaspar Osorio, & P. Antonius Ripario, Italus, & unico emolumento, quòd 4.

vitam suam pro Fidei Sanctitate immolàrint. De qua beata sorte jam antecedenter P. Osorius certam notitiam habuit, ut colligitur ex Epistola, quam dedit ad Cardinalem de Lugo, excipientem olim Romae P. Osorii confessiones. Ambo hi Apostolici Viri post obitum suum, induti Sacerdotum vestes, & radiis collustrati, Barbaris suis interfectoribus spectabiles se stiterunt cum acri exprobratione patratæ necis, & mandato, ut alios ex JESU Sociis sibi adsciscerent, erudiendi in Doctrina Christiana. Sed enim Barbaris sanum consilium repudiantibus, P. Ignatius de Medina, & P. Andreas de Luciàn Anno 1653. ad opus Evangelicum venerunt in hac Regione, utut non invitati. Verùm enimverò etiam hac vice spes concidit, solis infantibus, & jamjam morientibus adultis Baptismo ablutis ad qualecunque laboris solatium. Cæterùm cùm intellexissent, Barbaros ipsis necem meditari, se furori stolido subduxerunt. Porrò ad Annum 1673. cum Domino Angelo de Pecedo, harum terrarum Gubernatore adierunt eandem Missionem P. Franciscus de Altamirano, & P. Bartholomæus Diaz. Et hi quidem rem eò deduxerunt, ut apud populos Mocovies nova Colonia plantaretur sub Nomine S. Francisci Xaverii, non ampliùs quàm 4. horis distans ab urbe de Esteco. Initia ibi secundo cursu ibant adeò ut brevi tempore mille octingentæ Animæ in hac Communitate numerarentur. At quia nutu dicti Gubernatoris ille pagus Hispanorum arbitrio fuit traditus, in nihilum reciderunt omnia, dispersis incolis, tota denique Reductione sublata. Hoc ipsum opus denuò in Consilio fuit, Anno 1683. gubernante Domino Fernando de Mendoza Mate de Luna. In hunc finem designati erant P. Antonius Solinas, Sardus, & P. Jacobus Ruiz, Hispanus. Jámque hi quoque copiosum collegerunt populum ex gente Ojotadum, & Tannosiorum, struendæ Coloniæ suffectuum. Verùm juratus omnis boni hostis suos veneficos Satellites instigavit, ut cruenta morte tollerent Missionarios. Absente autem Patre Ruiz, cùm ad meditatam cædem hostes advenissent, Patrem Solinas cum alio Sacerdote Petro Ordiz de Zarrate, 27. Octobris dicti superiùs, Anni trucidârunt. Omnis hic effusus cruor, omnis zelus & conatus tot Apostolicorum Virorum usque ad id tempus necdum effecerant certiorem spem hos Barbaros aliquando in Fidei orbi tam deducendi: Donec tandem D. Stephanus de Unizac, Tucumaniæ Gubernator, hanc refractariam gentem armata manu ita domuit, ut Fidei Sacrosanctæ suscipiendæ condiceret. Ex hoc pro-

posito

posito illuc ablegatus est P. Antonius Machomi, Sardus, post explicatam Cordubæ in Regia Universitate Philosophiam, futurus in Agro Domini Operarius.

CAP. XXII. §. 2.

1. P. Antonius Machomi fundat Reductionem S. Stephani. 2. Indoles & mores horum populorum: Item Religio & Barbaries citra ullam Legis Naturæ cognitionem. 3. P. Machomi crebrò ad necem quæritur. 4. Baptismus dat etiam corporis sanitatem.

HIc novus proinde Apostolus statim operam dedit, ut Communitas aliqua sub Nomine S. Stephani ordinaretur. Constabat hæc ex gentibus Lulès, Toquistinès, Ixistinès, Atistinès, quarum majores jam olim fuerant Christiani. Faciei formæ in his populis propiùs colorem castaneum accedit: Statura corporis transcendit mediocritatem: Sunt alacris & excitatæ indolis. Unde nec facili de causa se mœrore affligunt; Pollent ingenio, & incredibili dexteritate discendi omnia opificia & artes, obstinati tamen ad non credendum, quidquid oculis aut manibus non usurpârint. Conceptum semel odium diu animo fovent, donec subitæ ultionis occasio se præbeat contra hostes. Si Religionis modum quæris, nullam profitentur hi cœci Ethnici. Neque enim ullum Numen agnoscunt, aut venerantur: Nisi dicamus, ventrem eorum Deum esse, cùm aliud nihil anhelent, quàm vitæ suæ dies in brutis voluptatibus consumere. Quin nec Naturæ Legem agnoscunt, ut adeò proles nullam prorsus habeant suis parentibus reverentiam, potiùs ut ipsis dominentur crudissimum in modum, nec denique horreant violentas inferre manus. Erga ægrotantes Parentes nulla miseratione moventur, nunquam visitant, sinúntque vel morbo vel fame miserè perire, utique bestiis hoc pacto crudeliores. Melior proin apud ipsos conditio canis est, quàm hominis. Erga canes enim se mites, & liberales exhibent, præbendo illis vel ultimum proprii oris bolum. Accidit aliquando, ut adveniret Pater Machomi, quando defunctam matrem cum viva prole sepultum ibant. Nulla enim Inda erat, qui pupulum lactare vellet. Hunc ergo sibi vendica-

1.

vit Pater raptum è gerulæ brachiis, sed nullis precibus & promissis vel unam nutricem lactantem impetravit. Cogebatur proin Pater cum propria molestia infantem hædino lacte alere, cum interim non sine dolore cerneret, quòd quàm plurimæ matres catellos, ex uberibus suis pendentes, enutrirent. Nubere solent adulta jam ætate, postquam scilicet inter brutas & cum natura pugnantes libidines sat diu volutârunt. Verùm nec conjugia eorum constantiam tenent. Nam ubi collibitum uxori, deserit suum maritum, alteri adhæsura: Sed nec viri melioris sunt Fidei in connubii pactis. Verbo: Nulla naturæ lex est, quæ ab his Barbaris observatur.

2. Dici non potest, quantum laboris exhauserit ferventissimus Pater, in fundamentis Fidei huic effero, bestiisque simili populo inculcandis, donec ex bestiis homines, ex hominibus Christianos effingeret. Primus ipse erat cum ligone in manibus ad vertendam terram, primus ad dirigendum aratrum, & cætera præstanda, quæ faciunt ad agriculturam, Barbaris hac parte instruendis utilia. Finitis laboribus ad ægros invisebat cum tanta charitate, quanta ab amantissima Matre sperari posset. Imò buccellam, ori proprio ademptam, porrigebat Indis: Quidquid bonitas Europæorum soli Patri pro victu subministrabat, eorum necessitati impendebat. Tolerabat interim ferreâ patientiâ multiplices eorum errores, & stolidas ineptias ex sola spe fructûs inde colligendi. Sed multo plus laboravit in bonum Animarum. Desperata res videbatur in abolenda impudicitia, vindictæ cupiditate, ebrietate, & millenis aliis vitiis, quibus innutriti erant cum lacte materno, quibus cum ætate crescente assueti, & magìs & magìs roborati, consuetudinem in naturam verterunt. Verùm Dei brachium excelsum, & zelus Apostolici Viri eò rem deduxerunt, ut barbara hæc corda pedetentim mitescerent, vitæ tandem humanæ non tantùm, sed etiam Christianæ se accomodarent. Primitiæ frugum in hoc agro fuerunt multiplices infantium Animæ, quas accepto Baptismo in cœlestia horrea transmisit. Altera messis erat occasione sævientis luis in populo, cui par gratia, licèt adultiori, in præsenti pestis necessitate obtigit.

3. Tam secundum S. Fidei progressum in Regione tam inculta ægris dudum aspiciebat oculis damnatus orci Spiritus. Quare omni nisu conabatur Evangelicam sementem in herba, primo flore supprimere, antequam adolesceret. Ut hoc consequeretur, ad necem Patris instigavit sanguinarios Barbaros. Et verò non semel eandem sunt machinati,

sed

ſed irrito effectu. Collecti aliquando erant hi ipſi Barbari in remotiore extra p[agorum] loco, ubi compotationi, ſaltui, aliiſque ineptiis jucundè indulgebant. In medio Choreæ erat cucurbita, quæ ope Diaboli perinde ac ipſi ſubſultabat per gyrum. Ibi proin benè poti peſſimè concluſerunt, Patrem eadem adhuc nocte mactare, ut ejus moleſtis admonitionibus finem facerent. Verùm Pater cùm eorum clamorem, & tumultum audiſſet, è pago proceſſit, viſurus, quò ea inſolentia vergeret. In via dum eſt, ex improviſo offendit Indam Fœminam, quæ ipſa à Chorea veniens & abundè pota fortè obviabat. Quærit ex ea Pater, quid tanta vociferatio portenderet? Illa verò, quamquam omnium gnara, veritatem ſuppreſſit, & cum Cachinno repoſuit, ſe ſcilicet neſcire, quid hic tumultus ſibi vellet. At Pater mox deprehendit mendax reſponſum. Acriùs ergo quærendo inſtitit, ut veritatem extorqueret. Tum verò Inda, rem Patri jàm ſuboluiſſe rata, ex ordine recenſuit conjurationem. Hac intellecta Pater, ad tugurium ſuum redux, noctem exegit in precibus, offerens vitam ſuam pro Salute harum Animarum, atque in ſingula momenta latrones ſuos exſpectans. At DEUS Virum pretioſum ad plures labores reſervari voluit. Et Indi quidem, intellecto, perfidiæ ſuæ technas Patri innotuiſſe, non auſi ſunt inferre parricidales manus, Hiſpanorum inſuper ultionem veriti. Hac Orci ſtrophâ elusâ alius dolus in conſilio fuit. Ingeſſit enim Barbaris mentibus præpoſteram opinionem, ceu infantes ad ſacrum lavacrum deportare id foret, ac eosdem tumulo inferre. Atque hæc ſtulta perſuaſio tam altè inſederat animis horum hominum, ut Patres noſtros in peſſimorum hoſtium loco haberent. Huc non modicum contulit alius error, quo opinabantur ſeſe fore immortales, niſi à Patribus occiderentur, cùm quotidiana interim ſuorum funera cernerent, & palparent. Tam inepto errori eximendo omnis induſtria à Patribus eſt adhibita, quam ipſe DEUS ſecundare dignatus eſt. Quippe cùm Divinæ Bonitatis mos ſit, clementi oculo maximè Neophytos reſpicere, ſubminiſtravit remedium non modò augendi numerum Chriſtianorum, ſed etiam ſolandi fideles ſervos ſuos. Res autem ita evenit.

Ibat aliquando P. Machomi cum olla, cibis plenâ, de domo in domum, ut ægris levamen ferret. Obviat eunti Inda ex inſperato, infantem geſtans, jamjam moriturum. Quoniam igitur mater nec fugere, nec prolem occultare jam poterat, lenibus verbis Pater eblan- 4.

diri

diri institit, ut moribundam sobolem ad S. Baptismum admitteret, id quod reipsa factum, nec sine prodigio. Pater enim mente ad DEUM conversa, & ad Magnum Indiarum Apostolum, Franciscum Xaverium id unum supplex petiit, ut remedium malo statueretur, atque adeò sinistra hæc, Propagandæ Fidei tam noxia, persuasio tolleretur. Id autem futurum confidebat, si bonus DEUS huic infanti non tantùm salutem Animæ lavacro sacro. sed & sanitatem corporis esset collaturus. Addidit, se, modò voti damnaretur, infanti nomen S. Francisci Xaverii inditurum. Annuit benignum Cœlum precibus Servi sui. Eodem enim temporis articulo, quo in sacro Fonte lavabatur infans, salvus & incolumis extitit. Id ipsum postea accidit adultæ jam Filiæ. Hæc ad extrema deducta, vix jam signa vitæ superstitis præseferebat, & tamen suscepto Baptismo non duntaxat revixit momento temporis, sed valida quoque & vegeta surrexit. Hæc tam manifesta prodigia in populo eò valuerunt, ut stultam opinionem seponerent, & nihil ardentiùs optarent, quàm Baptismum suis prolibus. Ringebatur eapropter Erebi Spiritus, scilicet sua hactenus machinamenta in vanum abiisse. Itaque aliam tentaturus aleam, sparsis calumniis Patrem exosum populo facere laborabat. At innocentia triumphavit, multò gloriosior, ac unquam aliàs. Quocirca vel invitus tandem Dœmon propagationem Evangelii in terris del Chaca tolerare coactus est. Pergunt proinde hodiedum Apostolici Societatis JESU Viri ibidem quàm laboriosum, tam fructuosum Domini agrum colere, non tantum cœcos Indos ad Fidei lumen adducendo, sed & Hispanos ad boni exempli vitam promovendo. Præterquàm enim quòd eorum Conscientias expient, etiam in proximas urbes & arces excurrunt, Verbum Divinum iisdem explicantes. Quòd si milites, indagaturi Barbaros, expeditionem faciunt, nostros Patres comitantur, cum multiplici fructu non tamen sine vitæ periculis.

CAP.

Cap. XXII. §. 3.

1. Gens Europæi coloris detegitur. 2. Patres explorant incogniti fluvii accolas: Innumerabilis grex equorum & ovium. 3. Comitum aliquorum nex.

NOvem Anni fluxerant, quos P. Machomi in labore Apostolico transegerat, dum altiori potestate avocatus, Socium seu Secretarium agere jussus est R. P. Provincialis Josephi Aquire. Illi proinde subrogatus est in Missione P. Joachim de Yegros. Neque tamen in altero hoc Officio intermisit P. Machomi cum ipso R. P. Provinciali procurare hujus totius Regionis salutem. In eandem rem plurimum contulit Regius Gubernator D. Stephanus de Urizac. Anno igitur 1719. iter adornârunt ad Regiones Barbarorum, urbi S. Michaëlis adjacentium in Tucumania. Occurrit ipsis in hac expeditione fluvius, quem tum quidem Pilcomayum crediderunt. In ejus litore visæ sunt multæ gentes vultûs non barbari, sed candidioris, ut adeò Europæis æquipararent, vel etiam tales esse putarent. Regius ergo Gubernator id Consilii suscepit, ut cohors suorum militum sequente Anno illuc mitteretur, explicatiùs flumen illud cum accolis detectura. Huic jungi volebat aliquot Patres ex Reductione S. Stephani, qui velut Castrenses Apostoli comitarentur. Neque P. Provincialis hanc petitionem abnuit, ex spe augendæ majorem in modum Divinæ Gloriæ. Igitur aliquos Missionarios Guaraniorum circa litora Paraquarii per fluvium Pilcomayum, Paraquario se insinuantem, jussit se jungere militari illi cohorti, nullâ viarum morâ factâ. Duplex ejus consilii causa fuit, prima quidem, ut detecto hoc flumine in Regionem del Chaco via aperiretur luce Evangelica illustrandam. Altera fuit causa, ut brevior ad Chiquitos aditus exploraretur, tamdiu quæsitus, necdum inventus. 1.

Ad id negotii destinavit P. Provincialis P. Gabrielem Patinno, & P. Lucam Rodriquez, qui ambo in urbe Assumptionis nati, & tum temporis in Guaraniorum Missione versabantur. His adjunxit ex Paraquariensi Collegio Fratrem Bartholomæum de Niebla, & unum Donatum (ut vocant,) Faustinum Correa nomine cum aliquot Indis, Patres adversùs vim Barbarorum defensuros. Ex Missione Zamucorum asciti erant P. Philippus Suarez, & P. Augustinus Castannaras. 2.

Illi autem, qui ex Provincia Tucumaniæ sociare se cogitabant, deprehenderunt, fluvium nuper Nostris obvium non esse Pilcomayum, cùm ille exiguæ, hic verò multò majoris latitudinis. Superaturi flumen Pilcomayum usi quidem sunt actuariis navibus, sed post 8. navigationis milliaria vadum fluminis tam non profundum senserunt, ut citra periculum naufragii pergere non possent. Minoribus ergo navigiis adhibitis plùs trecenta milliaria confecerunt. Navigantibus ad litora fluminis plurimæ gentes conspectæ sunt. Denique ad populum delati sunt, usque ad id temporis omnino incognitum. Liberali hic erat formâ, & bona indole: Justa illis Statura corporis, & color candidus, ut planè ex facie Hispanos crederes. Ibidem offenderunt innumerabilem copiam equorum & ovium, ex quarum lana pannus perutilis à Barbaris conficitur. Incredibilis est hujus Regionis fœcunditas, quæ sanè fruuntur hi Indi in multiplici & fructuum genere pro liberali vitæ sustentatione.

8. Patres varia hic, sed exigua, Indis tamen æstimata munuscula expedierunt, quæ dono data ita eorum Animos devinxerunt, ut spes maxima convertendi in vestigio populi videretur. Sed enim aliqui ex gente Tobas, & Mocovies, qui inter hos Indos versabantur, spem optimam pessumdederunt. Hi nequam enim balatrones simplicibus istis Indis de Christianis pessima quæque sunt mentiti, ut demum irritati, Patrem è medio tollere statuerint. Unde, cùm comites Patris lignatum iverant, ab his Barbaris obruti sunt. Duo eorum occisi, unus ita sauciatus, ut paucis pòst diebus Animam egerit: Reliqui fugientes ad naviculam properârunt, ubi à Patre exspectabantur. At cùm Barbari usque illuc instarent profugis, Pater taurinas pelles navigiolo obtendi jussit, quo tegumento securi à telis fiebant. Mirum dictu est, quòd Pater, licèt sæpius nullo corio obtectus ad proram naviculæ prosilire necesse habuerit, ab integro telorum Barbarorum nimbo petitus, nihil tamen vulneris acceperit, aberrantibus hostium jaculis. Cùm ergo cernerent, iter ulterius sibi præcludi à Barbarorum crudelitate, reditum maturare compulsi sunt per quadraginta milliaria, quæ adhuc emensi fuerant, iterum remetienda cum pari labore.

Cap.

Cap. XXII. §. 4.

1. Pestis fugat Incolas Reductionis S. Stephani. 2. Redeunt tandem. 3. Periculum ab aliis Barbaris. 4. S. Francisci Solani Prophetia de Indis convertendis.

UT verò redeamus ad Coloniam S. Stephani, illa jam Anno 1721. 1.
in statu tam secundo florebat, ut multæ Neophytorum Familiæ numerarentur. At enim repentina Pestis ingruit, ex qua initio quidem duo tantùm extincti sunt, sed cæteris tam insolitum mortis horrorem incusserunt, ut eodem adhuc die, Incolæ plerique omnes aufugerint, exceptis octodecim adultioribus, & viginti pueris. Itaque P. Joachim de Yegros, P. Laurentius Fanlo conscensis equis profugos longissimâ viâ sunt insecuti. Verùm ubi densior Sylva, & ardui montes obviârunt, ut equorum usus porrò non serviret, pedites iter continuârunt, id quod incredibili labore stetit. Quippe fugientes non rectam instituerunt viam, sed per avia ambages faciebant. Sibi enim persuaserant, quòd hoc pacto pestis illos persequi non posset, cùm tot anfractus non esset repertura post terga fugitivorum. Usque adeò deliri sunt hi Indi. Quoniam autem Patres à fuga suos reducere non potuerunt, redeundum ipsis fuit ad curandos domi ægros relictos. Substituerunt tamen sibi duos Indos, qui profugis instarent. Ipsi Patres autem quatuordecim ex illis octodecim adultioribus citra metum contagionis, vivos & mortuos Christianè curârunt.

Porrò emissi illi duo Illi Indi fugitivos quidem sunt assecuti, sed 2.
plus non impetrârunt, quàm ut illuc se conferrent, ubi Patres opperiebantur. Et quamquàm isti quoque omnibus modis agerent, ut in vicum suum dilapsi reducerentur, plus tamen non obtinuerunt ab illis, quàm ut sponderent, se peste desinente domum redituros. Quapropter Patres denuò retrocedere coacti, ægros domesticos reviserunt, & tanta quidem charitate, ut suismet manibus eosdem sepelirent. Tandem verò, qui aufugerant, hortatu Patrum ad suas habitationes regressi sunt.

Hodie hæc ipsa Colonia in summo periculo extremæ depopulatio- 3.
nis versatur. Quippe populi, quos Mocovias, & Tobas vocant, à Gubernatore Tucumaniæ hactenus coerciti, novas hostilitates ma-

chinari cœperunt. Et quandoquidem vel ipsos præsidiarios in munimento S. Josephi interimere, & propugnaculum Valbuenam obsidere sunt ausi, pronum est formidare, ne Reductionem quoque S. Stephani obruant simul, & funditùs destruant, utpote militibus nudam, & inermem.

4. Nihilo tamen minùs Missionarii Societatis JESU non omni spe exciderunt, fructus uberes in terris del Chaco colligendi. Ea enim se spe lactant, fore, ut Prophetia S. Francisci Solani, qui primus populo Lulensi, (Lules dicuntur,) Evangelium prædicavit, beato eventu coronetur. Vetus enim est traditio de duabus rebus, quas prædixerit dictus S. Apostolus, nimirum urbem de Esteco eversum iri, id quod triginta abhinc Annis reipsa evenit: Secundò, Indos Chacoenses ad veram Fidem conversum iri. Superi dent, ut huic Prophetiæ brevì stet sua Fides.

CAPUT XXIII.

Ultima Relatio de Missionibus apud Chiriquanos & Chiquitos.

§. I.

1. Chiriquani post tot Annorum tergiversationem ultrò petunt Missionarios. 2. Petitionis causa est Apostata post infelicem mortem apparens. 3 Fundatur reductio. 4. Diabolus terribili forma Reductis insultat. 5. Ope subitanea B. V. MARIÆ sanatur persona moriens: Item pluvia impetratur.

1. Quoniam superiùs narratum est, duas Reductiones apud Chiriquanos eversas esse, necesse videtur, ut etiam monstretur, qua ratione Patres Societatis JESU post aliquot Annos illos populos reviserint. Versabatur P. Vice-Provincialis Ludovicus deRoca Anno 1715.inCollegio Tarichano, cum proposito Missiones Chiquitorum visitandi, cùm aliqui Chiriquanorum delegati advenêre, enixè precati, uti Patrum aliqui in suas terras ire, fidem ibidem prædicare, & Baptismum conferre non

grava-

gravarentur. Hæc tam repentina dicti populi mutatio omnes sanè miros habuit, quoniam experientia satìs docuerat obstinationem horum Indorum, qui assueti erant identidem redire ad vomitum, ad sceleratos, inquam, suos mores, ætate roboratos. Per sedecim siquidem Annos luserant operam nostram, & unà salutem suam tardaverant, præcisâ omni fructûs olim colligendi spe.

Brevì autem patuit causa tam subitæ vicissitudinis. Erat ex ea gente unus, qui susceptam olim Fidem, impius Apostata deseruerat. Hic justo Dei judicio in sua perfidia diem postremum infelix obierat, Deóque ordinante suis popularibus à morte se stitit, asserens, quàm plurimos Chiriquanorum in damnatorum carcere detineri secum; & se quidem æternis ignibus adjudicatum, quòd à sancta Fide defecisset. Isthoc ostentum magnos in populo motus concitavit, eósque permovit, ut illico internuntios suos Taricham transmitterent, impetraturos Patrum aliquos ad promulgandam sanctam legem. 2.

Pater Vice-Provincialis, qui probè noverat ejus gentis inconstantiam, vehementer dubius substitit, num aliquos suorum illuc ablegaret. Duos tandem statuit mittere, ultimum veteris contumaciæ specimen sumpturos. Movit ad hoc decretum etiam desiderium piissimi Marchionis de Valle de Texo. Ad Conversionem horum populorum proinde electus est Paulus Restivo, Rector Collegii Saltensis, Guaranicæ linguæ peritissimus. Huic Socius additus est P. Franciscus Guevara, qui in Collegio Taryano degebat. Ambo Patres ad hunc populum feliciter delati, in id statim incubuerunt, ut communitatem ex gente ordinarent sub titulo illibatæ Conceptionis. Et verò Chiriquani sub tam potentis Dominæ præsidio brevì Sathanæ servitio renuntiârunt, sub Christi labaro, deinceps militaturi. In eum finem attulerunt ultrò suas tenellas proles, ut in sacro Fonte renascerentur. Verùm juratus Animarum hostis his lætis principiis omni modo obsistere contendit. 3.

Nam inferorum spectra tam fœdis & horrendis formis spectanda sese offerebant, ut ex solo eorum aspectu animis linquerentur, humíque sternerentur. Itaque remedium à Patribus solicitantes, jussi sunt, fixâ inprimis in Deum fiduciâ, Cruces fabricare, in domibus, in plateis, & collibus erigendas, & religiosè honorandas. His conspectis Christi triumphalibus signis orcus enimvero desiit tumultuari, nec jam suis terriculis populum infestare. Misso igitur omni metu, deinceps Indi 4.

nihil ſpectrorum ſenſerunt. Fugatus ſic Diabolus non ideo quievit, novas ſtrophas luſurus ad ſufflaminandum Fidei progreſſum. Sui enim loco excitavit præſtigiatores, ſubornata Erebi inſtrumenta. At Deus non ſolùm impia disjecit conſilia, ſed vel ex ipſis Magis fecit Evangelii Operarios, Patrum adjutores in propaganda S. Fide futuros.

5. Quin ad abolendam magìs Idololatriam & promovendam Fidei propagationem placuit Deo admittere etiam prodigia ſupra naturæ vires. Duo ejus generis narrabo. Inda febre correpta jam à conſanguineis conclamabatur non ſine lachrymis. Eò enim profecerat morbus, ut jamjam agere animam videretur ægra. Recurritur in hoc planctûs articulo ad Divinam Matrem, ut Patrona hæc & Salus Infirmorum à Divino Filio moribundæ exoraret ſanitatem. Pondus habuerunt precantium lachrymæ. Hem depulſa febre ægra ſtupentibus omnibus poſtridie ſanitati integræ reſtituta reſurrexit. Alia vice ingens ſiccitas affligebat colonos ejus Communitatis, metuentes, ne agrorum ſpes penitus exareſceret. Iterum populi pietas, vota ſua vertit ad propriam Dei Parentem, & ecce! ſudum cœlum momento eodem in denſas nubes cogitur, liberales pluvias diſpergit, timendum ſegetibus malum antevertit. Hæc & id generis plura Dei Altiſſimi Beneficia ſpem faciunt, tandem Chiriquanorum obſtinationem penitus eſſe emolliendam, dum eo in labore diſtenti duo Patres interim infantes ſaltem per ſacrum lavacrum Chriſto adjungunt; Eâ fiduciâ enim ſunt, fore, ut ex his in Chriſto regeneratis, olim ſtabiliatur novella hæc Eccleſia, & labor Apoſtolicorum Virorum converſione totius gentis coronetur.

Cap. XXIII. §. 2.

1. De Chiquitis, & Zamucis. 2. Guarayi profugi. 3. Incendium pagi ſeparationem populi à populo ſuadet. 4. Via brevior ad Chiquitos denique inventa per P. Franciſcum Hervàs. 5. Felix Neophytorum zelus in reducendis ad Fidem Indis.

1. Cùm narratio properet ad finem, commodum videtur, ſi brevis mentio adjungatur de ſtatu Miſſionum apud Chiquitos, uti etiam, quid apud Zamucos acciderit, quantum quidem ex tanta locorum

locorum diſtantia reſciri potuit. Jam ergo ex Communitate S. Franciſci Xaverii compertum habemus, quòd ab iſta ſat procul diſſita gens degat, quæ Guarayos dicitur, & Guaranicâ linguâ utitur.

Itaque ex ſpe colligendi fructus ex illa gente aliqui dictæ Communitatis Anno 1719. illuc profecti ſunt, collaturi cum Incolis ejus terræ, ad perſuadendam ſcilicet Chriſti Legem. Sed citra fructum regredi neceſſe fuit; Nam delati ad populi illius habitationes, neminem unum invenerunt, omnibus fugâ dilapſis. Inſecuti tamen ſunt fugitivos per aliquot dies, quòd aliqua fugæ veſtigia deprehenderint. At tandem iter intercluſit ingens flumen, quod profugi trajecerant, quin noſtri indagatores recognoſcerent, ubinam excenſionem feciſſent. 2.

Eodem Anno 4. Maii in Reductione S. Raphaëlis erupit incendium, cujus occaſione Ethnici, qui in eo pago collecti, ſed necdum Baptiſmo tincti verſabantur, tumultuari videbantur. Timendum proinde fuit, ne in ſuas ſylvarum ſolitudines iterum dilaberentur, maximè quòd omnem annonam flamma conſumpſiſſet. Verùm Deo diſponente hæc ſeditionis ſpecies in brevi ſuppreſſa eſt, facto dein unanimi decreto, ſeſe invicem dividendi in geminas colonias, id quod Anno 1721. perfectum eſt, inſtitutâ novâ S. Michaëlis Communitate. 3.

Inter iſthæc infortunia ſors tamen bona nobis detexit viam novam ad Chiquitos, tamdiu deſideratam. Obtulit ſe iſta ad radices montis Chiriquanorum, cujus cognitionem in acceptis referimus infatigabili zelo P. Franciſci Hervàs, primi repertoris. Proin Anno mox ſequenti duo recentes Patres Miſſionarii, nempe P. Joachim de Aquilar, Arragonius, & P. Joannes Baptiſta Speth, Ingolſtadianus Bojus, eâ primùm apertâ viâ uſi ſunt. Eſt hodiéque ea via omnibus communis, illuc proficiſcentibus, magìs compendiaria, ac prior, qua per Reductionem S. Crucis Serratæ, (de la Sierra,) noſtris pergendum fuit longis ambagibus. 4.

Poſterioribus Annis Neophyti noſtri paſſim Chriſtiano zelo excitati ſurrexerunt ad conterminos populos Chriſto aſſerendos. Præ aliis ad meridiem occurrebat innumerabilis populus, ſed nonnihil remotior. Ad hunc ducebat admodùm ardua via, à feris hactenus non viſis inſeſſa. Eò pluris proinde æſtimandum erat, quòd non abſterriti tanto periculo noſtri Neophyti eò pergere non horruerint pro pauculis ad Fidem perducendis. Conſtat enim, mutationem Regionis & aëris pluribus abductis mortem accerſere. Quæ ipſa cauſa eſt, cur Communitates In- 5.

dorum

dorum sint Incolis minùs frequentes. Et quidem hæc querela magis locum habet apud Moxos, quorum Regio longè sterilior est, ut adeò numerus inquilinorum, quotidiana capiat decrementa. Imò penitus deficerent Coloniæ, nisi fervor Patrum Operariorum ex adductis Ethnicis supplementa identidem facerent. Compertum pariter est de pagis Chiquitorum, quòd incrementa capiant ex eorum zelo, qui singulari industria, novos aggregare populos satagunt. Specimen esto Reductio S. Raphaëlis, quæ Anno 1723. octoginta Ethnicorum familias, pagus item S. Joannis, qui duas & octoginta Animas ad suam Communitatem attraxerunt. Singulariter tamen Deus providit Coloniæ S. Raphaëlis, ex qua duæ novorum Incolarum turmæ, metu ingruentis luis, Mense Augusto Anno 1722. aufugerunt. Una harum turmarum seriùs rediit: Altera felicior, cùm in Ethnicos incidisset, his eisdem veram Fidem persuasit, & cum superiùs dictis octoginta familiis, quæ trecentas personas conficiebant, brevì se restituit loco. Ex quo ipso patet fructus hujus fugæ, quem providus Deus dedit nihil tale cogitantibus. Nec stetit Divina Bonitas in hoc, sed per traductas dicto modo Familias, totam eam gentem ad Fidei lumen attraxit.

Cap. XXIII. §. 3.

1. Nomina & distantia Missionum seu Reductionum. 2. Cucutades populi respuunt Evangelium pauculis exceptis. 3. Sed per irruptionem hostium Ugaraniorum impulsi, ad Fidem confugiunt. 4. Mors P. Francisci Hervàs.

1. Reductiones modò sex numerantur, & hoc ordine veniunt, si initium sumimus à plaga Australi. Prima Communitas est S. Joannis, à qua novem milliaribus distat Communitas S. Josephi. Ab hac numeramus triginta horas usque ad Coloniam S. Raphaëlis; post quam octo milliaribus remotior jacet Communitas S. Michaëlis. porrò ab hac ipsa abest quadraginta duobus milliaribus Reductio S. Xaverii. Intervallo dein viginti quatuor horarum pervenitur ad Communitatem illibatæ Conceptionis. Sita autem ad meridiem Reductio S. Joannis est sub $18\frac{1}{2}$. gradu Altitudinis. Conceptionis sub 15. gradu. Hunc Reductionum numerum brevì augebit, spero, nova ad meridiem erigenda

erigenda Communitas, à S. Ignatio nomen sortitura. Huc populi Zamuci sunt congregandi, de quibus mentio superiùs facta est, cùm de cæde Fratris Alberti Romero egimus. Hi Zamuci mille ducenta, & ampliùs capita conficiunt, quibus pari numero Ugerani adjungentur. Neque enim Patres omni spe exciderunt lucrandi hos populos, quamvis Inferi omnem lapidem moveant in contrarium. Eò igitur missi sunt in opus Evangelicum P. Philippus Suarez, & P. Augustinus Castannares, qui quidem post emensa nonaginta itineris milliaria populum ex universa Zamucorum gente offenderunt, sed omnis Apostolica Industria ab eisdem elusa est. Proximo dein Anno P. Castanares in Comitatu P. Joachimi de Aquilac denuò illuc delatus est 21. Aprilis post nonaginta viarum milliaria, sed locum desertum ambo Patres repererunt. Itaque per viginti insuper horas perrexerunt ire, & populum, deserti loci nuper Incolam, sunt assecuti, à quibus amicè excepti sunt.

Hæc ipsa gens (Cucutades nominant,) constat ex quinquaginta 2.
Familiis sub Regimine trium Caciquiorum, quorum unus tunc aberat. Postquam ergo hi Ethnici & diu & multum garriverant, Patres sui adventûs causam aperuerunt, nimirum se apud illos stationem facturos, & illis perinde ac Chiquitis fit, ad sacra obsequia futuros. His auditis gratias quidem egerunt pagani, quòd à Patribus essent visitati, sed duo Caciquii pro responso addiderunt, Patribus in hac sua Regione stationem non fore, nisi per unam noctem, ut quiescendo vires repararent, postridie verò ipsis esse remigrandum. Secus enim, si hoc loco subsistere cogitarent Patres, sese hoc ipso loco cessuros ad sedem alibi quærendam. Ista inexspectata responsio Patres mirè afflixit. Spem tamen sibi faciebant, fore, ut Barbari sub vesperam mentem suam mutarent. Et verò spes non fefellit; nam ante noctem Patribus significàrunt, morari intereà illos ibi posse, quia sententiam de hujusmodi rebus sui primarii Caciquii, nunc absentis, arbitrio reservatam volebant; hujus proinde reditum Patres exspectarent. Mora hæc excurrit ad viginti septem dies, quo tempore omnibus modis satagebant, ut variis munusculis, huic genti, pretiosis animos delinirent; jamque videbatur captata benevolentia, cùm exspectantibus Patribus supervenit tandem tertius Caciquius ipso Festo SS. TRIADOS. Iste Caciquius, Professione Magus non vulgaris, sub adventum suum terribiles clamores extulit, promulgans inter insanas eas vociferationes,

se Deum esse gentis hujus, & Regionis, simul citans properè ad se Patres. Hi seria Auctoritate cum Orci mancipio agendum rati, & hominis superbiæ obviandum, è diverso ad supprimendum fastum stolidum responderunt: non decere, ut ipsi sequerentur nutum Caciquii, potiùs ut hic morem gerens Patribus se sisteret. Paruit Orci Satelles, & se Patribus stitit, qui sedentes eum exceperunt. Ille verò repetiit, quæ duo Caciquii sub adventum utriusque Patris enuntiaverant, nempe illos in sua Regione non toleratum iri, quoniam eorum præsentia mortem crearet infantibus suis, & alia mala suis terris inferret. Hoc effatum universus populus ratum habens, jamjam armis se accingebat, solo hac in re suspenso adhuc uno Caciquio, in quam partem scilicet iret. Eodem temporis articulo etiam intervenit cum decem vel tredecim stipatoribus ille, qui Religiosum Fratrem Albertum trucidârat, atque hic quoque sanguinarius latro confirmavit populum in scelerato proposito. Perspectâ igitur populi hujus pertinaciâ Patres iter suum remensi, 16. Junii ad suos reviserunt. Totum gravis itineris lucrum fuère decem Animæ, à Patribus persuasæ, ut desertis Ethnicis Patres sequerentur, in Fide instruendi. Neque verò nostri post hæc spem amiserant reducendi plures exemplo priorum ad fidei veritatem, quod ipsum feliciter contigit.

3. Post elapsum quippe temporis intervallum hi ipsi obstinati populi ab aliis itidem Barbaris, scilicet Ugaranis bello petiti sunt. Utrinque multum sanguinis fusum cum multorum cæde. Duæ autem cohortes, quæ numerabant viginti familias, ea stragis occasione, ad Coloniam S. Joannis ex via diverterunt 25. Februarii 1723. Erant autem hæ turmæ Zamucorum. Una harum recensebat quinquaginta Animas, ex gente Quiripeodes, cui Caciquius nomine Sosiade præerat; hic duos numerabat inter suos, qui mortem Fratris Alberti sua truculenta manu promoverant. Alteram turmam faciebant Cucutades, numero quadraginta duo, præsidente Caciquio Omale dicto. Atque hic ipsissimus erat, qui Superiore Anno Patres abscedere jusserat. Hos adeò, si simul numeres, nonaginta duos crudelitas Ugaranorum ad frugem permovit. Quin edicebant, brevì & cæteros sua exempla secuturos. At quoniam mala lue ibi locorum corripiebantur, metus incessit hos advenas, ut Patres optarent secum redire in patrias suas terras, nec id gratiæ negatum est. Quapropter 30. Junii P. Franciscus Hervàs, Superior illarum Missionum, cum P. Castannares eò profectus est, in eorum

rum Regione Reductionem ordinaturus. Post 40. dierum iter ad Zamucos pervasit, sed regione Incolis vacua. Idcircò Pater Castannares cum Indis suis abiit quæsitum alios populos, de cujus porrò functionibus nihildum compertum est.

Cæterùm P. Franciscus Hervàs, qui totis viribus fractus advenerat, necesse habuit redire. Jamque ad intervallum quinque horarum propinquabat Reductioni S. Joannis, cum illuc excurrens P. Joannes Baptista Xandra de nævis conscientiæ confitentem audivit, & quibus potuit fomentis medicinæ recreare studuit. Eò saltem valuit hoc charitatis obsequium, ut æger ad S. Joannis contubernium transferri potuerit, ubi frustratis medicinis post suscepta morientium præsidia ultima, ex calida febre piissimè in Domino obiit 24. Augusti 1723. Erat Patri hic Annus vigesimus secundus à Solenni Ordinis Professione, ab adita Societate JESU quadragesimus quartus, à Nativitate verò Annus sexagesimus primus. Ipsius insignes virtutes, & infatigabiles labores postularent equidem fusiorem narrationem. Sed distantia locorum jam non indulget nobis accuratiorem notitiam de Viri vita, tam sanctè acta. Unicè nos solari debet commodior olim resciendi occasio. Atque hoc demum est, quod tanto studio urgebatur, ut scilicet post alios etiam Zamuci ad Evangelii lumen transferrentur. Et verò non vana spes nos lactat, hoc magnum opus labore strenuo Missionariorum susceptum, auspicato successu coronandum. 4.

ANNUA ENUMERATIO,

Uti singulis Annis Romam mitti solet, Facta ad finem Anni 1729.

Oppida ad Fluvium Paranensem spectantia.

S. Ignatii, quod majus vocant, numerat Personas	3674.
S. MARIÆ de Fide	6958.
S. Rosæ Limensis	5291.
S. Jacobi	3238.
Annuntiationis B. V. vulgò Itapuâ	5829.
Purificationis B. V. vulgò Candelaria	3286.

SS. Cosmæ, & Damiani MM. - -	2307.
S. Annæ - - - - -	4266.
B. V. Lauretanæ - - - -	6935.
S. Ignatii, quod minus vocant - - - -	3938.
SS. Sacramenti, seu Corporis Christi - -	4285.
Nominis JESU - - - -	1747.
S. Caroli Borromæi - - - -	2784.
SS. TRINITATIS - - -	4088.
S. Josephi - - - - - - -	3637.

Summa Baptizatorum Parenensium Sexaginta duo Millia, Ducenti, sexaginta tres.

Uruguaienses Reductiones, seu Oppida.

SS. Apostolorum Petri & Pauli, numerat Personas -	3835.
Immaculatæ Conceptionis B. V. - -	5493.
SS. Trium Martyrum Japonensium - -	3698.
S. MARIÆ Majoris - - - -	3841.
S. Francisci Xaverii - - - -	3708.
S. Nicolai - - - - - -	7335.
S. Aloysii Gonzagæ - - - - -	5984.
S. Laurentii - - - - - -	6215.
S. Michaëlis - - - - - -	4710.
S. Joannis Baptistæ - - -	4111.
SS. Angelorum Custodum - - -	4745.
S. Francisci Borgiæ - - - -	3297.
S. Thomæ Apostoli - - - - -	3388.
Assumptionis B. V. vulgò S. Crucis - - -	4114.
SS. Trium Regum vulgò Tapeyu - - -	4921.

Uruguaienses universim Personas numerant Sexaginta novem Millia, quadringentas, & quinque.

Omnia ad Majorem DEI Gloriam.

INDEX
RERUM MEMORABILIUM.

A.

ADoratur Diabolus, etiam visibilis, vide Diabolus.
Adulter cæcitate punitur, sed pœnitens visum recipit, folio 77. n. 5. f. 78. n. 6.
Adulteri alterius mors horrenda, & sepultura. fol. 83. n. 3.
Ægri divinitùs sanati, vide Maria, item Angelus.
Ærumnæ Missionum, fol. 61. 62. n. 1. 2. 3. 4. Modus venandi animas, fol. 61. n. 1. Difficultas, & pericula hujus venationis, fol. 61. n. 2. Alia & crebra mortis pericula, & sexcentæ ærumnæ, fol. 62. n. 3. Nec tamen sine sacro solatio, fol. 62. n. 4. Stabiliuntur priores ærumnæ per epistolam, fol. 63. n. 1. Soliditas virtutum requiritur ad has, fol. 65. n. 2. Longævitas Patrum inter tot ærumnas, fol. 65. n. 3.
Alexii Garciæ infelix expeditio, & truculenta mors, fol. 3. n. 3.
Angeli monita, fol. 89. n. 2. à nece servat, fol. 178. n. 4.
Angelus apparet uni ex ægris, qui omnes sanantur, fol. 181. n. 5. Ethnici Christianos æmulati, confirmantur ab Angelo, fol. 186. n. 5.
Animam immortalem credunt Manacici, vide Manacici.
Animæ post mortem iter fabulosum, vide Manacici.
Animalia apud Chiquitos, vide Chiquitos.
Annonæ defectus prodigiosè suppletur, fol. 73. n. 1. 2. 3.
P. Antonii Fideli mors cum elogio, fol. 57. n. 3. Ejus strenui labores, fol. 57. n. 2. Ejus vita, virtus, navigatio morosa per varios casus, fol. 58. n. 1.
P. Antonius Machomi, fol. 261. toto §. 2.

Anthropophagi, fol. 4. n. 4.
Apoſtatæ turbas excitant, fol. 13. n. 1. Apoſtatæ alterius converſio, fol. 79. n. 2.
Apoſtata alius cum veneficis evertit ſpem Miſſionis, fol. 212. n. 1.
Apoſtatæ infelix mors Chiriquanos convertit, fol. 269. n. 2.
P. Arce, vide P. Joſephus de Arce.
Architectura Manacicorum, fol. 138. n. 3.
Avaritia Hiſpanos perdit, & Miſſiones, fol. 41. n. 1. 2. fol. 192. n. 3. fol. 258. n. 3.

B.

BAptiſmus dat etiam corporis ſanitatem, fol. 263. n. 4.
P. Bartholomæus Blende necatur cum ſuis, fol. 213. n. 2. Ejus vita & virtutes, fol. 222. n. 1. Ab Hollandis intercipitur cum Sociis, fol. 223. n. 2. Hæreticorum inſolentia & impudentia ibidem. P. Blende cum capto ſecum Archi-Epiſcopo in Hollandiam reducitur, fol. 224. n. 3. Catholicos ibi juvat, fol. 224. n. 3. Liberatus cum Sociis repetit navigationem in Indiam, ab Anglis invaduntur, fol. 224. f. 225. n. 4.
Boxi Neophyti miſſi ad Morotocos, fol. 200. n. 1. Lepidus caſus Indi ſenis ibidem.
Breviarium putatur Liber Magicus, fol. 161. n. 5.

C.

CÆcitate percuſſus adulter, pœnitens viſum recipit, fol. 77. n. 5.
Cæcitas pœna adulteri, fol. 77. n. 5. fol. 78. n. 6.
Cædis auctores cæduntur, fol. 120. n. 4. n. 2.
Cæſorum pro Chriſto corpora requiruntur, fol. 121.
Catechumenus ſuos populares ad fidem permovet, fol. 96. n. 2.
Chacoenſis Regionis detectio, fol. 204. n. 1. Ejus deſcriptio, fol. 257. n. 1. Ritus, & indoles incolarum, diu reſiſtentium Evangelio, cæſis aliquot Apoſtolis, fol. 257. n. 2. Cauſa tantæ contumaciæ ſunt Hiſpani, fol. 258. n. 3. Cæſi duo è noſtris apparent poſt mortem, fol. 249. n. 4.
Charontis cymba, & ſpecies renovata fraude Dæmonis, vide Diabolus, & Manacici.
Careræ anthropophagi, fol. 232. n. 1. Eorum bella cum Morotocis, fol. 232. n. 2. Pacem recuſant & fidem, velitatio cruenta cum Chriſtianis, fol. 232. n. 3.

Caval-

Cavallero, vide Lucas Cavallero.
Chicha potionis genus, fol. 21. n. 5. fol. 189. n. 3.
Chiquitanæ terræ limites & flumina, fol. 2. Prisci ejusdem Regionis incolæ, dein transmigrantes, fol. 3. n. 2.
Chiquitorum nova Regio, fol. 16. n. 1. Ejus flumina, mellis copia, animalia, fol. 16. 17. n. 2. 3. Piscatio, fruges, fol. 17. n. 4. 5. Temperies plagæ, fol. 18. n. 7. Indoles, forma, fol. 20. n. 1. Vestitus, n. 2. Arma, n. 3. Regimen, fol. 21. n. 4. Potus Chicha, fol. 21. n. 5. Ritus nubentium, fol. 21. n. 5. Habitatio, fol. 22. n. 6. Hospitalitas, convivia, ebrietas, sed sublata, fol. 22. n. 7. Morbi, & modus medendi ineptus & crudelis, fol. 18. n. 7. Partitio diei, annui labores, victus, lusus, fol. 24. n. 1. Religio Chiquitorum: sepultura: lunæ eclipsis telis defenditur: fulguris, & fulminis interpretatio, fol. 25. n. 2. Aliqua etiam superstitio, fol. 26. n. 3. Perdifficilis lingua Chiquitorum, fol. 27. n. 2. 1. Linguæ ejus specimen, fol. 28. 29. n. 2. Chiquiti bellicosi pacem denique petunt, fol. 33. n. 1. Valdè attriti, & minuti per Hispanos, & Mamalucos, fol. 34. n. 2. Fatales ponunt inimicitias, fol. 69. n. 2. Ad hos via brevior quæritur, fol. 95. n. 1. Fiunt aliis dein Apostoli, fol. 249. n. 1. fol. 250. n. 2.
Chiriquani anthropophagi. fol. 4. n. 4. Eorum Legatio pro dono fidei, fol. 4. Eorum pars invitant nostros, pars altera repellunt, fol. 6. 7. n. 2. Horum indoles, fol. 7. n. 1. Nostris conspectis, velut Mamalucis, aufugiunt, fol. 116. n. 3: Tandem ultrò petunt Missionarios, fol. 268. n. 1. Petitionis causa est Apostata post infelicem mortem apparens, fol. 269. n. 2.
Christianos lucidus à cœlo globus circumdat, fol. 76. n. 4.
Christiani plagiarii Sancti, fol. 118. n. 1. fol. 120. n. 1. vide Neophyti.
Colonia S. Ignatii fundatur, fol. 15. n. 3. fol. 233. n. 5. vide in fine hujus opusculi, ubi numerus Reductionum, & personarum enumeratur ad centum triginta, & unum millia, sexcenta, & ultrà, fol. 275. 276.
Constantia in fide meretur sanationem post vulnera à dæmone, fol. 158.
Conversio Caciquii & popæ convertit totum populum, fol. 155. n. 5.
Conversio Morotocorum, & Quiesiorum, vide Morotoci.
Conversio mira Manacicorum, fol. 133. n. 4.
Conversio venefici mirabilis, fol. 78. n. 1. Et Apostatæ, n. 2. Item impudici per fulmen, fol. 81. n. 3.

Conversio Maponenis, hoc est, popæ, qui dein Apostolus, fol. 163. n. 3. Item alterius popæ conversio, fol. 177. n. 2.

Cruces à Barbaris ipsis erectæ contra incursum tigrium, fol. 100. n. 6.

Cucutades populi respuunt primò Evangelium, pauculis exceptis, fol. 273. n. 2. Sed per irruptionem hostium Ugaraniorum impulsi, confugiunt ad fidem, fol. 274. n. 3.

D.

DAmnatus ex Orco apparet in visione, vide ostentum, vel raptus, vel ecstasis.

Deipara spectabilis, vide MARIA.

Delubrum evertitur à P. Cavallero, fol. 161. n. 2. Idem in ipso deorum fano baptizat Barbarum, fol. 178. n. 3.

Diabolus cogitur salutaria dicere, fol. 86. n. 5.

Diabolus veram Ecclesiam æmulatur, fol. 142. n. 1. 2. f. 143. n. 1. 2. 3. f. 144. n. 2. 2. 4. f. 145. n. 5. f. 145. n. 1. f. 146. n. 2. f. 146. 147. n. 3. f. 148. n. 1. 2. 3. f. 151. n. 3.

Diaboli stropha ad perdendum Patrem Cavallero, fol. 135. n. 4. f. 154. 155. n. 2. Ringitur ob conversionem sui nuper populi, fol. 157. n. 1. Exagitat popam conversum, querelæ, minæ, verbera usque ad sanguinem, fol. 157. n. 2. 3. Sed cœlitus sa natur.

Diabolus prænuntians adventum Patris vacuat pagos incolis, fol. 184. n. 5. Ejusdem suasu infantes baptismo subducuntur, fol. 181. n. 2. Pater in vindictam erigit crucem ad ipsum fanum: calcat pedibus idola, fol. 185. n. 3. Diabolo præsente ritus sepeliendi mortuos, fol. 189. Fugit dæmon veniente Patre, & popam secum aufert ad inferos, fol. 190. n. 2. Reductis terribili formâ insultat, fol. 269. n. 4.

Doctores fidei passim petuntur, fol. 10. n. 3.

E.

EBrietatis vitium, Evangelii impedimentum, sublatum.

Eclipsis Lunæ telis missis defensa, fol. 25. n. 2.

Ecstasis mirissima Neophyti ægrotantis, fol. 85. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. fol. 88. n. 1. 2. 3. 4.

Equorum & ovium grex innumerabilis, fol. 265. 266. n. 2.

Ethnici Christianos æmulati, crucem erigunt, se flagris cædunt, qua ratione pestem extinguunt, fol. 186. n. 5.

Exempli mali vis à malis Europæis, fol. 7. n. 2.

Exe-

Exequiæ Barbaræ, fol. 189. n. 4.
Exequiæ Manacicorum, fol. 150. n. 1.

F.

FAmacoſio animal mirabile, & nocens, fol. 137. n. 1.
Fervor mirus Neophytorum, vide Neophyti.
Fidei Doctores paſſim pereuntur, fol. 10. n. 3.
Fidem refractarii nuper, nunc ultrò ſolicitant, fol. 8. n. 2.
Flagellatio vel ab Ethnicis uſurpata peſtem fugat, hi ipſi confirmantur ab Angelo, convertuntur, fol. 186. n. 5.
P. Franciſci Hervàs mors, fol. 275. n. 4.
S. Franciſci Solani prophetia de Indis olim convertendis, fol. 268. n. 4.
PP. Franciſcanorum charitas in noſtros ejectos vi tempeſtatis, fol. 59. n. 2.
Fulguris & fulminis inepta interpretatio, fol. 25. n. 2.

G.

GEns Europæi coloris detegitur, fol. 265. n. 2.
Globus lucidus è cœlo circumdat Chriſtianos, fol. 76. n. 4.
Guarani pridem capti à Mamalucis deficiunt poſt eorum cladem ad Chriſtianos, fol. 53. n. 3.
Guarayi à Chriſtianis ad fidem adducti, fol. 112. n. 1.
Gubernatores ſacri & profani, fol. 1. n. 1.

H.

HAbitatio Chiquitorum. Hoſpitalitas eorum, vide Chiquiti.
Herba Paraquarienſis, fol. 100.
Hiſpani ſedem figunt apud Chiquitos, fol. 31. n. 2. Trucidantur novi domini ob avaritiam, fol. 32. n. 3. Hiſpani reſidui fugiunt, & condunt Urbem S. Laurentii, fol. 32. n. 4. Vicus S. Xaverii Chriſtianorum fit Reductio, fol. 32. n. 5. Barbari Hiſpanorum prædia exſpoliant, denique ipſosmet necant, fol. 32. n. 6. Talionem Hiſpani reponunt, fol. 33. n. 7. Indos olim judicârunt Hiſpani non eſſe veros homines, fol. 72. n. 2. Sed Popa declaravit contrarium, fol. 73. n. 2.

I.

IDololatria Manacicorum mirabilis, vide Manacici.
Idola calcantur, comburuntur, vide ibidem.
Idololatræ ſubitò adoratores S. Crucis, fol. 180. n. 3.
JESU, MARIÆ, nomina inclamata à tigridis unguibus liberant, fol. 76. n. 2.

S. Ignatii Colonia, fol. 15. n. 3. f. 233. n. 5.

Ignis accensi fumus ex montibus nuntius adventantium hospitum vel hostium, fol. 102. n. 2.

Impudicus juvenis miserè perit, fol. 82. n. 1.

Incendium à dæmone excitatum à Neophytorum rebus sacris compescitur, fol. 94. n. 2. Incendium separationem populi à populo suadet, fol. 271. n. 3.

Inda, ut innocentiam post baptismum non perderet, mori optavit, & mortua est, fol. 68. n. 3.

Indæ Christianæ, sed impudicæ infelix mors, fol. 252. n. 1.

Indi juvenis benevolentia, & liberalitas, fol. 104. n. 1.

Indi saucii cælitus curantur, fol. 178.

Indi se jungunt navigantibus cum spe convertendæ gentis, datis interim pueris, quasi obsidibus, fol. 106. n. 3.

Indorum tricæ cruentæ componendæ, fol. 9. Eorum consultantium cæremoniæ, peregrinæ nobis, fol. 15. n. 2. Eorum post conversionem fervor, & pietas: quin cruenta pœnitentia, fol. 66. n. 1. Conscientiæ expiandæ candor, fol. 67. n. 2.

Indos judicârunt olim Hispani non esse homines, sed bestias, fol. 72. n. 2. Popa declarat, esse veros homines, fol. 71. n. 2.

Indus Catechumenus suos populares ad fidem permovet.

Inimicitiæ gentis contra gentem impediunt pluviam, fol. 130. n. 1.

Interfectores nostrorum, Payaguani, ad fidem invitantur, fol. 107. Mutua à nobis & illis munera, fol. 108. n. 1. Eorum hostilitates, & perpetua locorum mutatio sunt impedimento, quò minùs convertantur, fol. 108. n. 3. Læsi pacem frangunt, fol. 114. n. 4.

Josephus de Arce Pater ope S. Xaverii sanatus declinat concionandi munus honorificum, & Missionem impetrat, fol. 5. n. 2. à Chiriquanorum parte invitatur, ab altera repellitur cum aliis nostris, fol. 6. 7. n. 2. Pacem conciliat, fol. 10. n. 2. Adit Guairanos, fol. 8. n. 1. Præclusam sibi Missionem constantiâ evincit, fol. 42. n. 1. Iter ejus ad Chiquitos, fol. 43. n. 2. Inter illos ipsos lues, fol. 43. n. 3. Novam sedem Chiquitis eligit. Templum struit novæ Reductioni, fol. 44. n. 4. Indi Pinoquìs adjunguntur eidem, fol. 45. n. 1. Morbus Patris Arce, fol. 45. n. 2. Convalescens avocatur à Superioribus. Locus Coloniæ mutatur, fol. 46. Contra Mamalucos colligit suppetias à militari urbis præsidio Hispanorum, fol. 49. n. 1. f. 50. n. 2. Felix

pugna

pugna contra Mamalucos nostris cum S. Cruce præeuntibus, fol. 51. n. 3. fol. 52. n. 2. Zelus P. Arce infatigabilis, fol. 208. n. 3. Morbo corripitur, nec à suis deseritur, fol. 209. n. 4. Reperit cæsa Patris Blende, & comitum corpora, fol. 214. n. 1. Animat suos ad simile Martyrium, fol. 214. n. 2. P. Arce cum tredecim Christianis, & ipse occiditur, fol. 215. n. 3. Cœleste necis hujus futuræ omen, fol. 216. n. 4. Interfectores à Caciquio Catechumeno puniuntur, fol. 216. 217. n. 4. Vita & Virtutes Patris de Arce, fol. 218. toto §. 3. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

P. Josephi Tolù vita & mors, c. 21. fol. 254. 255. 256.

Iter novum per terras, & undas explorandi ergò, sed sinistro exitu, fol. 110. n. 1. Morbi nostrorum cum morte Fratris, fol. 111. n. 2.

Itinerarium per terras & aquas, fol. 98. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

Jurucares convertuntur, fol. 170. n. 1. f. 171. n. 2. f. 172. n. 3. 4.

L.

LAcus, ex quo origo Paraquarii, fol. 105. n. 2.
Lacus Mamorè detectus, ubi portus Mamalucorum fuerit, fol. 113. n. 2.

Legatus pro pace cum sociis occiditur, fol. 99. n. 3.

Lingua Chiquitorum perdifficilis, fol. 27. n. 1. Ejus specimen, fol 28. 29. n. 2.

Litaniæ cantantur ad Crucem erectam attonitis Barbaris, mirè conversis, fol. 164. n. 1.

P. Lucas Cavallero ingressus in Societatem JESU, & primus fervor, dein labores & Martyrium, fol. 122. & toto Capite XI.mo & XII.mo Patria ejusdem, conditio parentum, pia educatio, pudor virgineus, fol. 122. n. 1. Literarum studia: recipitur in Societatem: Indias affectat, & impetrat, fol. 122. n. 2. Vela facit: exscendit in portu boni aëris: altiora ejus studia: fit Sacerdos, fol. 122. n. 1. Initia facit Missionis apud obstinatos Pampas, fol. 124. n. 2. Chiriquanis biennium frustrà impendit, pulsi tandem Patribus cum *P. Cavallero*, fol. 124. n. 3. Defertur ad Chiquitos: ejus zelus, & fructus: item morbi, fol. 124. n. 4. Detritæ ejus vires & vestes jocandi ansam dant barbaris, quos invicem ad fidem permovet, fol. 125. n. 1. Plagiarii Europæis fortiter resistit, fol. 126. n. 2. Puraxes populos docet, illísque pluviam à cœlo impetrat, fol. 126. n. 3. Calumnia *Patri Cavallero* impacta ab Europæo non invenit fidem apud Puraxes, fol. 126. n. 1. Expostulatio, & minæ scelerati hujus hominis sper-

nun-

nuntur à Patre, fol. 127. n. 2. P. Cavallero sternitur morbo: voto facto convalescit, fol. 128. n. 1. Frustrà terretur, ne Manacicos adeat, fol. 129. n. 2. Patris magnanimitas animat Puraxes, fol. 129. n. 3. Inimicitia gentis cum gente impedit petitam pluviam, fol. 130. n. 1. Renovata pax eandem impetrat, fol. 131. n. 2. Metus Comitum redire volentium, fol. 131. n. 3. Confirmantur *à P. Cavallero* in itinere prorsus periculoso, fol. 131. n. 4. Territi iterum Comites, exemplo Patris, crucem præsumentis, propinquant barbaris, fol. 132. n. 1. Hi ad conspectum hospitum in arma ruunt, fol. 133. n. 2. *P. Cavallero* cum Cruce in manibus imperterritus, fol. 133. n. 3. Izu Patris interpres suos Manacicos pacat, & ad fidei gratiam pertrahit in medio impetu necandi omnes, fol. 133. n. 4. Pax firmatur cum Manacicis, jam Catechumenis, fol. 134. n. 1. Accedunt pacis fœderi plures populi, fol. 135. n. 2. Redire cogitur *P. Cavallero* invitis Neophytis, fol. 135. n. 3. Diaboli stropha ad perdendum *P. Cavallero*, sed per abitum ejus elusa, cujus interim laudes enuntiant vel ipsi barbari, pugnaturi contra Orci satellites, fol. 135. n. 4. Lue pereunt machinatores necandi *Patris Cavallero* rabidorum canum instar: nigra eorum cadavera: alba baptizatorum ex peste morientium, fol. 136. n. 5. Alii crucem evertentes miserè mortui, fol. 137. n. 6. Missio *P. Luca Cavallero* apud Manacicos, fol. 152. 153. Pacem persuadet: periculum in montibus, fol. 154. n. 1. Inopia victûs. Herbæ, quibus Dii vescuntur, insulsæ, fol. 154. n. 2. Diabolus affligit Patrem variè, fol. 154. 155. n. 2. Zibicæ populi Patrem habent hostis, quin magi loco, fol. 155. n. 4. Conversio Caciquii, & popæ junioris convertit totum populum, fol. 155. n. 5. Ringitur Orcus ob Conversionem populi, 157. n. 1. Exagitat popam conversum: querelæ diaboli, & minæ, fol. 157. n. 2. Quas popa constans in fide ridet. Ideò cæditur à dæmonibus usque ad sanguinem, & vitæ periculum, fol. 157. n. 3. Tantæ constantiæ prœmium est subita sanitas à cœlo data Mapononi seu popæ, fol. 158. *P. Lucas Cavallero* adit Quiriquicos ad pacem sanciendam cum inermibus Sociis Indis, fol. 158. n. 1. Charitas horum comitum erga Patrem famis tempore, fol. 159. n. 2. Adventum Patris dæmon antè prodit inter querelas contra eundem simul ad arma vocat, fol. 159. n. 3. Visis nostris fugiunt barbari. *P. Cavallero* insequitur profugos, fol. 160. n. 1. Mariæ effigies ostensa, Barbaros artus enervat, ut etiam tela retorqueantur in ipsos hostes, fol. 161. n. 2.

Delu-

Delubri aras Pater evertit, aut comburit, f. 161. n. 3. Comites Patrem deserunt paucis exceptis, f. 161. n. 4. Breviarium putatur liber magicus: mors Patris designatur, sed metu avertitur, f. 161. n. 5. Patris *Lucæ Cavallero* necem meditantes peste pereunt, f. 162. n. 1. Hoc ipsum movet ad conversionem, quam juvat Indus *Sonema* nomine, f. 162. n. 1. Se dedunt arbitrio Patris, fol. 162. n. 2. Mapono seu popa non tantùm conversus, sed & Apostolus, fol. 163. n. 3. Barbaris mirè conversis Crux erigitur, fol. 164. n. 1. Litaniæ cantantur attonitis Barbaris, fol. 164. n. 1. Infantes baptizantur ingenti numero, fol. 164. n. 1. Abitus Patris barbaris catechumenis prorsus illætabilis, fol. 164. n. 2. *P. Lucas Cavallero* revertitur ad Manacicos: visitat singulos eorum pagos, & aliâ viâ redit ad S. Xaverii reductionem, fol. 166. toto Capite XV.to anhelat Pater ad Chiquitos. Excipitur amicè à Zibacis, fol. 166. n. 1. Pacem sancit feliciter, fol. 167. n. 2. Tum verò prædicat Evangelium jam benè paratis. Fidei articuli cantantur, fol. 168. n. 3. Deipara invocata, & uni quidem catechumeno spectabilis ægros sanat plures, ad fidei incrementum, fol. 168. n. 4. Jurucarès idololatras adit: dæmon ejus adventum inter querelas prædicit, fol. 170. n. 1. Persuadentur ad fidem, fol. 171. n. 2. Crux erecta adoratur: idololatria dedocetur, fol. 172. n. 3. Proteruntur, comburuntur idololatrica, fol. 172. n. 4. Zibacæ Neophyti cum suo Caciquio promovent rem Christianam, fol. 173. n. 1. Jurucarès ad pacem permoventur, fol. 173. n. 2. Quiriquicæ putant, Patrem esse pestis suæ causam. Refutatur stulta opinio, & morte punitur, fol. 174. n. 3. Caciquius phreneticus miraculo ad se redit, instruitur, baptizatur, piè moritur post preces *P. Cavallero*, fol. 175. n. 1. Idem precibus suis pellit pestem, fol. 175. n. 2. Cosocas adiens telorum nimbo salutatur, fol. 176. n. 3. Tela prodigiosè retorta salvo Patre, qui scuti loco Deiparæ effigiem extulit adversùs tela, fol. 176. n. 4. Barbari furorem ponunt, fol. 177. n. 1. Ad verba Patris Popa primus omnium fidei lumen capit, fol. 177. n. 2. Barbarus in ipso Deorum fano baptizatur, fol. 178. n. 3. *P. Cavallero* iterum ad necem quæsitus, per Angelum servatur, fol. 178. n. 4. Sauciorum Neophytorum patientia. Sanantur divinitùs, fol. 178. n. 5. Certatim volunt fieri Christiani Cozacæ, uti & Zubarezæ populi, fol. 179. n. 1. *P. Cavallero* adit illos, fol. 179. n. 2. Ægros omnes sanat Pater recitato S. Evangelio. Idololatræ subitò adoratores S. Crucis, fol. 180. n. 3. Ægris Comitibus Pater sanitatem impetrat,

fol. 180. n.4. Angelus apparet uni ex ægris, qui omnes sanantur, fol. 181. n. 5. Incommoda viarum: victûs inopia: pagani Comites Patrem deserunt, fol. 182. n. 1. Uni apparens Deipara hortatur, ut ne deserat Patrem cum aliis viæ Sociis Christianis, fol. 182. n. 2. Venit *Pater Cavallero* ad Aruporecas, cum quibus tendit ad Tapacuràs. Parùm gratus ejus adventus, fol. 183. n. 3. Causa hujus aversionis, nempe crux eversa à Barbaris, & ideò lue sublatis. Errorem dedocti morem gerunt Patri, fol. 183. n. 4. Dæmon prænuntians adventum Patris vacuat incolis pagos, fol. 184. n. 5. Summa difficultas itineri. Amice excipitur Pater, fol. 184. n. 1. Sed suasu diaboli infantes baptismo subducuntur, fol. 185. n. 2. *P. Cavallero* in vindictam erigit crucem ante ipsum fanum. Calcat pedibus idola, fol. 185. n. 3. Bohozas adit, benevolè exceptus, fol. 86. n. 4. Ethnici, Christianos imitati, crucem ipsi erigunt, se flagris cædunt, qua ratione pestem extinguunt. Confirmantur à viso Angelo: novam Coloniam conficiunt, fol. 186. n. 5. Area novæ Reductioni eligitur, fol. 188. n. 1. Populi nudissimi & idololatræ, Patrem Cavallero proni audiunt, fol. 189. n. 2. Potum Chichæ sibi interdici nolunt. Modus conficiendæ hujus potionis, fol. 189. n. 3. Ritus sepeliendi mortuos præsente dæmone, fol. 189. n. 4. Fugit dæmon adveniente Patre, & popam secum abripit ad Tartara, fol. 190. n. 5. Nova Colonia augetur aliis Indis, fol. 191. n. 1. *Pater Cavallero* iterum salutatur etiam à nova hac gente emissis telis. Tamen adit intrepidus, & munera accipit: explorat exequias barbaras, fol. 191. n. 2. Plagiarii Europæi crudelitate sua pessumdant omnia, fol. 192. n. 3. Terribilis pugna animi in *P. Luca Cavallero*. an Puyzocas adeat, nec ne. Vincit, & ad illos ire statuit, fol. 193. n. 2. Fictâ benevolentiâ excipitur: Comites Patris trucidantur: demum & ipse P. Cavallero, fol. 194. n. 3. Puyzocæ post Patris, & aliorum cædem terrore suo dispergunt cæteros Christianos, fol. 195. n. 1. Præsidium militare contra homicidas emittitur. Flamma prodigiosa conspicitur supra cadaver Patris. quod incorruptum adhuc deprehendunt, fol. 196. n. 2. Jumenta militum ultrò, atque adeò prodigiosè adveniunt ad corpus Martyris deportandum, fol. 197. n. 3. Auctores necis miserè pereunt, fol. 197. n. 4. *P. Lucæ Cavallero* virtutes, fol. 197. 198. n. 1. f. 199. n. 2.

Lue pereunt machinantes necem Patri Cavallero rabidorûm canum instar: atra eorum cadavera, alba baptizatorum ex peste morientium, f. 136. n. 5.

Lues

Lues aversa, fol. 73. n. 2.
Luxuriosi alterius interitus, fol. 82. n. 1. f. 83. n. 3.
Luxuriosi pœnitentia per fulmen, fol. 81. n. 3.

M.

MAgnanimitas P. Cavallero in aditu Manacicorum, fol. 129. n. 2. 3. fol. 131. n. 4. f. 132. 133. n. 3.

Mamalucorum origo, & maleficia, fol. 34. n. 1. 2. à DEO & Rege deficiunt, fol. 35. n. 3. Situs Piratiningæ urbis, Mamalucorum nidus, & spoliarium: soli fertilitas, fol. 35. n. 4. Plagiarii Mamaluci cum ruina Urbium & Missionum, fol. 35. n. 5. Eorum inaudita impietas, fol. 36. n. 1. Puniuntur à DEO, & Indis victoribus, fol. 37. n. 2. Mamalucorum irruptio, fol. 47. n. 1. His cladem inferunt Pinoquisii, fol. 47. n. 1. 2. Altera irruptio Mamalucorum cum clade Neophytorum per dolum, fol. 48. n. 3. Sed hi cæsi talionem reddunt, fol. 49. 50. 51. n. 1. 2. 3. Iterata clades Mamalucorum, fol. 52. n. 2. Duo Patres ab Mamalucis ad mortem usque cæduntur, fol. 101. n. 7.

Manacicorum regio: ejus fructus varii, & feræ, fol. 137. n. 1. Famacosio sic dictum animal mirabile, sed astu sternitur, fol. 137. 138. n. 1. Fructus Bainilla, & Tutumas. Pisces & messis copiosa ibidem. Species incolarum, & indoles, fol. 138. n. 2. Architectura eorum, fol. 138. n. 3. Labor fœminarum: ritus conviviorum, fol. 139. n. 4. Auctoritas, & potestas Caciquiorum, fol. 139. n. 1. Polygamia, hæreditarium dominium, fol. 140. n. 2. Frequentia hujus populi. Regionis descriptio cum populis variis, fol. 140. n. 3. Paresiucæ aviculæ mortiferæ, fol. 141. n. 4. Manacicorum superstitiones, mixtæ quasi umbrâ Christianâ, fol. 142. n. 1. Interim dæmones visibiles colunt, fol. 142. n. 2. Æmulatur diabolus veram Ecclesiam, fol. 143. n. 1. Ritus adorationis, & salutationis in adventu dæmonum terribili, fol. 144. n. 2. 3. Responsio Satanæ, & adhortatio; dum se rerum creatorem fert, cum stygia aula pedissequa, fol. 144. n. 3. Compotationes, choreæ, ad quas incitat diabolus: cædes ebriorum, f. 144. n. 4. Etiam dæmones simulant se sitire Chicham potionis genus, fol. 145. n. 5. Post compotationem à Satana fit musica ad Sancta Sanctorum, quæ patent soli sacrificulo. fol. 145. n. 1. Nullus pagus sine tali præstigiatore, fol. 146. n. 2. Oracula Oici semper prospera cum reciproco scommate Barbarorum, fol. 146. n. 2. Dona diabolis oblata,

lata, & gustata. Abitus eorum cum ingenti tumultu. Mapano sacrificulus & magus abit in cœlum, & redit miris modis, fol. 146. 147. n. 3. Dii aquarum coluntur fumo tabacæ herbæ, & oblata parte piscium, fol. 148. n. 1. Honor & tributum popæ præstitum, fol. 148. n. 2. Popæ domus ejusdem aliquando solitudo. Candidati ad officium popæ instruuntur rigidè: jejunium, dein convivium, fol. 149. n. 3. Mapano junior popa, constans in fide, cæditur à dæmone, fol. 157. n. 3. Tantæ constantiæ prœmium est restituta subitò sanitas, fol. 158.

Manacicorum religio. Credunt immortalem animam, ad cœlos recipiendam. Exequiæ eorum, fol. 150. n. 1. Iter animæ defunctæ, fol. 150. n. 2. Diabolus in specie fabulosi Charontis animas transvehere creditur, fol. 151. n. 3. Aliæ ineptiæ de mortuis, fol. 151. n. 4. Quale cœlum defunctis in eorum opinione, fol. 152. n. 5. Eorum regio cujus formæ, fol. 166. n. 1.

Mariæ effigies obversa barbaros arcus enervat, fol. 161. n. 1. Hostium tela retorquet, fol. 176. n. 4.

Maria implorata ægros sanans, apparet Catechumeno, fol. 168. n. 4. Ope subitanea sanat morientem, fol. 270. n. 5.

Maria invocata ægrum Indum sanat, fol. 76. n. 3. Devotio munifica Neophytorum erga eandem, fol. 72. n. 1.

Maria spectabilis, fol. 9. n. 1. f. 90. n. 1. f. 168. 182. n. 4. Duplex navigantium discrimen ab ea depulsum, fol. 105. n. 4.

Medendi modus imperus, & crudelis, fol. 18. n. 7.

P. Michaëlis Yegros labores. Iter ad Zamucos, fol. 241. n. 1. Cupidè excipitur ab iisdem, fol. 242. n. 2. Difficultas novæ coloniæ ex aquæ & victûs cæteri penuriâ, fol. 242. n. 3.

Missionis remoræ, fol. 34. n. 1. 2. Missionariorum supplementum, fol. 39. n. 1. 2. Missio S. Joan. Bapt. fol. 60. n. 4. Missionum turbatio, & jactura, fol. 54. n. 1. Nostri ad necem quæruntur, fugantur, fol. 55. n. 2. Colonia S. Xaverii bis transfertur, fol. 55. n. 3. Reductio S. Raphaëlis etiam mutatur, fol. 56. n. 4. Missionum ærumnæ, fol. 61. n. 1. 2. 3. Modus venandi animas, fol. 61. n. 1. Difficultas, & crebra mortis pericula sub hac venatione, fol. 61. n. 2. fol. 62. n. 3. 4. Soliditas virtutum huc requisita, fol. 65. n. 2. Longævitas Patrum inter tot miserias, fol. 65. n. 3. Nomina & distantia Missionum seu Reductionum, fol. 272. n. 1.

Morbus fatalis Patris Arce à S. Xaverio pellitur, fol. 5. n. 2.

Mo-

Morotocorum gens, ejus arma, fol. 200. n. 2. Proles necant, paucas reservant, fol. 200. n. 2. Uxor apud illos est domina domûs, & viri servi vilissimi, fol. 200. n. 2. Nullum certum illis regimen, nec religio, fol. 200. n. 3. Potus ex palma. Nudi incedunt, nec frigent, ob cutem induratam, fol. 200. n. 3. Ætas eorum longæva, ibidem. Morotoci benè afficiuntur Christiano modo vivendi, eorum pagi quinque ad Coloniam S. Josephi transferuntur, fol. 202. n. 1. Memoria injuriarum cogit Neophytos retrocedere, ablatis duobus pueris, qui deindè occasio fiunt convertendæ suæ gentis, fol. 202. n. 2.

Mors aliquorum è nostris, fol. 102. n. 3.

Mors cruenta Fratris nostri cum vitæ compendio, fol. 111. n. 2.

Mors infelix Indæ impudicæ, fol. 252. n. 1. f. 253. n. 2.

Mors P. Francisci Hervàs, fol. 275. n. 4.

Mors P. Joan. Bapt. Neumann, & honor posthumus, fol. 109. n. 1.

Mors P. Lucæ Cavallero designatur, sed metu avertitur, fol. 161. n. 5. Per Angelum ejusdem mors cavetur, fol. 178. n. 4. Mors tandem gloriosa à Barbaris, fol. 194. n. 3. Mira in ejus morte, fol. 196. n. 2. fol. 197. n. 3. Auctores necis miserè pereunt, fol. 197. n. 4.

Mors pia Caciquii. miraculo ad se redeuntis, fol. 175. n. 1.

Mors violenta à Barbaris Fratris Romero S. J. & duodecim Christianorum, fol. 226. n. 2. Vita ejusdem Fratris, fol. 246. toto §. 3.

Mors violenta duorum Fratrum nostrorum ab Indis, fol. 101. n. 1.

N.

NAturalis legis nulla cognitio, fol. 261. 262. 263. n. 1. 2. 3.

Neophyti ægrotantis mira ostenta, fol. 85. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Item f. 88. n. 1. 2. 3. 4. Neophytorum aliquorum beata mors, fol. 88. n. 1. Ex raptu sibi redditur, fol. 91. n. 3. Zelus convertendi alios, fol. 92. n. 5.

Neophyti Boxi mittuntur ad Morotocos. Casus lepidus Indi senis, fol. 200. n. 1.

Neophytorum patientia post vulnera. Sanantur divinitùs, fol. 178. n. 5.

Neophytorum, seu novellorum Christianorum fervor, fol. 66. n. 1. 2. 3. Eorum corrector Indus, fol. 68. n. 1. Eorum exercitia devotionis planè admiranda, fol. 70. n. 3. Sacra musica sub noctem, fol. 71. n. 1. Devotio munifica erga Deiparam. Processiones sacræ, fol. 72. n. 1. fol. 73. n. 1. f. 74. n. 2. Impetrata ab iisdem pluvia: lues aversa: annonæ defectus prodigiosè tollitur, fol. 73. n. 1. 2. 3.

Neophytus saucius post ultima Sacramenta cœlitùs sanatur, fol. 119. n. 3. Zibacæ Neophyti cum suo Caciquio promovent rem Christianam, fol. 173. n. 1.
Nex aliquorum Comitum, fol. 266. n. 3.
Nomina JESU, Maria, à tigridè liberant, fol. 76. n. 2.
Nubentium ritus apud Chiquitos, fol. 21. n. 5.

O.

OBstacula Patri Arce facta, fol. 39. n. 3. Etiam ab Hispanis plagiariis, & malis institoribus, fol. 40. n. 4.
Orizæ nativæ, non sativæ copia, fol. 101. n. 7.
Ostenta mira Neophyti ægri, fol. 85. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. f. 88. n. 1. 2. 3. 4. fol. 90. n. 1. 2.
Ovium & equorum innumerabilis grex, fol. 265. n. 2.

P.

PAcem respuunt barbari, fol. 98. n. 2. Legatum pacis necant, fol. 99. n. 3. Pax conciliata, fol. 10. n. 1. fol. 134. n. 1. 2. f. 69. n. 2. fol. 167. n. 2. f. 173. n. 2.
Paraquariæ Longitudo, fol. 1. n. 1.
Paraquariensis herba, fol. 100. n. 5.
Paraquarii fluminis origo quæritur' fol. 31. n. 1. f. 96. n. 3.
Paresiucæ aves parvæ, sed mortiferæ, fol. 141. n. 4.
Payaquani interfectores nostrorum ad fidem invitantur, fol. 107. n. 1. Mutua à nobis & illis munera, fol. 108. n. 2. Eorum hostilitates, & perpetua locorum immutatio sunt impedimento, quò minùs convertantur, fol. 108. n. 3. Læsi pacem frangunt, fol. 114. n. 4.
Peccata etiam ignorata obicem ponunt cœlo, fol. 90. n. 4.
Pericula Patrum, fol. 113. n. 3.
Pestis pellitur, fol. 175. n. 2. vide Lües.
Pinoquisii neophyti cladem inferunt Mamalucis, fol. 74. n. 1. Cladem reciprocam ab iis patiuntur per dolum, fol. 48. n. 3.
Piratininga nidus Mamalucorum, fol. 34. n. 2.
Plagiarii Catholici causam suam malam diu defendunt, & decisionem impediunt, fol. 41. n. 1. Graves tandem pœnæ in eos statutæ, fol. 41. n. 2. Pessumdant omnia, fol. 192. n. 3.
Plagiarii Mamaluci cum ruina urbium & Missionum, fol. 35. n. 5.

Pla-

Plagiarii ſancti, novi Chriſtiani, fol. 118. n. 1. Inermes ſe impunè ſinunt trucidari, fol. 118. n. 2.
Pluvia impetratur, fol. 126. n. 3. f. 131. n. 2. f. 73. n. 1.
Populi diverſiſſimi circa Paraquarium fluvium, fol. 103. n. 4.
Porcus aquaticus, fol. 104. n. 1.
Præſtigiatoris exitium, fol. 82. n. 2.
Puraxes populos docet P. Cavallero, illíſque pluviam impetrat, f. 126. n. 3.
Puyzocæ Barbari necant P. Lucam Cavallero cum aliis, fol. 194. n. 3. Circumſtantias mortis vide ibidem.

R.

RAptus ecſtaticus Neophyti, vide Oſtenta, vel Viſio.
Reductionum nomina & numerus, item converſorum, fol. 1. n. 2. fol. 275. 276. in fine operis.
Reductio S. Joſephi inter maximè florentes, fol. 56. n. 1.
Remoræ Miſſionis, fol. 6. n. 2. vide Miſſio, & Mamaluci.
Roſaria Mariana à Neophytis ſummè æſtimata, tanquam ſcutum in adverſis, fol. 75. n. 1. Roſarium ablatum arguitur ab ipſa Deipara, quæ reddi jubet, fol. 91. n. 2.

S.

SAnitatem Angelus apparens uni ex ægris, omnes ſanat, fol. 181. n. 5.
Sanitatem ægris Comitibus P. Cavallero impetrat, fol. 180. n. 4.
Sanitas cœlitùs reparata poſt diaboli verberationem, fol. 158.
Sanitas plurium ſauciorum divinitùs data, fol. 178.
Sanitas recitato ſuper ægros Evangelio, fol. 180. n. 3.
Superſtitiones Manacicorum mixtæ quaſi umbrâ Chriſtianâ, fol. 142. n. 1. 2. fol. 143. n. 1. fol. 144. n. 2. 3. 4. f. 145. n. 1. f. 146. n. 2. fol. 147. n. 3. f. 148. n. 1. 2. f. 149. n. 3.

T.

S. THomæ Apoſtoli doctrina, olim prædicata, degenerat in ſuperſtitiones diaboli, vide ſuprà Manacicos.
Tricæ Indorum cruentæ, ſed compoſitæ, fol. 9.

V.

VEnefici alterius exitium, fol. 82. n. 2.
Venefici converſio, fol. 78. n. 1. Item impudici, fol. 81. n. 3.

Via brevior ad Chiquitos quæritur, fol. 95. n. 1. f. 115. n. 2. Tandem via inventa, fol. 210. n. 1. Via brevior ad eosdem detecta, fol. 271. num. 4.

Victoria iterata contra Mamalucos, fol. 51. n. 3. f. 52. n. 2.

Visio mirabilis Neophyti ægri, fol. 85. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. fol. 88. n. 1. 2. 3. 4.

Z.

P. Zea iter perdifficile, fol. 227. n. 4. f. 228. 229. n. 1. 2. 3. Tentatam nuper in saltu viam pervincit asciis, fol. 233. n. 4. à Zamucis amicè excipitur, fol. 233. n. 5. Vita, & Virtutes P. Zea, fol. 234. per totum §. 4. 5.

P. Zea neci proximus eripitur à robusto Neophyto, fol. 205. n. 3.

Zelus Neophytorum ad convertendos etiam alios Indos, fol. 83. n. 1. fol. 92. n. 5. f. 118. n. 1. 2. f. 120. n. 1. f. 173. n. 1. f. 200. n. 1. fol. 271. n. 5.

Zibacæ Neophyti cum suo Caciquio promovent rem Christianam, fol. 173. num. 1.

FINIS.

Errata.

In Approbatione P. Silva,			utpote,	lege	ut portet.
Folio 3.	n. 3.	lin. 3.	& cura,	adde	incessit.
fol. 8.		lin. 15.	Regem,	lege	Regum.
fol. 15.		lin. 9.	ridebant,	lege	redibant.
fol. 18.	n. 5.	lin. 4.	goscypium,	lege	gossypium.
fol. 20.	n. 2.	lin. 7.	notæ,	lege	nolæ.
fol. 24.	n. 1.	lin. 15.	aliqua multi,	lege	aliquammulti.
fol. 48.	n. 3.	lin. 22.	aliqua multi,	lege	aliquammulti.
fol. 26.		lin. 15.	stigii,	lege	Stygii.
fol. 36.		lin. 11.	constituerant,	lege	constituerat.
fol. 59.	n. 3.	lin. 8.	in gloria,	lege	ingloria.
fol. 60.	n. 3.	lin. 14.	visam,	lege	vitam.
fol. 60.	n. 4.	lin. 9.	in valetudinem,	lege	invaletudinem.
fol. 76.	n. 2.	lin. 10.	stracturas,	lege	stricturas.
fol. 79.	n. 1.	lin. 20.	extemplo,	lege	extemplò.
fol. 82.	in ipsa synopsi		præstigiationis,	lege	præstigiatoris.
fol. 87.	n. 7.	lin. 18.	ad Dei legem,	adde	temerandam.
fol. 100.	n. 5.	lin. 11.	destinebant,	lege	distinebat.
fol. 101.	n. 6.	ad finem,	Alboymmboym,	lege	Mboymmboym.
fol. 102.	n. 3.	lin. 12.	Albototei,	lege	Mbototei.
fol. 115.	n. 1.	lin. 17.	accideret,	lege	arrideret ad locum.
fol. 120.	n. 3.	ad finem,	manifestum fuisset,	lege	fecisset.
fol. 120.	n. 1.	lin. 5.	ex hoc,	lege	ex hac.
fol. 120.	n. 1.	lin. 7.	barbaros,	lege	barbaris.
fol. 131.	n. 3.	lin. 7.	scridit,	lege	scribit.
fol. 131.	n. 4.	lin. 1.	dico,	lege	duo.
fol. 143.		lin. 3.	irridet,	lege	arridet.
fol. 14..		lin. 6.	velut,	lege	velit.
fol. 163.	n. 3.	lin. 12.	sui,	lege	suis.
fol. 184.	in ipsa synopsi		fragis,	lege	flagris.
fol. 186.	n. 3.	lin. 1.	'reficarentur,	lege	refricarentur.
fol. 187.	n. 5.	lin. 21.	noctu,	adde	multi.
fol. 188.	n. 1.	lin. 11.	vel die,	lege	vel de die.
fol. 193.	n. 2.	lin. 10.	artibus,	lege	artubus.
fol. 194.	n. 3.	lin. 6.	in sincera,	lege	insincera.
fol. 197.	n. 3.	lin. 5.	laboribus.	lege	laboris.
fol. 199.	n. 1.	lin. 2.	cogetur,	lege	cogeretur.
fol. 200.	in ipsa synopsi		Indis,	lege	Indi.
fol. 201.	n. 1.	lin. 18.	moximi,	lege	maximi.
fol. 203.	n. 2.	lin. 17.	invitatio,	lege	invitatis.
fol. 208.	n. 3.	lin. 14.	estat,	lege	erat.
fol. 210.	n. 1.	lin. 12.	hunc,	lege	tunc.
fol. 213.	n. 2.	lin. 13.	Mam,	lege	Nam.

fol. 221.	n. 4.	lin. 4.	cucurbita,	lege	cucurbita.
fol. 224.	n. 2.	in fine,	furi,	lege	frui.
fol. 225.	n. 4.	lin. 25.	ubi,	lege	uti.
fol. 233.	n. 4.	lin. 1.	careris,	lege	Careris.
fol. 241.	n. 1.	lin. 12.	cucuratum,	lege	Cucuratum.
fol. 241.	n. 1.	lin. 14.	ſi	lege	ſe.
fol. 242.	n. 3.	lin. 8.	perageret,	lege	peragraret.
fol. 243.	n. 3.	lin. 33.	aliqui,	lege	aliquis.
fol. 243.	n. 3.	lin. 37.	neſcire,	lege	reſcire.
fol. 243.	n. 3.	lin. 39.	de hoc,	lege	de hac.
fol. 244. circa medium			adulterioribus,	lege	adultioribus.
Ibidem poſt medium			ſancto fidei,	lege	ſanctæ fidei.
Ibidem poſt medium			Miſſionarios,	lege	Miſſionarius.
Ibidem poſt medium			Partis,	lege	Patris.
fol. 245.	n. 1.	lin. 25.	intervoallo,	lege	intervallo.
fol. 246.	n. 1.	lin. 26.	piſcorum,	lege	piſcoſum.
fol. 247.	n. 1.	lin. 16.	vocandi,	lege	vacandi.
fol. 247.	n. 1.	lin. 21.	venirent,	lege	veniunt.
fol. 247.	n. 1.	lin. 18.	duraturus,	lege	duraturis.
fol. 247.	n. 1.	lin. 21.	Divina,	lege	diurna.
fol. 247.	n. 1.	lin. 30.	vehementer enim,	lege	vehementem.
fol. 247.	n. 1.	lin. 33.	variis,	lege	vario.
fol. 248.	n. 1.	lin. 36.	paterna,	lege	paterno.
fol. 248.	n. 2.	lin. 6.	ſcilcet,	lege	ſcilicet.
fol. 248.	n. 2.	lin. 9.	Durebat,	lege	durabat.
fol. 250.	n. 4.	lin. 2.	Coſiricas,	lege	Corſiricas.
fol. 250.	n. 4.	lin. 20.	Lurucanes,	lege	Curucanes.
fol. 250.	n. 4.	lin. 23.	quæſitu,	lege	quæſitum.
fol. 250.	n. 4.	lin. 25.	comitis,	lege	comites.
fol. 251.	n. 4.	ſub finem	amplectandæ,	lege	amplexandæ.
fol. 251.	n. 4.	in fine	Guſones,	lege	Guyones.
fol. 251.	n. 4.	lin. ult.	Guaryes,	lege	Guaryoes.
fol. 253.	n. 2.	lin. 13.	bellua,	lege	belluæ.
fol. 255.	u. 2.	lin. 21.	metiamus,	lege	metiamur.
Ibidem eadem		lin.	P. Telù,	lege	P. Tolù.
fol. 259.	n. 4.	lin. 10.	& unico,	lege	eo unico.
fol. 260.	n. 4.	ſub finem	Fidei orbi tam,	lege	orbitam.
fol. 262.	n. 1.	ad finem	ſat diu	adde	ſe
fol. 263.	n. 3.	ſub finem	id,	lege	idem.
fol. 264.	n. 4.	ad finem	del Chaca,	lege	del chaco.
fol. 266.	n. 2.	in fine	quæ,	lege	qua.
fol. 269.	n. 3.	lin. 5.	de Texo,	lege	de Toxo.
fol. 270.	n. 5.	lin. 12.	propriam,	lege	propitiam.

KÖNIGL. KREISBIBLIOTHEK IN AUGSBURG

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Fernández, Juan Patricio

Historica Relatio De Apostolicis Missionibus Patrum Societatis Jesu Apud Chiquitos, Paraquariae Populos

Augustae Vindelicorum 1733

Augsburg, Staats- und Stadtbibliothek -- 4 Th H 1073
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11226171-0
VD18 14807866-003